ACTA

EX IIS DECERPTA

QUAE APUD SANCTAM SEDEM

GERUNTUR

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA

ET ILLUSTRATA

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones, ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani Gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

ALMA COL
P
LIBRARY
ASS
Alma, Calif

Volumen I.

1965-66

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

ALMA COLLEGE
LIBRARY
RAINER LAJOS
ALMA, Calif

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTAE OFFICINAE S. C. DE PROPAGANDA FIDE
EQ. PETRO MARIETTI EIUSDEM S. C. SOCIO ADMINISTRO EDENTE
MDCCCLXV.

9821

BX
850
A3
v.1
1865-
66

EPISTOLA

REGNANTIS PONTIFICIS PII PAPAE IX.

AD

EQUITEM PETRUM MARIETTI

CUI UTI SOCIO ADMINISTRO

OFFICINA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

NUPER COMMISSA EST.

DILECTO FILIO EQUITI PETRO MARIETTI

TYPOGRAPHO NOSTRO

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem. In hac coenosa perditorum librorum colluvie, quae dum inventum artibus ac scientiae perutile in miserandam humanae societatis perniciem convertit, opes gratiamque passim comparat typographis nequam et bibliopolis; religiosi certe ac plane nobilis est animi typos, hisce contemptis, non modo non mancipare foeditati aut impietati, verum etiam opponere exitiosorum voluminum torrenti, et in religionis morumque praesidium adhibere. Id cum maiores Tuos, Teque constanter fecisse viderimus, atque ita perfecisse, ut opera Tuis subiecta praelis, sicut intrinseca utilitate, sic extrinseco quoque nitore atque emendatione passim commendarentur: industriam Tuam adhibendam censuimus et moderandae officinae, quae Nostra Congregatio Fidei Propagandae addicta utitur ad sacra et ecclesiastica volumina vulganda in variarum catholici Orbis Nationum usum. Cumque Tu placito Nostro obtemperans ipsam patriae suavitatem religiosae huius Typographiae incrementis posthabendam censueris, Nobisque iam specimen exhibueris solertiae tuae; merito postulare videris aliquod propensae in Te voluntatis Nostrae pignus. In quod sane votum Tuum eo libentius per hasce litteras descendimus, quod animos inde Tibi augendos esse censeamus, atque ita currenti calcaria addenda, ut, Te curante, typographia illa adeo fidelibus opportuna, magis magisque floreat et expectationi Nostrae plane respondeat. Id Tibi coeptoque Tuo toto ominamur animo, atque interim divini favoris auspicem et paternae in Te benevolentiae Nostrae testem Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX maii MDCCCLXV Pontificatus Nostri Anno XIX.

PIUS PP. IX.

90-5102 ...

PROGRAMMA

Cum inter multiplices ephemerides una plane desit, quae latine exarata solummodo insistat referendis utiliter ecclesiasticis Romanae Sedis actis, quae et referri queant et in plurium utilitatem cedant, cumque huiusmodi opus, consiliis initis, perutile esse noverimus; conscribere arbitrati sumus ad libelli formam hanc ephemeridem, quae quidem haud multa et otiosa, sed scitu dignissima, ex sapientibus Apostolicae Sedis actis contineat, et acta quae ratione materiae implexa sint, ita exhibeat, ut perexiguo labore intelligi possint ab Ecclesiasticis viris, qui Ecclesiae ministeriis assidue vacant.

Nemo enim ignorat qui paulisper in Romana Curia sit versatus, ex ingenti negotiorum mole quae iugiter Romae expediuntur, plurima esse quae utpote fidelium conscientiam attingentia, vel aliis ex causis, secreta omnino manent; proindeque huiusmodi acta, neque cognosci posse, neque referri. Plura insuper alia haberi quae licet publici fiant vel fieri possint iuris; tamen si in ephemeride scientifica cuiusmodi est praesens, exponerentur, vix utilitatem aliquam legenti afferrent. Illorum enim interest haec acta noscere, propter quos peculiariter expediuntur. Verum praeter haec, habentur et alia, quae dum sapientem Sanctae Sedis praxim commostrant, vigens Ecclesiae ius manifestant

et illustrant, cuiusmodi praesertim sunt authenticae dubiorum resolutiones quae per Sacras Emorum Cardinalium Congregationes fieri solent. Acta itaque selecta huius classis, praecipue referre intendimus.

Crebro porro contingit, ut inter huiusmodi acta, talia reperiantur, quae propter suam prolixam materiem integre in ephemeride exponi nequirent, nec utiliter referrentur. Accidit enim saepe, ut quaestio ex sese non admodum implexa, ex documentis tamen, quae ad factum controversum demonstrandum hinc inde deducuntur, ex copiosis defensorum allegationibus, quibus ad trutinam quaestiones sive iuris sive facti revocantur, in magnam molem concrescat. Ad haec itaque declinanda incommoda, in referendis huius generis actis, hanc methodum sequi censuimus. Initio, quaestionis factum, diligenti studio, compendiose exponemus; ita tamen, ut nec claritati, multoque minus facti veritati praeiudicium afferatur. Facto ita enarrato, compendiose pariter praecipua adiicientur defensionum capita, quae disputari contigerit, sive ex *Officio*, idest per respectivae Secretariae Praepositum, aliumve a S. tribunali deputatum; sive per Advocatorum defensiones, adiectis ad calcem dubiorum formulis, et authentica eorumdem solutione a respectiva S. Congregatione lata.

Post haec omnia, pro re nata, haud omittemus legentium animos paulisper veluti excitare, ad nonnulla singillatim animadvertenda, sive theoretica, quae principium aliquod iuris illustrent, sive practica quae regularem procedendi modum in similibus causis respiciant.

Insuper, cum non raro contingat, ut causae ipsae, quaedam iuris placita solummodo indicata contineant, quantum ad scopum in causa attingendum sufficiat, quae notissima generatim non sunt, et ceteroquin scitu utilia, ea ulterius exponere curabimus in adnotationibus causis ipsis adiectis; quod si haec nimis amplam exigere videantur explanationem, eorum expositio in libelli fine, ad appendicis instar fiet, in qua etiam paullo fusiori ca-

lamo de eo agemus, quod consentaneum actis in libello expositis, vel alibi exponendis, esse iudicabimus.

Quocumque autem modo huiusmodi acta exponentur, illud constanter observabimus, videlicet: in actis quae a S. Sede publicata et promulgata non fuerint, omnia vera personarum et locorum nomina penitus subducentur, fictis nominibus illis opportune subrogatis, vel etiam alphabeticis literis, quae neque initiales sint eorumdem locorum et personarum, quae in actis referendis occurrunt: solliciti dumtaxat de exponenda facti specie, eo fere modo quoad hanc rem, quo casus morales proponi solent. Satis enim est, ut dies et annus indicetur, titulus et forma, sub quibus acta prodierunt, et respectiva S. Congregatio, ut ea pro opportunitate possint allegari. Haec quidem de actis, quae ex variis Emorum Cardinalium Congregationibus prodeunt.

Solemniora autem acta, quae immediate dimanant a Supremo Romano Pontifice, quamvis per publicas ephemerides, satis ubique divulgentur: tamen ea praesertim, quae circa ecclesiasticum ius versantur, referre in hac ephemeride haud omittemus. Maxime enim interest, haec acta simul collecta habere, ut cum opportuna occasio sese offerat, ea statim valeant reperiri.

Paucis itaque quae promittimus, sequenti veluti schemate, colliges.

ACTA

EX IIS DECERPTA

QUAE APUD SANCTAM SEDEM GERUNTUR

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA

ET ILLUSTRATA

SEU

« Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice » immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt » iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et » alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et re-

» solutiones, ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationi-
» bus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et obser-
» vantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae:
» alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in ex-
» positis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris
» notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui
» in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et
» in regimine christiani Gregis, vel in colenda
» Domini vinea sedulo adlaborant. »

Neque volumus silentio praeterire, ne quis in errorem inducatur, hoc qualecumque opus nulla publica auctoritate fulciri. Quamvis enim acta quae referentur, ex sese auctoritatem habeant si originalibus sint conformia (1), et quamvis diligenti studio curaturi simus, ea vel concinnare, vel ex integro referre, prout eorum feret natura: tamen in hoc opere relata, non aliam sibi poterunt fidem auctoritatemque vindicare, praeter eam quae tribui solet iisdem, cum in privatis auctorum operibus reperiuntur.

(1) De auctoritate qua gaudent acta SS. Congregationum suo loco habebitur disceptatio.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM.

VISITATIONIS SS. LIMINUM. (1)

22 *Febr.* 1862. *Sess.* 22. *Decret. de obser. in Sacrif. Miss.*

Compendium Facti. Episcopus A in relatione status suae Dioecesis ad S. Sedem transmissa, haec exposuit: « Ducentae cir- » citer Paroeciae in hac Dioecesi extant, quae aliam filialem » sibi adnexam habent, in qua Parochus diebus dominicis et » festis per annum secundam Missam celebrat: et circa hanc » consuetudinem diversa dubia suboriuntur, super quibus decla- » rationem necessariam a S. Congregatione humiliter expostulo. » Et primum animadvertere debeo, quod fidelium numerus iuxta » has ecclesias commorantium, valde varius est: in aliquibus » sunt quinque vel decem, in aliis ducenti, imo et sexcenti. Di- » stantia a matrice, modo ad milliarium non attingit, modo sunt » duo tria aut quatuor milliaria. Valde difficile foret, etiam » post exquisitam investigationem, definire utrum hae ecclesiae » nunc filiales, fuerint aliquando ecclesiae matrices, seu verae » paroeciae. » Quatuor proinde dubia proponebat S. Concilii Congregationi, quae antequam solverentur, rogatus est Episcopus, ut magis praecise referret de omnimoda deficientia Sacerdotum ac mediorum, quibus per alium celebrari posset in filialibus ecclesiis; et utrum ecclesiae modo filiales nuncupatae, dotem aliquam seu congruam distinctam a matrice haberent, perquisitis actis Curiae ac SS. Visitationum. At, quae relata sunt, sufficientia non erant ad integram quaestionem singillatim definiendam, quae ingentem paroeciarum numerum complectebatur. Relatum enim est de magna et generica presbiterorum deficientia, eorumque redituum paupertate, qui dum prius ex decimis alebantur, deinde his subtractis, assignata est pro quolibet parocho certa pensio, indipendenter omnino a populorum numero, vel parochiarum

(1) Hoc titulo indicari solent causae seu dubia, quae S. Congregationi Concilii solvenda ab Episcopis proponuntur, quando exhibent relationem status suae Dioecesis S. Sedi.

quas quilibet regit. Concinnata itaque fuerunt Episcopi dubia, prouti infra scribuntur.

Disceptatio Synoptica.

Quoad missae iterationem. — Ex officio, haec praecipua capita iuris proponebantur S. Congregationi. Praemissa nempe notione historica disciplinae, quae successive hanc missarum iterationem moderata est, allegabatur caput 3 *de celebrat. missar.* in quo ita sanxit Innocentius III. « Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi » causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam » Missam solummodo celebrare. » Ubi verbum *sufficit,* non convenientiam aliquam commendat, sed verum praeceptum continet, ceu etiam docuit Benedict. XIV. in *Const. Declarasti nobis.* Quaenam porro debeat esse necessitas ab Innocentio indicata, licet disputaverint de ea Doctores, hodie, praesertim post hanc Benedicti XIV. Constitutionem, illa est (subiungebatur) qua reperitur presbiter qui duas habeat paroecias, et in alterutram nequeat Populus convenire, nec alius habeatur presbiter praeter Parochum, qui missam possit celebrare. Et similis reputatur etiam casus, quo Parochus etsi non praesit duabus paroeciis, tamen vel duos regat inter se dissitos populos, quorum unus ob magnam locorum distantiam, assistere non possit Parocho celebranti, vel etiam si una sit Ecclesia, quae universum Populum simul capere non possit. Extra huiusmodi necessitatis casus, neque consuetudo, etsi vetustissima, suffragari potest Missarum iterationi, ut S. C. C. in *Dertusen.* 20 *Augusti* 1768, et alibi censuit. Adnotabatur vero *in facto,* quod licet haberetur generica presbiterorum deficientia, tamen ex ea argui non poterat vera necessitas in qualibet paroecia.

Caeterum observabatur, distantiam Ecclesiarum quae filiales nuncupabantur, a Parochiali Ecclesia ab uno circiter lapide, usque ad tria et quatuor passuum millia protendi: et fideles in multis Ecclesiis usque ad biscentum et sexcentum ascendere, quamvis in nonnullis non nisi quinque vel decem tantum reperiantur. Ob quas peculiares circumstantias, exponebatur responsio S. C. in casu non absimili, proposito per *Summaria precum die* 12 *Ianuarii* 1847 *in Lingonen.* In eo enim pariter agebatur I. de consuetudine qua nonnulli animarum Pastores, Missam ite-

rabant eodem die; II. aderat quaedam Communitas uno circiter lapide a Parochiali Ecclesia separata, constans viginti circiter personis. Et S. C. respondit: « Scribatur Episcopo ut concedat » bis Missam celebrandi licentiam, quatenus eae circumstantiae, » et praecisae necessitatis casus concurrant, quos Benedict. XIV. » in sua Const. *Declarasti nobis.* requirit; in casu vero quem idem » orator proponit, (seu in secundo casu) licentiam esse conce- » dendam. »

Quando applicanda non est secunda missa pro populo.— Quod attinet vero ad applicationem secundae Missae pro populo, afferebatur Resolutio S. C. C. in *Lucen. applicationis Missarum* 12 *Martii* 1774 in qua proposito dubio: « An Parochi duabus Ecclesiis parochia- » libus praepositi, teneantur Dominicis aliisque Festis diebus » Missam in unaquaque Ecclesia, sive per se sive per alios, ap- » plicare pro populo in casu » responsum prodiit: *Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis, unione plenaria et extinctiva, et scribatur Episcopo iuxta instructionem.* Instructio vero continebat: S. Congregationem - *nunquam dubitasse, quod Parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo, singulis diebus Dominicis et Festis, in unaquaque ex Ecclesiis Parochialibus, quae vel aeque principaliter, vel subiective coniunctae sunt atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo Missae pro populo, locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae et coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.* -

In praesenti autem facto quamvis ex deductis non poterat certo determinari natura unionis, animadvertebatur tamen non deesse indicia, quae videbantur excludere plenariam et extinctivam unionem.

Caeterum subiungebatur, si Parochi iterare Missam deberent, non ratione duplicis Paroeciae, sed solummodo ratione necessitatis, quamvis secundam Missam ad libitum applicare possent, nullam tamen pro hac celebratione recipere possunt eleemosynam; quod dici etiam debet de quolibet Sacerdote qui nullam habeat animarum curam, ceu omissis ceteris, definitum fuit in *Cameracen. Missae pro Populo* 25 *Septemb.* 1858.

Dubia.

I. « Utrum haec consuetudo secundam Missam celebrandi, » tolleranda sit in omnibus praedictis ecclesiis adnexis, ubi hic » mos ita invaluit, ut populus etiam ius ad illam exigendam exi- » stimet se habere.»

II. « Utrum Parochus necessario debeat illam secundam Mis- » sam applicare pro Populo sicuti primam, vel liberam retineat » illius applicationem cum stipendio.»

III. « Utrum licentiam dare queat Episcopus ad illam secun- » dam Missam celebrandam in casibus similibus, et in locis ubi » talis consuetudo usque adhuc non invaluit.»

IV. « Utrum praesertim praedictam licentiam concedere possit » tempore collectionis messium, cum plurimi operarii in uno » praedio seu villa concurrant, qui certe missam non audirent, » nisi Parochus secundam in eo loco diceret, ex eo quod alius » Sacerdos ad illam dicendam haberi non possit.»

Resolutio dubiorum.—Sacra Congregatio Concilii die 22 Februarii 1862 respondere censuit: ad I. et III. *affirmative iudicio Episcopi, nulla habita ratione consuetudinis, et quatenus in unoquoque casu concurrant circumstantiae necessitatis ad formam Constitutionis Benedectinae et Declarationis sacrae Congregationis diei 14 Octobris 1843 relatae in Cameracen. Missae pro Populo 25 Septembris 1858.*

Ad II. *dentur resolutiones in Cameracen. diei 25 Sept. 1858.*

Ad IV. *provisum in praecedentibus.*

Haec porro est indicata declaratio, ipsis verbis quibus in citata *Cameracen.* reperitur. « De adiunctis Amplitudinis tuae pre- » cibus cum ad SS̃mum Dominum Nostrum relatum fuerit, pla- » cuit eidem Sanctitati suae, eadem et tibi dare responsa quae » ad alios quoque Antistites, per hanc Sacram Congregationem » Concilii transmissa sunt. Ordinariorum scilicet esse de re co- » gnoscere et perpendere, num revera necessitas urgeat ut Sa- » cerdos duas Missas celebrare cogatur, nec aliter utendum con- » cessa hac iteratione, quam iuxta conditiones ab ipsis apponendas, » habita locorum populorum et paucitatis Sacerdotum, ac pro- » inde verae necessitatis ratione de qua legatur Benedicti XIV. » Constitutio *Declarasti.* ad Episcopum Oscensem *anni* 1746,

» et in eius opere *De sacrificio Missae lib.* 3 *cap.* 5, *et* 6. Ipsorum » vero conscientia oneratur stricte, nec permissio concedatur ge- » neraliter, quasi privilegium alicui Sacerdoti; sed ob peculiares » casus, et necessitatis causa ab ipso examinata, qui praeterea » moneat Parochos quibus facultatem iterum, eadem die, secun- » dam Missam celebrandi concesserit, ne eleemosynam vel sti- » pendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea perci- » piant, iuxta decreta alias edita a S. Congregatione, sed eam » pro populo sibi commisso gratis applicent. »

Resolutiones vero, quae in *Cameracen.* reperiuntur, quibus S. C. C. censuit ad secundum propositum superius dubium res- pondere, sunt sequentes. Cum in *Cameracen.* quaereretur. I. « An » Parochus qui duas Parochias regit, et ideo bis in die celebrat, » utrique Parochiae suam missam applicare teneatur, non ob- » stante redituum exiguitate. »

II. « An Parochus, qui in una eademque Parochia, bis ea- » dem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso, » gratis applicare omnino teneatur. »

III. An Vicarii aut alii Sacerdotes curam animarum non ha- » bentes, si quando bis in die celebrant ut fit quandoque, seu ut » numero sufficienti Missae in Ecclesia Parochiali celebrentur, » seu ut Hospitalia, Carceres, sanctimonialium Conventus, Missa » non careant, secundam et ipsi Missam pro Populo gratis appli- » care teneantur. »

« Et quatenus affirmative ad I, II, et III. »

IV. « An et quomodo concedendum sit Parochis, qui diebus » dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius Missae liberam » habeant applicationem, et stipendium pro ea recipere valeant » in casu. »

V. « An et quomodo concedendum sit Sacerdotibus curam ani- » marum non habentibus, quoad utramque Missam in casu. »

Sacra Congregatio Concilii die praedicta respondit: Ad I. *Af- firmative.* Ad II. *Negative firma prohibitione recipiendi eleemosy- nam pro secunda Missa.* Ad III. *Negative quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.* Ad IV. *Negative, et Episcopus provideat ad formam Constitutionis Benedicti XIV.* «Cum semper oblatas §. 8.» Ad V. *provisum in tertio.*

Ex quibus omnibus breviter colliges:

I. Extra verae necessitatis casus, Missam iterare non licere (1).

II. Huius necessitatis existentiam agnoscendam esse ab Episcopo singulis in casibus, prae oculis habito criterio seu norma, quam tradit Benedictus XIV. in Constit. *Declarasti*, et in eius opere de Sacrificio Missae *lib.* 3. *cc.* 5 *et* 6. (2).

III. Qua necessitate cognita Episcopum permittere debere hanc Missae iterationem, non quidem generaliter et ad instar privilegii, sed secundum cognitam necessitatem, appositis etiam conditionibus opportunis, a Sacerdotibus omnino servandis.

IV. Neque allegari posse consuetudinem, quamvis immemorialem, veluti titulum ad Missam legitime iterandam, quae consuetudo ex se sola dicenda est potius corruptela.

V. Colliges insuper, nunquam recipi posse eleemosynam pro secunda Missa celebranda, quicumque sit qui eam celebret, neque ad hanc eleemosynam recipiendam, allegari posse titulum egestatis, seu defectus redituum (3).

VI. Imo Parochum teneri secundam *pro Populo*, sicut primam, gratis, diebus festis applicare, in parochiis unitis, excepto casu in quo Parochiarum unio talis sit, ex qua unica prorsus parochia exurgat.

(1) Excipe festum Nativitatis diem, vel ubi privilegium concessum est, Missam iterandi, die commem. omnium defunctorum.

(2) Vid. append. I.

(3) Errant itaque auctores illi etiam recentiores, qui docent extra Italiam posse recipi eleemosynam pro secunda Missa, quando reditus tenues sunt qui assignantur pro implemento proprii officii; vel ex vi consuetudinis. Errant pariter cum docent extra Italiam, Parochos non teneri missas applicare pro Populo, vigentibus illis rationibus, ac cum dissimulant Const. Benedicti XIV *Cum semper oblatas,* utpote ad Italiae Episcopos directam; non distinguentes Constitutiones quae ad aliquam determinatam provinciam ideo diriguntur, ut in ea peculiare ius statuant; ab iis quae, quamvis ad unam provinciam oeconomice dirigantur, tamen *commune ius* declarant. Et reapse S. C. Concilii, in dirimendis dubiis, circa missam *pro Populo*, extra Italiam exortis, secundum hanc Constitutionem, constanter iudicavit: nec non S. C. de Propaganda Fide, in varias orbis partes, pro opportunitate, veluti legem servandam hanc constitutionem transmisit. Caeterum quilibet in hac re praetextus sublatus est per Constit. regnantis Pontificis quem Deus incolumem diu servet, quae incipit *Amantissimi Redemptoris.*

Aliter est iudicandum, circa applicationem Missae *pro Populo* cum agitur de locis Missionum in quibus *paroeciae, canonice erectae non sunt.* De qua re, exponemus suo loco doctrinam a S. Congregatione de Propaganda Fide accurate definitam.

ELEEMOSYNAE MISSARUM.

23 *Maii* 1861. *Sess.* 22 *Decr. de obs. in Sac. Miss.*

Summaria precum (1). Occasione resolutionis S. C.C. diei 25 septembris 1858 superius expositae, qua declaratur eleemosynam recipi non posse pro celebratione secundae Missae, Episcopus N. haec S. C. exposuit « In multis Dioecesis nostrae parochiis » existunt fundationes, quae vulgo *primissariae* vocantur (bene- » ficia et simplicia et curata) quibus provisum est ut, domini- » cis diebus et festis, praeter quasdam ferias, Sacrum celebretur » matutinum. Eiusmodi vero fundationes, ob exiguitatem redi- » tuum et penuriam Sacerdotum, plerumque proprio carent sa- » cerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, » satisfiat, Parochi obtenta binandi facultate, diebus dominicis » et festis, binam dicunt Missam, Sacrum matutinale et Sacrum » summum pro populo, et in utroque Sacro traditur homilia » sive instructio cathechetica, pro quo peculiari labore sive in- » dustria, Parochi hucusque ex eiusmodi fundationibus, certam » percipiunt remunerationem. Sunt et alii Parochi, qui diebus » dominicis et festis binam dicunt Missam, partim in ecclesiis » parochialibus, partim in filialibus, quia necessitas moralis id » exigit. Non pauci Parochi ad ecclesias dissitas, per vias aspe- » ras, tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra sa- » crum simul tradunt doctrinam christianam.

» Quaeritur igitur: I. Utrum Parochi qui, ut menti fundato- » rum fiat satis, diebus dominicis et festis, binam dicunt Mis-

(1) *Summaria precum* est quaedam dicendi formula penes S. Congregationem Concilii adhibitam qua indicatur non agi de aliquo gravi dubio formiter solvendo, vel de causa contentiosa: (haec enim alia forma pertractantur quae dicitur in *Folio,* quorum exempla habes in antecedenti et sequenti causa) sed agi tantummodo de precibus Romanae Sedi exhibitis, vel ad leve dubium solvendum, vel ut plerumque contingit ad gratiam obtinendam, quae involvunt aliquam difficultatem, puta circa existentiam causarum quae gratiae concessionem suadeant, vel non; sive circa modum quo exaudiri preces mereantur. Cum summarie haec pertractantur, ideo dicuntur *summaria precum.* Huiusmodi quaestiunculae, non multis abhinc annis, typis traduntur, dum antea Secretarius supplices hos libellos in S. Congregatione voce exponebat. Cum citantur huiusmodi causae, oportet adiungere *per summaria precum* ut a ceteris distinguant.

» sam, et pro fundatoribus Primissariarum applicant, salarium ex » fundo Primissariarum, pro peculiari labore, percipere possint. » II. Utrum Parochi qui, pro necessitate circumstantiarum, diebus » dominicis et festis, sive in Ecclesia parochiali, sive filiali dis- » sita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro pe- » culiari labore et industria, certum salarium annuum a parochia- » nis oblatum, percipere valeant. »

Disceptatio synoptica.

Ea quae obstabant affirmationi. — Animadvertebatur *ex officio,* vetitum esse Parochis binandi facultate donatis, pro secunda Missa eleemosynam recipere, ceu S. C. C. definivit in cit. *Cameracen. Missae pro Populo,* et pluries alibi decrevit praesertim in *Vintimilien.* 19 *Decembris* 1835. Imo ad rem afferebatur responsio quaedam S. C. data in *Brixien. die* 3 *Martii* 1855 *per sum. precum.* Consuetudo enim invaluerat in ea dioecesi, ut a quibusdam piis Sodalitiis aut Praefectis fabricae ecclesiae, retribueretur Parocho peculiaris eleemosyna pro Missa, diebus dominicis aut festis de praecepto, celebranda vel canenda ; idque aliquando sine onere specialis applicationis. Hinc quaerebat Episcopus: utrum haec praxis, ubi ab immemorabili consuetudine firmata invenitur, tolerari possit, saltem pro diebus quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae obligationis. Sacra autem C. censuit rescribendum: *Consuetudinem iuxta exposita esse reprobandam, et servandam esse constitutionem Benedicti XIV «Cum semper oblatas.»*

Ea quae suffragabantur. Caeterum observabatur ad casum propositum quod attinet, cum eleemosyna non ratione *celebrationis aut applicationis* secundae Missae rependatur, sed titulo remunerationis pro speciali labore et industria, proponebatur decernendum Sacrae Congregationi, an prohibitio de qua supra, comprehenderet etiam id quod ex huiusmodi titulo afferri solet. Nec videbatur opponi allegata *Brixien.* in qua casus erat non de secunda Missa, sed de Missa parochiali, et eleemosyna rependebatur pro celebratione Missae eiusdem. E contra vero S. C. Rituum, titulo remunerationis pro speciali labore, quibusdam Parochis qui Sacrum necessitate exigente iterabant, in locis a parochiali ecclesia remotis, receptionem cuiusdam stipendii censuit posse permitti. *Monasterien.* 11 *Iunii* 1845.

Responsio. S. Congregatio Concilii *die* 23 *Maii* 1861 in hac causa *per summaria precum* exposita censuit respondendum : *Posse permitti, prudenti arbitrio Episcopi, remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.*

Quare perspicis *ob rationes tantum extrinsecas,* laboris nempe et incommodi *permitti* interdum posse aliquam remunerationem, firma manente prohibitione recipiendi aliquid intuitu eleemosynae pro Missae applicatione.

MATRIMONII. (1)

27 *Aug.* 1864. *Sess.* 24. *c.* 6. *de Reform. Matr.*

Compendium facti. Etsi Caia uxor Titii, e maritali domo legitime expulsa fuisset; concessum tamen eidem fuerat, ut filii qui sub potestate Titii manserant, matrem suam invisere interdum possent. Hac circumstantia abusa est mater ut filiam suam Agnetem sequenti ratione proderet.

Cum enim nubilis Agnes in paterna domo degeret, in civitate A. et conversandi causa ad quandam frequentatam domum interdum accederet, contigit ut vir quidam Sempronius iam viduus, amore Agnetis corriperetur. Tum Titius adolescentulae pater, tum ipsa adolescentula Agnes, Sempronii instantiis ad conciliandas nuptias porrectis, non semel restiterunt; donec Sempronius hanc legitimam viam sibi praeclusam praesentiens, aliam prorsus inauditam, sibi aperiendam curavit.

Sane (prouti ex actis eruimus) cum Caia Agnetis mater, in quadam ora maritima B. longe a civitate A., ad balnea ratione valetudinis degeret, et Titius Agnetis pater, eodem tempore, ratione sui officii discessisset e sua civitate A., Agnes cum famula educatrice aliaque sorore iuniori eumdem locum B. petiit, suamque matrem invisit in publico diversorio habitantem. Mansit ibi-

(1) Titulos causarum constanter referemus prouti in SS. Congregationum actis reperiuntur, ut possint pro opportunitate, causae allegari. Solent poni tituli iuxta SS. CC. praxim, hoc casu obliquo, quia subintelligitur *Causa*.

dem Agnes nonnullis diebus, donec mater praetextu melioris habitationis, ficto animo, filiae suasit se conduxisse commodiorem domum eadem in terra, ad quam semet paratam exhibuit ducendi Agnetem. Reapse Caia mater simul cum praedicta educatrice duxerunt Agnetem in quandam remotiorem domum, quam ingressae, prius Caia, deinde educatrix, aliquas causas abeundi praetexentes, discesserunt, sola ibi relicta veluti in propria domo Agnete.

Cum ita res se haberet, ex improviso prodiit Sempronius, qui exterrefactae tunc Agneti, patefecit eam in sua domo et potestate reperiri. Coacta fuit Agnes in ea remota Sempronii domo manere per partem diei et integram sequentem noctem, in qua, ut ipsa deposuit, et clamavit et fugam tentavit inutiliter.

Sequenti die, tarda licet hora, rediit educatrix, cui Agnes promptam manifestavit voluntatem, eadem ipsa die, paternam domum redeundi. At mater (quae ex condicto cum Sempronio agere, satis apparebat) antequam filia discederet, una cum Educatrice exterritae adhuc puellae suaserunt, ne domum Patris repeteret, ut paternam iram, propter ea quae acciderant, declinaret; sed potius ad aliquod publicum diversorium in eadem civitate A. se conferret, ut ibi opportunius deliberaretur quid post haec esset agendum.

Praeteriri heic silentio non debet, quod Sempronius ante haec, sibi proposuerat Agnetem abducere in aliam longinquam regionem, ut cum ea matrimonium liberius contraheret: at hoc propositum effectum suum sortitum non fuerat, ex eo quod ipse nomen suum et puellae abducendae navis gubernatori eos traiecturo dare noluerat.

Itaque importunae suasioni Matris et educatricis, Agnes paruit, et eodem die Agnes et educatrix, viae ferreis assibus stratae sese commiserunt ut redirent in suam civitatem A. Verum cum ad Stationem quandam devenerunt, en comparet iterum Sempronius, qui eumdem currum ingreditur ubi Agnes considebat, quae tanto horrore praesentia Sempronii perculsa est, tantosque clamores extulit, ut curruum gubernator intervenerit, indixeritque Sempronio, ut ab eo curru recederet. Quod quidem deinde praestitit Sempronius, suadente altero viro C., qui eodem in curru considebat.

Praestat heic partem referre testimonii eiusdem viri C., qui haec sub iuramenti fide deposuit: « Firmiter scio quod in itinere » ex ora maritima B., ad civitatem A., me reperii cum quadam » adolescentula *quae flebat*, alia iuvene comitata. Contigit ut eo- » dem curru nos reperiremur. Ad sequentem stationem, quidam » iuvenis Sempronius venit, et consedit in curru in quo nos » considebamus. Ad cuius adspectum Agnes extulit clamores tales, » ut conductor curruum venerit ad observandum quid accideret. » Iuvenis socia (educatrix) quae videbatur habere *praedominium* » super Agnete, curavit silentium Agneti indicere..... Iudicavi » suadere Sempronio, se melius facturum si alium ingrede- » retur currum ad auferendam Agneti causam doloris. Tunc » ipse secreto collocutus est mihi, enarrans se seduxisse illam » iuvenem ut ab ea amaretur. Ipse a me postulavit ut curam » illius (Agnetis) susciperem, et *ut impedirem quominus ipsa* » *rediret apud Patrem suum*. Denique Sempronius indicans mihi » iuvenem sociam (educatricem) mihi dixit, quod illa *particeps* » *erat secreti et negotii*... Ego ducebam Agnetem eiusque sociam » in Diversorium D., apud quod egomet divertere consueveram.»

Itaque Agnes pervenit ad Diversorium publicum D. in sua civitate, ex suasione viri C., nec non educatricis quae particeps erat consiliorum Sempronii.

Haec porro sunt adiuncta quae in hoc Diversorio contigerunt. Cubiculum assignatum fuit Agneti, studio educatricis, ad quod nonnisi per ipsius educatricis cubiculum, dabatur accessus; et fenestras habebat, quae non viam publicam, sed atrium tantummodo introrsum respiciebant. Quare nullus exeundi aditus puellae patebat sine educatricis venia, quae tam caute tamque arcte eam custodiebat, ut quoties domo exiret, toties cubiculum clavibus obseraret et firmaret.

Mansit Agnes tres hebdomadas eo in diversorio, quo tempore bis exiit, constanter tamen ab educatrice concomitata, primo cum ad Confessarium accessit, secundo ad quendam Advocatum consulendum. Hic tamen secundus exitus firmiter ab educatrice Agneti prohibebatur. Quare ita altercare et clamare ceperunt, ut Diversorii famuli adfuerint, quorum auxilio Agnes egredi potuit. Adiit autem Iurisconsultum non procul a Diversorio commorantem (comitante Educatrice) eidemque conditionem suam ape-

ruit, ac expostulavit quid sibi agendum esse putaret. Iuris ille consultus, nullum aliud huic malo superesse respondit remedium, praeter matrimonium, et ad Titium Agnetis Patrem epistolium misit, quo rerum eventu narrato, matrimonium necessarium esse concludebat. Titius indignatus, nunquam ad filiam accessit, neque ab ea aspici deinde passus est; tamen re perpensa ex se, et ex aliorum consilio, licet invitus in filiae matrimonium cum Sempronio consensit; et quidem ex ea ratione, quia videbatur actum esse de filiae suae fortuna. Fama enim de hoc facto late diffusa erat, et opera ipsius Sempronii, uti asserebatur, publicae ephemerides facti notitiam evulgarunt.

Interea Sempronius non praetermittebat ad Diversorium praefatum accedere, et cum educatrice sermones protrahere, quem tamen Agnes, vel a se repulit, vel tandem invita recepit.

Manens itaque Agnes in eo publico Diversorio, ex quo bis tantum exierat, sub praedominio educatricis, ex cura et mandato Sempronii, et animadvertens sibi tantummodo manere electionem inter monasterium et matrimonium cum Sempronio, hoc tandem praetulit, quia religiosa vocatione se carere sentiebat.

Quare omnibus paratis, tandem exiit Agnes ad matrimonium celebrandum; quod ita initum fuit, ipso testante parocho, ut non nuptiae, sed potius funus peragi videretur. Agnes tristis externa consensus signa praestitit, eiusque pater qui filiam suam in hoc etiam actu neque aspicere dignatus est, pene stupens actum ipsum, more illius regionis, obsignavit.

Eodem die Sempronius secumferens uxorem Agnetem longissima itinera aggressus est; et fere iugiter per quadriennium quo simul habitarunt quamvis animo aversi, ut asserebatur, varias longinquas regiones peragrarunt, donec in quodam reditu in civitatem A., Agnes nacta occasionem qua Sempronius novum iter aggressurus erat, aegram se fingens, a viro sequendo se exemit; et simul ac ille digressus est, ad patrem convolavit, eodemque suadente, monasterium ingressa est. Ex hoc accidit quod Sempronius quaesierit obtinueritque divortium; Agnes insuper hoc haud contenta, institit tum apud Curiam, tum deinde apud S. Sedem pro declaratione nullitatis matrimonii. Itaque processu in Curia peracto secundum formam Const. Benedicti XIV. *Dei*

miseratione, eoque transmisso ad S. C. Concilii, causa discussa fuit sub dubio: an constaret de nullitate matrimonii in casu.

Disceptatio Synoptica.

Defensio vinculi matrimonialis. — Dumtaxat delibabimus praecipua capita eorum quae per defensores copiose et erudite disputata sunt.

Defensor vinculi matrimonialis contendens hoc matrimonium esse undequaque validum, conabatur ostendere illud dici irritum non posse, neque ex capite vis et metus, neque ex capite raptus. Ad primum quod attinet animadvertebat, Agnetem nulla causa externa, non phisica vi, neque morali violentia, per minas nempe et gravem metum, ad coniugium ineundum fuisse inductam. Ut enim ex hoc capite matrimonium sit nullum exigitur (aiebat) ut obiectum metus, sit damnum grave, et metum incutiens possit vel saltem putetur posse minas exequi, et ut istae minae non facile devitari possint per recursum ad superiores, parentes vel amicos: haec omnia porro in casu non verificabantur, cum Agnes electione propria, et facti consideratione ut proprio honori consuleret matrimonium contraxit.

Contendens insuper excludere raptus impedimentum, praeter alia quae in facto adnotaverat, praemissa auctorum doctrina docentium: duo debere concurrere ad raptus impedimentum constituendum, renuentiam nempe mulieris, et phisicam abductionem eiusdem de loco ad locum a raptore perpetratam; contendebat ostendere utrumque extremum in hac causa deficere. Deficiebat violentia ex parte viri, siquidem Agnes matri et educatrici consentiens ad domum Sempronii initio accessit, et non fuit Sempronius qui vim Agneti intulit, ut in propriam domum eam transferret. Proindeque contendebat deesse initium raptus, quod omnino in his causis inspici debet. Sanchez *l.* 7 *disp.* 13 *n.* 9 *de matrim.*

Dato insuper, prosequebatur, quod mater Agnetis tanquam Sempronii mandataria, filiam dolo induxerit ad viri domum, non tamen verificaretur raptus, ex eo quod tractatus de ineundo matrimonio praecesserint, quo in casu, citatis auctoribus, ratio raptus

exulet oportet. Qui tractatus si effectum sortiti non fuerant apud patrem, hunc sortiti sunt apud matrem.

Sed admisso etiam per hypotesim initio raptus, purificatum hunc esse censebat, praesertim ex eo quod mulier separata fuerat a Sempronii potestate, et in loco tuto libera manserat. Hoc evenisse contendebat, tum in itinere quo cum ceteris communem currum habuit, in quo valuit etiam virum e suo conspectu expellere, tum in sua civitate quam libere petiit, tum in diversorio, quod libere elegit ut declinaret patris iram, in quo educatricis iugum excussit quoties voluit, ut cum ad Iurisconsultum accessit etc.

Neque demum in ipsa matrimonii celebratione ullam vim sive phisicam sive moralem intercessisse animadvertebat, quia et Agnetis pater adstabat, et ipsa libere consensus signa praestitit.

Postremo proponebat canonistarum doctrinam, docentium quadriennalem cohabitationem plusquam satis esse ad matrimonium ratihabendum, quoties invalidum ex vi et metu contractum fuisset. Etenim tam diuturna vitae consuetudo inducit praesumptionem iuris et de iure, mulierem libere consensisse. Imo cum praesens coniugium iuxta formam tridentinam celebratum sit, ipsis actibus coniugalibus sine alia forma, etiam exteriori revalidatum censebat; praesertim cum toto quatriennio Agnes contra matrimonii vinculum nunquam reclamaverit.

Defensio Agnetis pro matrimonii nullitate. — E contra mulieris Orator contendebat ostendere matrimonii nullitatem, praesertim ex capite raptus. Animadvertebat Agnetem fuisse abductam de loco ad locum, et raptus impedimentum locum habere, etiamsi mulier raptui consensisset. Etenim quando non praecedunt tractatus de matrimonio contrahendo, seu sponsalia, si mulier contra eos sub quorum potestate extat, voluntarie etiam abducatur, haec voluntas praesumitur extorta fraudibus et machinationibus viri, et ideo cum iniuria irrogetur tum ipsi mulieri, tum iis sub quorum potestate mulier est, verificatur ratio raptus. Confirmabat autem hanc doctrinam auctoritate Card. De Luca *par.* 2 *discept.* 5 *de matrimon.* 10 *et sqq.*, aliorumque. Praesertim vero sequentibus resolutionibus S. Cong. C. Cum enim eidem Congregationi propositum fuisset dubium : an raptores mulierum quae raptui consenserint, comprehendantur quoad poenam et matrimonii prohibitionem decreto Concilii Tridentini *cap.* 6 *sess.* 24 *de reform. matrim.* Sacra

Congreg. audito Iurisconsulti voto, (1) *die* 24 *Ianuarii* 1608 censuit respondere « *Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis* » (2). Proposito insuper casu eidem S. Congr. his verbis expresso « Felix de Ga- » gliarda laicus, decem aut duodecim hominibus armatis associa- » tus, Orsettam filiam Clementis Thealdini, in domo Angeli Mas- » sini et sub eius tutela degentem ad hoc tamen *ea consentiente*, » eduxit, et matrimonium cum ea contraxit. Modo idem Angelus » in constitutione et assignatione dotis praedictae Orsettae, eam » ipsumque Felicem, poenis in decretis Sac. Concilii Tridentini » *sess.* 24 *c.* 6 in raptores comminatis, illaqueari praetendit. Quae- » ritur, an stante ipsius Orsettae *consensu*, dictus Felix poenis » adstrictus existat, dictumque matrimonium subsistat, dictaque » dos ei assignari debeat. Sacra Congregatio etc., censuit huius- » modi raptorem, secundum ea quae proponuntur comprehendi, » tum quoad poenas, quam matrimonii prohibitionem, Decreto » dicti cap. 6 *sess.* 24 *de refor. matr.* » Quam decisionem refert Riganti *in reg. cancell.* 49.

Et secundum hanc S. Cong. doctrinam S. Rota (aiebat) pluries iudicavit, uti videre est in *Decis.* 250 *part.* 16 *n.* 3 *et alibi.*

Atqui, subsumebat Agnetis defensor, in praesenti casu, non solum Agnes raptui non consensit, sed talis vis machinatio et fraus contra ipsam ordinata est, ut in Sempronii potestatem deveniret, cui resistere nulla ratione poterat. In hac autem violentia nunquam dubitatum est quin obtineret veri raptus ratio.

Dato etiam, subiungebat Orator, quod non ex mandato Sempronii, Mater in Sempronii domum duxerit Agnetem, demonstrabat, eamdem violentiam illatam censeri, tam ei qui e domo propria violenter deiicitur, quam ei qui e sua domo discessus, vi detinetur. Cicero *pro Cecina*. Ulpianus *const. in l. I.* §. 24 *ff. de vi*. Porro Agnes quae Sempronium naturali instinctu repudiaverat, e domo fraudibus extrahitur, eaque ducta in potestatem Sempronii ab eo iugiter quamvis per educatricem dolosis machinationibus detinetur. Perinde autem est haec per se, vel per alium facere. *Reg.* 72 *de reg. in* 6.

(1) Vid. Riganti ad regulam 49 cancell. n. 71 seqq.

(2) Vid. append. II. in qua ample, haec S. C. C. resolutio declaratur, adiecta praxi eiusdem S. C.

Post haec autem ad alterum caput demostrandum descendebat Agnetis orator; videlicet ostendere contendebat, raptum nunquam fuisse purgatum. Praemissa enim erudita notitia de Ecclesiae oeconomia circa raptum mulierum habita, quem semper Ecclesia odio habuit; quamvis ante Tridentinum, non distingueretur raptus, ab impedimento vis et metus, tamen exigebatur ut mulier rapta in loco tuto et libero poneretur, priusquam iniret coniugium cum raptore *cap.* 14 *de spons. et cap.* 10 *de procur.* Et quamvis ex *cap.* 7 *de rapt.* rapta puella, legitime contrahere potuisset cum raptore, si prior dissensio transiisset in consensum, tamen in Concilio Trid. sancitum est: « inter » raptorem et raptam quamdiu ipsa in *potestate* raptoris man» serit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a » raptore *separata* et in *loco tuto ac libero constituta* illum in » virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. » Conc. Trid. *sess.* 24 *c.* 6 *de reform. matr.*

Ex iis autem quae superius in facti compendio adumbravimus ostendere defensor studebat, Agnetem mansisse iugiter sub Sempronii potestate per Educatricem quae erat Sempronii mandataria: neque positam fuisse in *loco tuto et libero.* Ad diversorium enim pervenerat Agnes ex praeordinata machinatione, quod neque *tutum* erat utpote *publicum;* neque *liberum* in quo detinebatur ad instar carceris sub Educatricis custodia, et liber aditus e contra Sempronio patebat, ad illud accedendi.

Difficultati praeterea quam sibi proponebat defensor, scilicet quod Agnes poterat ad paternam domum redire, inter cetera respondebat, non esse heic locum quaerendi *quid facere poterat* Agnes, sed dumtaxat *quid factum fuerit.* Ex indole enim loci in quo rapta puella ponitur, post Tridentinam legem, pendet consensus validitas. Cum itaque de facto, Agnes non fuerit a raptore separata, neque in loco tuto ac libero constituta sive ipsa hoc omiserit, sive alii, matrimonium sic contractum, irritum est censendum.

Neque obiicias, subiungebat defensor, quod Agnes nonnullos actus libere exercuit eo quod accesserit ad confessarium, ad advocatum. Etenim conciliaris sanctio, quae exigit *locum liberum,* non considerat aliquos actus liberos qui interdum emitti possunt etiam ab iis qui sunt ad triremes damnati, quin idcirco in loco

libero dicantur constituti. Ex quo fit etiam, quod quaelibet rapta puella in loco non tuto neque libero posita, etiamsi in matrimonium libere consentiret, ipsum tamen non subsisteret.

Repellebat denique obiectionem ex mutua cohabitatione quatriennali depromptam, tum ex eo quod puella itineribus defatigata, semper manserat in Sempronii potestate, tum praecipue ex eo, quod convalidari non potest matrimonium ex vi et metu contractum, ubi viget lex tridentina, quando impedimentum est publicum. Giraldi *ius noviss. part.* I. *sect.* 658, qui referens doctrinam S. C. C. ait « Sacra etc. saepius respondit, hodie post » Concilium Tridentinum, matrimonium metu contractum, et » purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque » actus, non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rur- » sus eiusdem concilii forma. » Nec aliter refertur in Rotali decisione 900 *in princ. cor. Seraphin.* in qua legitur « Quaesitum » fuit quid servandum in iis qui per vim et metum, adhibitis » omnibus solemnitatibus a Sacro Concilio Tridentino *sess.* 24 » *cap.* I. *de reformat.* contraxerunt. Congregatio (Concilii) res- » pondit, si huiusmodi impedimentum sit occultum, et partes » postea in matrimonio sic contracto permanere libere consen- » tiunt, consuevisse Papam ex stylo Poenitentiariae, quamvis » matrimonium sit nullum, ratione etiam occulti impedimenti, » ita ut de novo possint inter se contrahere non adhibitis, seu » repetitis solemnitatibus a Concilio requisitis, si vero impedi- » mentum sit manifestum, iterum contrahendum est, repetitis » omnibus solemnitatibus in primo contractu adhibitis. »

Dubium.

« An constet de nullitate matrimonii in casu.»

Resolutio dubii. Sacra Cong. Concilii, causa discussa die 25 Iunii 1864 censuit matrimonium esse irritum respondendo ad propositum dubium « *affirmative* » quae sententia fuit iterum confirmata, die 27 Augusti eiusdem anni.

Ex iis fas est colligere:

I. Perinde esse rapere vi puellam e propria domo, ac dolo eam circumvenire ut in manus meditantis rapinam inscia deveniat.

II. Imo perinde esse videtur, rapere puellam e propria domo

ac fraudibus eam circumvenire ne ad suam redeat domum, posteaquam libere exiverit.

III. Neque interest si puella his fraudibus consentiat. Consensus enim fraudibus extortus, apertae violentiae aequiparatur (1).

IV. In hoc autem statu raptus puellam manentem, inhabilem ex iure esse, ad contrahendum cum raptore.

V. Posse tamen habilem fieri, si a Raptoris potestate separetur, et in loco tuto ac libero constituatur.

VI. Nihilominus non censeri puellam ab ea *potestate* separatam, si raptor potius per alium, quam per se, potestatem in puellam exerceat.

VII. Neque locum censeri *tutum* qui publicus sit, neque *liberum*, quamvis in eo nonnulli actus libere exerceri posse videantur.

VIII. Neque valere matrimonium hoc in statu contractum, etiamsi ante celebrationem, prudenter praevideretur, quod puella in idem matrimonium consensisset, licet in loco tuto ac libero constitueretur.

IX. Quare ex indole loci in quo rapta ponitur, pendet matrimonii validitas.

X. Denique erues, matrimonium *sic* invalide contractum non convalidari, ubi viget lex tridentina, per longam cohabitationem (2).

(1) Vid. app. II.

(2) Ex eo patet coniugium, raptus impedimento contractum, convalidari per cohabitationem non posse; quia tale impedimentum cessare non potest, nisi mulier legitime separetur a raptore. Porro per cohabitationem manet iugiter in potestate raptoris.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM ET NULLITATIS PROFESSIONIS.

Die 12 *Augusti* 1864.

Compendium facti. Titius pauperibus ortus parentibus, iisque ab infantia orbatus, in avunculorum domo exceptus fuit. Cum adolesceret, et a literis addiscendis esset alienus, contenditur eos violentia coegisse nepotem ut Regularis fieret Ordinis A., quamvis ipse eum vitae statum refugere patefecisset.

Religionem itaque Titius ingressus est, et non defuerunt iteratae querelae probationis tempore, quo dictitabat se nec ex divina vocatione neque sponte illum vitae statum amplecti; nihilominus tempore novitiatus expleto, anno 1834 et aetatis suae 17 mediante, solemnem professionem emisit. Duobus, elapsis annis ab hac professione emissa, occasione suppressionis sui Ordinis per polyticas vicissitudines in regno B., cum ceteris e claustro expulsus, mechanicae arti sese mancipavit. Anno 1848 petiit a suo Episcopo ut causa institueretur super professionis nullitate, ex vi et metu emissae. Sed inutiliter; cum quinquennium ad reclamandum utile iamdiu sane praeteriisset. Ne tamen opportuna probatio pro hac causa deperiret, concinnare studuit *duo interrogatoria* super quibus coram Parocho, et Tabellione, sex testes fuerunt interrogati; nempe tres Titii fratres germani qui primum interrogatorium (quod circa violentias extra claustrum illatas versabatur) interposito iuramento, confirmarunt; et tres correligiosi, qui deposuerunt, pariter sub iuramenti religione, circa secundum interrogatorium, de eo scilicet quod evenerit tempore novitiatus.

Titius itaque ut agere super hac causa posset, anno 1849 a S. Sede petiit beneficium restitutionis in integrum, cuius tamen preces pro informatione ad Ordinarium, licet remissae, suspensae (qua de causa ignoratur) manserunt; donec iteratis precibus an. 1862, iisque ad Episcopum de more remissis, pro informatione, et voto et ut referret de causis restitutionis in integrum et nullitatis professionis, auditis si fieri possit supe-

rioribus regularibus, respondit: « Unum tantum seniorem Reli- » giosum presbiterum audire potui, qui eum (Titium) cognovit » in novitiatu, et asseruit frequentissime punitum fuisse, eo » quod regulam non servabat, nec praeceptis magistri obediebat, » et palam dictitabat, se expelli desiderare, quoniam contra » suam voluntatem habitum induerat. » Emisit insuper votum favore restitutionis in integrum Titio concedendae. Neque ex parte Ordinis huic voto aliquid obstitit.

Ulterioribus itaque a S. C. adhibitis diligentiis ut, quantum fieri possit, processus regularis institueretur, et in irritum cessis, obtentis actis supra enunciatis in forma authentica, SS̃mus benigne annuit ut, non obstante lapsu termini canonici, et mora Oratoris extra claustra (1) in habitu laicali, ob regni B. circumstantias, causa posset definiri super transmissis actis licet incompletis, et praescriptis formis carentibus (2), sola rei veritate inspecta, summarie et oeconomice, non obstante const. Benedicti XIV: *Si datam:* aliisque contrariis quibuscumque.

Proposita itaque haec causa fuit ex mandato SS̃mi S. C. EE. et RR. et discussa sub dubiis in calce positis.

Disceptatio synoptica.

Defensio titii quoad primum dubium. — Titius per defensorem quem sibi constituere censuit, contendebat initio decretum Con. Tridentini *sess.* 35 *c.* 19 sancientis - *quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse religionem....non audiatur nisi intra quinquennium* - praesumpsisse Religiosum eo ipso quod intra quinquennium non reclamaverit, ratam voluisse

(1) Nullus enim regularis adversus suam professionem reclamare potest, nisi intra suae Religionis claustra existat, et habitu regulari reassumpto si ipsum antea deposuerit. Const. *Si datam* et Concil. trid. *sess.* 25, *de regular. c.* 15. Quare S. C. in huiusmodi causis, cum Religiosus orator habitum deposuerit, saepe respondit: *Reassumat habitum, redeat ad claustrum, et postea supplicet.*

(2) Bened. XIV in const. *Si datam* praescribens modum omnino servandum in conficiendo processu harum causarum, reprobat extraiudiciales attestationes hisce verbis « De probationibus vero, licet non » ignoremus, apud Superiores regulares, » Ordinariosque locorum, usu receptum » fuisse, in re tanti momenti, iudicia sua » fundare in extraiudicialibus attestatio- » nibus, quantumvis iuramento firmatis » quae *ad perpetuam* (ne pereat probatio » morte testium) dicuntur; volentes, » atque districte mandantes, ut ad adstru- » endas probationes in huiusmodi causis » necessariis, verus iudicialis processus » omnino conficiatur...»

habere suam professionem, origine forsan nullam. Quae cum sit iuris praesumptio, eliditur per contrarii probationem. Pignatell. *consult.* 173 *tom.* 9 *n.* 10. *et* 32 ubi ait « si protestatus fuit (Religio-» sus) ante et post professionem, ex hoc tollitur praesumptio ratifi-» cationis, quae fundatur dumtaxat in praesumpta voluntate. Prae-» sumptio enim legis cessat, dum constat de clara et expressa » voluntate.» Quam doctrinam aliis auctoritatibus confirmans Defensor, subiungebat ex actis constare repetitas adfuisse querelas. Tres enim testes conreligiosi deposuerunt, Titium iteratis vicibus in suo novitiatu manifestasse « se contra propriam voluntatem Religio-» sum Ordinem amplecti, et ad id induci, ne experiret rigores » avunculorum; et ab iisdem oppressum, se obligari ad ceden-» dum eorum voluntati, et per violentiam profiteri.» Unus praeterea ex dictis testibus deposuit Titium, quadam nocte e claustro aufugere determinasse, et deinde, ob praevisa temporalia mala, ab hoc proposito abstinuisse. Quibus defensor adiungebat alia subsequentia indicia eiusdem Titii voluntatis, idest promptum exitum e claustro; interrogatoria exhibita; repetitas preces. Ex quibus omnibus censebat satis constare Titium ratam numquam suam professionem habuisse.

Quod si huiusmodi defuissent querelae, ex alio etiam capite (contendebat) in integrum restitutio eidem concedenda foret. « Ignoranti enim et legitime impedito tempora non currunt. » Porro in themate agitur de viro qui rudis et literarum ignarus, in adolescentia professionem emisit, quique mansit in infima *Conversi* conditione, adeoque noscere haud poterat quae iure canonico de quinquennio sancita sunt. Et quamvis ignorantia iuris non excuset, excipitur tamen casus quo quis aetate minor existat *l.* 9 *ff. de iur. et fact. ignor.*, vel si maior extitisset, cum agatur non de lucro captando; sed de damno vitando, eadem iuris ignorantia posset allegari *l.* 8 *ff. eod.* Quibus si adiungas temporum circumstantias, nempe dispersionis; locorum, nempe magnae a S. Sede distantiae; personae, quae destituta quoque erat mediis ad ipsam vitam substentandam; iam habes sufficiens ad reclamandum impedimentum. Unde etiam Episcopus votum suum Titio favorabile emisit: « ob ignorantiam iuris canonici » super hac materia eo quod nimis iuvenis et absque studiis » esset: et quam primum certior factus est, nempe anno 1849,

» suas preces ad S. Sedem direxit, ut de lapsu quinquennii di-
» spensaretur.»

Quoad secundum dubium. — Ad alterum insuper deveniens dubium, praemisso iuris indubitato principio, nempe quod religiosa professio emissa per vim et metum cadentem in constantem virum irrita est, et praemissa Cardinalis De Luca auctoritate *De Regu. discurs. 44 n. 4* ubi ponderat nonnisi ex individuis casuum adiunctis gravitatem vis et timoris diiudicari posse: contendebat defensor hanc vim et gravem metum ex testium depositionibus demonstrare, qui in interrogatorio deposuerunt avunculos affecisse Titium in ea tenera aetate, molestiis, minis, obiurgationibus, colaphis et gravioribus percussionibus; ipsumque terruisse timore expulsionis in longinquam regionem aliisque similibus, et quidem eo animo, ut Defensor *arguebat*, ut Titius Regularis Ordinis A. fieret. Accedit quod alter Titii avunculus cum esset eiusdem religiosae domus superior, concurrebat etiam minis et suasionibus, ex aliorum mandato, ut Titius induceretur ad illum Ordinem amplectendum.

Conabatur praeterea Defensor duplicem refellere obiectionem, depromptam tum ex *testibus* utpote qui erant Titii fratres, tum ex eorum *depositionibus*, quasi testati non essent hanc vim et metum ad finem profitendi, fuisse incussum. Animadvertebat enim quoad primam, quod, cum agitur de coactione quae locum habet intra domesticos parietes, sufficiunt leviores probationes, imo indicia, coniecturae, et admittuntur etiam testes singulares, sanguine et amicitia iuncti. Pignat. *loc. cit. n. 46*. Rota *decis. 9 coram Arguelles* §. *74 et 76 etc.* Excludere curabat alteram cum haec in depositionibus habebantur: « Avunculi sibi proposuerunt Titium fieri debere
» religiosum Ordinis A. quamvis ipse aperte resisteret – et alibi –
» ipsi (avunculi) loquuti sunt eodem tempore cum Superiore ut
» eum reprehenderet et induceret ad amplectendam religionem,
» qui (superior) minatus est. . . . si avunculis non complaceret,
» statum religiosum amplectendo. » Proinde concludebat, cum agatur de reverentiali timore, minis, percussionibus, aliisque coniuncto, sufficiens debet existimari ut professio religiosa irrita censeatur. Pignatel. *loc. citat.* aliique.

Quoad tertium dubium. — Contendens insuper praestitum a Titio consensum in professionem religiosam fuisse etiam simula-

tum, ad tertium deinde descendebat dubium implorans a S. Sede saltem dispensationem, ex supra allegatis causis, ex conditione praesenti in qua Titius reperitur, propositis S. C. aliis dispensationis concessae exemplis.

Defensio professionis religiosae quoad primum dubium. — E contra Defensor Religiosae professionis in causae merito contendens locum non habere beneficium restitutionis in integrum, et praemittens praeter Tridentinam sanctionem, id quod Benedict. XIV declaravit in const. *Si datam* scilicet « omnem aditum ad recla- » mandum professis interclusum esse.... post quinque annos ab » emissa professione ; » etenim ut observat Reiffenstuel *l.* 3 *tit.* 31 *n.* 201 *decr.* « alias non obviaretur litibus, nec religio- » nes gauderent tranquillitate, quod fuit praecipua mens et » intentio Tridentini,» adnotabat praeterlapsum fuisse, non quinquennium tantum, sed tria circiter quinquennia a professione emissa ad primam reclamationem. Quamvis autem ille qui impeditus est legitime intra quinquennium, allegatis deinde causis impedimenti legitimi, restitui possit; Reiffenst. *l.* 1 *tit.* 21 §. 1, tamen in praesenti themate, huiusmodi causas aiebat desiderari. Causa enim haec non est iuris ignoratia, quae non admittitur. Neque defectus studiorum et culturae, neque loci distantia eludere possunt, quae iure sunt sancita. Aetatis insuper Titius erat qua, intra longum quinque annorum spatium, consilium petere ab eruditis viris facile potuisset. Neque carentia mediorum allegari valet, cum intra illud spatium potuisset simplici supplicatione et querelarum enarratione exhibita, tum Ordinario loci, tum Superioribus regularibus, sine expensis facile reclamare; vel si extra coenobium fuisset, sufficiebat ut preces ad S. Sedem dumtaxat mitteret, quibus actio perpetuabatur. Quibus levibus curis non habitis, concludebat, indicium satis grave enasci de expiscata postea causa nullitatis, et aliunde potius quam ex propria nullitatis persuasione.

Quoad secundum dubium. — Suppositis praeterea etiam iustis causis propter quas Titius reclamare non potuerit (prosequebatur) post Constitutionem *Si datam,* tunc conceditur in integrum restitutio, cum clara ita appareat probatio nullitatis, ut illa concessa, censeatur causa veluti definita; quam claram probationem nullitatis contendebat nullimode adduci. Vis enim et metus cum

sint res facti non praesumuntur, sed concludenter probari debent. *l. cum te l. metum C. de his quae vi.* Innocen. III in *cap. Causam de off. Deleg.* Mascard. *de prob. conclus.* 1051. Excipiebat porro contra testes eorumque depositiones, aiendo, primum interrogatorium simpliciter a testibus confirmatum fuisse, quin formiter adducerent causam scientiae, prouti oporteret *cap.* 36 *de test. et attestat.* Et cum ex actis non eruatur eos cum Titio convixisse, ipsi videbantur reduci ad testes de auditu, qui multo minus fidem facerent, si illud quod testabantur ab ipsomet Titio recepissent. Nullus enim idoneus testis in re sua intelligitur. *l.* 10 *ff. de test.* Praesertim cum ipsi essent Titii fratres, qui eo ipso quod tales extiterint, eorum depositio suspecta est. Voet *ad Pand. l.* XXII *tit.* V §. 4 etc.

Intime vero depositionibus inspectis, eruebat causam percussionum et timoris incussi ab avunculis, eo tendisse ut Titius in literas incumberet a quibus abhorrebat. Porro huiusmodi castigationes et minae etiamsi fuissent gravissimae, si non fuerint illatae ad illum praecise finem extorquendi consensum, vel professionem, non sunt in consideratione habendae, neque irritant professionem, ceu in casu duriori ponderavit Rota *decis.* 798 *n.* 58 59. Unde etiam illud in iure exploratum habetur, quod si quis Religionem profiteatur ad evitandum malum aliquod, etiam praegrande, quod in saeculo immineret, valide profitetur, licet alias professurus non fuisset, ceu S. C. C. *in Corduben. Null. praef.* 28 *Iulii* 1731 §. *at.* et Fagnanus *in cap. si quis* 82 *de Regul.*

Animadvertens insuper quod reliqui testes (qui de eo quod tempore novitiatus evenerit deponebant) vim et metum, novitiatus tempore Titio incussum non testabantur, arguebat potuisse libere omnino Titium se determinare ad profitendum, et ita se determinasse erui posse censebat ex iugi silentio per quindecim annos circa huiusmodi professionem observato.

Quoad tertium dubium. — Quare concludebat, cum nullimode constet de vi et metu ad profitendum illato, deficiente qualibet alia causa, quae ceteroquin gravissima ad dispensandum super hac re esse debet Mascat *in ins. Can. l.* 3 *tit.* 3 *n.* 29. Sanchez *de matrim. lib.* 8 *disp.* 8. §. 8. locum haud esse apostolicae dispensationi. Desiderium enim acquirendi pristinam libertatem, facultas

ducendi uxorem, nunquam existimatae sunt causae sufficientes ad hoc vinculum relaxandum.

Dubia.

I. « An sit locus restitutioni in integrum in casu. »

II. « An constet de nullitate professionis in casu. »

« Et quatenus negative ad II. »

III. « An consulendum sit SSmo pro dispensatione in casu. »

Solutio dubiorum. — Sacra Cong. EE. et RR. causa discussa die 12 Augusti 1864 censuit respondere: ad I. II. et III. *negative*.

Ex iis inter caetera colliges.

I. Regularem agentem contra suam professionem audiri non debere a iudicibus ordinariis, si elapsum sit quinquennium ab emissa professione.

II. Quare ut agere possit pro professionis nullitate, debet a S. Sede implorare extraordinarium beneficium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii.

III. Hoc beneficium vero non concedi, nisi constet de causis legitimis, propter quas intra utile quinquennium reclamare Regularis non potuerit, et maxime si non constet de bono iure, quo ipse uti valeat contra suam professionem, posteaquam hoc beneficium restitutionis obtinuerit (1).

IV. Colliges etiam, irritam declarari non debere professionem religiosam ex vi et metu, nisi duo haec simul firmis probationibus demonstrentur, nempe *a*) vim et metum fuisse gravem, et cadentem in constantem virum, (2) et *b*) incussum fuisse prae-

(1) Secundum Constitutionem *Si datam*, cum a S. Sede conceditur in integrum restitutio, censetur causa super professionis nullitate quasi definita; iudices tamen ordinarii, quibus causa remittitur, deberent super nullitate iudicare. Verum quando praeter restitutionem in integrum petitur a S. Sede etiam dispensatio, prouti in casu, S. Sedes ad se integram avocat causam. Item cum aliae concurrant extraordinariae rationes causam integram avocandi: nec non cum postulantes et iudices inferiores, uti assolet, ad evitandum fere inutilem causae regressum, totam causam iudicandam remittunt S. Sedi; adeo ut videatur modo praxis veluti constans qua cum petitur a S. Sede in integrum restitutio, S. Sedes iudicare solet etiam super dubio de professionis nullitate.

(2) Cum in iure gravis metus aliquo modo determinatur, et dicitur ille qui cadit in constantem virum, tráditur illis verbis quaedam regula quae singulis, in casibus, adiunctis individuis personarum spectatis applicanda est prudenti

cise ad consensum extorquendum in ipsam religiosam professionem.

V. In praesenti vero causa infirma fuisse argumenta ad haec duo demonstranda multiplici ex capite.

VI. Hisce autem in adiunctis neque esse dispensationi locum. Religionis enim Sanctitas non sinit ut fides supremo Numini data, sera poenitentia frangatur.

MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI SUPER ITINERATIONE IN VIIS FERRATIS.

Die 19 *Iunii* 1863.

Compendium facti. Cum SSmo D. N. supplex, celato nomine, libellus oblatus esset in quo Orator inter Religiosos franciscales ab observantia nuncupatos, adscriptus, abusiones in provincia A. circa Regulam S. Francisci invectas ac nominatim circa usum calceamentorum lamentabatur, ac praeterea declarationem postulabat an Fratribus sub purae eiusdem regulae vexillo militantibus, in itinere faciendo, curribus uti liceret vi vaporis impulsis ; Sanctitas Sua supplicem eumdem libellum S. Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae remittendum curavit, ut ea de re accurate videret et in Domino super precibus decerneret.

S. C. ante omnia Generalis Ordinis Franciscalis ab observantia sententiam rogavit, qui circa usum calceamentorum retulit constantem ubique et uniformem regulam non posse praescribi. Quod vero pertinet ad currus vaporiferos, pro itinere Fratrum adhibendos votum a Definitorio emissum amplectebatur, nempe recentium eorum curruum usum per Regulam S. Francisci non prohiberi; neque esse illicitum, si iusta cum causa et sine pecunia usurpetur; eumdem non licere ex titulo meae recreationis; denique supremis Moderatoribus invigilandum esse, ne sine sua licentia, itinera in viis ferreis suscipiantur. S. Congregatio votum insuper exquisivit unius ex suis Consultoribus qui itinerationem in viis ferratis a Regula S. Francisci proprie

iudicis arbitrio. Ille ex. gr. metus qui constantem virum non moveret, terrere potest meticulosam puellam, adeo ut pro hac puella censendus sit gravis.

non interdici autumabat: ad praecavendos tamen abusus id praescribi oportere censebat, ut nemo sine venia Superioris loci et iusta causa, ubi loca gratuita non adessent, in illiusmodi viis iter facere auderet. Quare duo S. C. fuerunt proposita infra scripta dubia.

Disceptatio Synoptica.

Ex officio praemittebatur copiosa et erudita iuris expositio ad quaestionis elucidationem. Observabatur enim constare inter omnes Regulam S. Francisci *in forma* quam dicunt *specifica* ab Honorio III. approbatam fuisse in Constit. *Solet,* eamque confirmasse sequiores Pontifices, quorum aliqui eamdem insuper pluribus in rebus declararunt *cap. Exiit.* III. de V. S. *in* 6 (1) in quo etiam discrimen positum est inter capita quae in Regula consilium et quae praeceptum important: atque adeo praecepta ipsa subdivisa sunt inter ea quae formalia et eminentia, quae virtualia, quae vim habentia, quae aequipollentia reputarentur. Iam vero ex eiusdem capitis verbis praecepta aequipollentia, veram ac plenam obligandi vim habent; super haec, praeceptum de non aequitando inter aequipollentia dissertissime in Clementina *Exivi* recensetur.

Urbanus VIII in *Const. Militantis* 1 Iunii 1610 §. *Ne autem,* poenas in eos constituit, *qui sine manifesta vera gravique necessitate aut infirmitate, et absque licentia Provincialis vel in casu urgenti Superioris localis de consilio et iudicio trium discretorum Conventus scriptis obtenta, equitare ausi sint* (2). Post haec plura adiicebantur huic Constitutioni consonantia, quae sancita extant in specialibus constitutionibus familiarum franciscalium, nec non ea quae tradunt expositores Regulae S. Francisci, inter quos S. Bonaventura *in expost. Reg. S. Francisci pag.* 340 *inter eius opp. t.* 7 haec habet « Sed pro seclusione equitationis subdit (regula) *et non* » *debeant equitare,* ac per consequens nec bigare, nec quadriga» re quae maioris sunt sumptus, nisi manifesta necessitate pro-

(1) Item *Clement. Exsui I de V. S. Extrav. Quorumdam eod. tit.*

(2) Id ipsum praescripserunt Innocentius XI *Const.* «*Sollicitudo Pastoralis*» 20 *Nov.* 1679 Innocentius XII *Const.* « *Alias a felici* » ac denique Bened. XIV. *Const.* « *Iniuncti nobis* » edita pro familia Capulatorum S. Francisci, praeter ea quae sancita reliquere de non equitando Martinus V et Iulius II.

» lixi vel impediti itineris vel negotii urgentis vel infirmitate » cogantur, dicit autem *non debeant* pro eo quod debeant non » equitare. » Ceterum expositores docent sub censura Regulae Franciscalis non cadere navigationem. Imo de itineratione in curribus, qui aliter quam ab animalibus impelluntur, censet De Amoeno *de delictis et poenis* t. 3 tit. 9 §. 2 eam a Regula non prohiberi, et recentiores expositores (1) consentiunt omnes usum iter ineundi in viis ferratis per se non esse prohibitum, ex eo quod Sanctus Regulae conditor eum nedum comprehendere, sed nec mente potuit sibi fingere.

EA QUAE VIDEBANTUR PECULIARITER OBSTARE HUIC ITINERATIONI.—Hisce praestitutis, animadvertebatur triplicem esse finem, quem ex communi Expositorum doctrina, in equitatione inhibenda lator legis sibi proposuit, nempe ut daret formam solicitudinis evitandae in procurando pretio equitationis, humilitatis observandae, et austeritatis exercendae. At vero ad iter in viis ferreis suscipiendum requiritur pretium; inceditur more nobilium aut saltem divitum; denique commodius, quam super equo vel curru ab equis educto, iter absolvitur.

Insuper cum quod minus est prohibetur, etiam quod maius est prohibitum censeri debet, si fini quem lator legis sibi proposuit adversetur; itaque cum bigare et quadrigare maius sit quam equitare, hinc fit quod a D. Bonaventura et Expositoribus sub Regulae franciscalis censura bigatio et quadrigatio cadere communiter tradatur. Atqui ferri ac rapi in viis ferratis etiam maius est, quam bigis vel quadrigis vehi. Itaque Benedict. XIV. in *const.* « *Iniuncti nobis* » dum poenas constituit in eos, qui absque causa utantur cisiis, subdit aeque interdici quodlibet aliud commodum. Quae loquendi formula generica est, ac latissime patet.

Praeterea cum aliquis actus prohibetur, contrarius eius iniunctus intelligitur; sic si prohibeatur otium, occupatio ac labor impositus existimatur. Quando itaque interdicitur equitatio, pedestris itio et incessus iniunctus esse dicetur. Iamvero si pedestris ire debeas, iam nec in curru qualibet ratione dimoto adactoque incedere tibi permissum erit.

Tandem observabatur usum curruum vaporiferorum multis incommodis facillimam aperire viam. Nam primo pretium inve-

(1) P. Cunicatti, Albertus a Bulsano Pater Samuele a Laude Pompeia vulgo *Lodi*.

niendum est; datur Fratribus occasio vagandi; exponitur Ordo Regularis subsannationibus eorum qui simul in curribus iisdem invehuntur, idque magis hisce temporibus, quibus Regularis habitus infestis oculis conspicitur.

Obiectionum solutiones. — Verum haec obiecta facile diluebantur. Respondebatur enim ad primum, *finem legis non cadere sub legem:* quamvis itaque triplicem illum finem S. Franciscus sibi proposuerit, non idcirco dici debet in equitationis interdictae praeceptum labi ille Frater, qui commode laetanter iucundeque, cum honorifico comitatu iter pedestre conficiat: esto quod ex alia causa peccatum non effugiat. Neque in curribus vaporiferis, ubi sedes diversorum graduum distinctae sunt, saltem relate ad alios saeculares, Religiosus triplicem illum finem paupertatis humilitatis mortificationis obtinere posse prohibetur.

Ad alteram obiectionem respondebatur eidem locum esse, cum res maior ad idem genus attinet, ad quam attinet minor: sic bigatio et quadrigatio eiusdem generis est ac equitatio, adeoque minime permissa reputatur. Aliter tamen est, cum res ipsa diversi generis sit; et sane navigatio ad praeceptum de non equitando haud pertinet, adeoque sub huiusmodi praeceptum non cadere communiter docent Expositores.

Tertia obiectio valet, quando inter utrumque actum nil medii est, veluti non est inter otium et laborem: at vero inter equitationem et pedestrem itionem adest navigatio, quae tamen prohibita non est, ut innuimus.

Circa ultimam obiectionem observabatur nihil esse in rerum natura, quod incommodis et abusibus viam sternere non possit, si debitae cautiones negligantur: huic provide pro virili curandum est, ut incommoda si quae sint reparentur, atque adeo quoad fieri potest praecaveantur.

Dubia.

I. « An locus sit alicui providentiae circa adsertam inobser-» vantiam Regulae in genere, ac nominatim super calceamentis » in casu.»

II. « An et quomodo usus curruum in viis ferratis vaporis » impetu adactorum Fratribus Minoribus Observantibus permis-» sus sit in casu.»

*

Resolutio dubiorum. — Sacra Congregatio EE. et RR. die 19 Iunii 1863 respondere censuit ad I. *ad P. Ministrum generalem qui quatenus vera sint exposita, procedat iuxta Regulam Ordinis: et quoad calceamenta Dilata,* (1) *et idem Minister Generalis magis praecise referat, audito voto Definitorii Generalis.*

Ad II. *affirmative ex rationabili causa de licentia Superioris prout in rhedarum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis.*

MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI SUPER CALCEAMENTIS.

Compendium facti. Generalis Administer Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, mandatis obsecutus a S. C. Ep. et Reg. eidem datis in resolutione ad primum dubium in causa *Min. Obs. S. Francisci super itinerat. in viis ferratis diei* 19 *Iunii* 1863, quam modo retulimus ut ad monitum Eminentissimorum Patrum magis praecisam relationem super calceamentis, audito voto Definitorii, suppeditaret, suas partes esse duxit literas die 5 Martii anni 1864 Sacro Consilio rescribere, quibus de sententia Definitorii pluries desuper auditi significabat, *quod* in Regulae praecepto deprehendi nequeat prohibitio cuiusque materiae ad cooperiendos pedes idoneae, ubi id necessitas non exigeret, *quod* iuxta vim praescriptionum Apostolicarum, doctrinae Expositorum, ac traditionis ad ea usque tempora non posset admitti usus sandaliorum eo sensu, ut maior pedis pars superius detecta et nuda maneat: *quod,* quoniam de re agitur, quae maximam latitudinem recipit, non sit mirandum, si aliqualis opinionum atque usuum difformitas extiterit; *quod* periculosum ac difficillimum sit perfectam ubique uniformitatem aequalitatemque inducere. Denique, tametsi aliqui fortasse invecti fuerint abusus, nihilominus cum iam declarationes ad eos avellendos editae iam existant, concludebat magis expedire si nihil innovatum foret, ac potius in id insisteretur, ut Superiores ponti-

(1) Quando aliqua resolutio differtur, adhibetur clausula - *Dilata* - nempe - *dilata resolutione* - vel *dilata est resolutio.*

ficiarum sanctionum observantiam promoverent, unaque invigilarent ne exoriantur abusus, et exorti statim extirpentur.

Disceptatio synoptica.

Generalis Administri literae cum in plenario auditorio S. C. Ep. et Reg. referendae essent, a re alienum non esse existimatum est, si super hoc Franciscalis Regulae capite, quod est de calceamentis, aliqua pro more exponerentur. Patriarcha Seraphicus in suae Regulae *Cap.* 2 *circa finem* ita statuit – *et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta* – S. M. Urbanus VIII. in Const. *Sacrosanctum* 1 Octob. 1623 *Bull. Mag. tom. V. pag.* 362 declaravit, quod Fratres iuxta suorum Decessorum praescriptionem – *calepodiis seu sandalis apertis dumtaxat incedere teneantur, neque alio operimento pedum panneo seu alterius cuiuscumque materiae existat, absque expressa licentia uti possint.* – Ad similem declarationem si non ipsis verbis, at iuxta eamdem sententiam edidit Innoc. XI. in Const. *Sollicitudo* 20 *Nov. Bull. Mag. Tom.* 8 *pag.* 119. Post haec recitabatur huius, quo de agimus, capitis expositio a D. Bonaventura tradita *in Expos. Reg. Oper. Tom.* 7 *pag.* 337. *Romae Typis Vatican.* 1696. Subinde textus statutorum, quae hodie in familia Fratrum Minorum de Observantia vim et vigorem obtinent, circa pedum cooperimentum referebatur *in Cap.* 2 §. 10 *n.* 147. Ibi porro memoratae Urbani VIII. et Innocentii XI. Constitutiones allegantur, et ea quae ab ipsis ibi disposita sunt repetuntur et confirmantur. Addebatur insuper dispositio *Cap. V.* eorumdem statutorum, quae sic se habet – *Pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantum et Custodes solicitam curam gerant, secundum loca ac tempora, et frigidas regiones sicuti necessitati viderint expedire.* –

Dubium.

« An locus sit alicui providentiae super calceamentis in casu.»

Resolutio dubii. — Sacra Congregatio EE., et RR. die 8 Iulii 1864 rescribere censuit *Ad P. Ministrum Generalem, qui curet servari Regulam et Constitutiones Ordinis iuxta declarationes Summorum Pontificum, remotis si qui sunt abusibus.*

Ex hac et antecedenti causa quae Seraphicum Ordinem respiciunt, nihil utilius inferre posses, quam praeclaram austeritatis humilitatisque virtutem, quae in Seraphico Ordine iugiter splendescit: quam virtutem frustra quaereres, tum extra catholicam veramque Christi Domini Ecclesiam, tum apud eos qui licet catholici vulgo appellentur, integram tamen gloriam felicitatemque reponunt in humanarum rerum usu artiumque inventis; adeo ut *pervertentes propriam rerum creatarum existimationem*, inepti redduntur ad haec virtutum exempla ut par est aestimanda, prouti Ecclesia semper aestimat et legibus promovet.

EX S. CONGREGATIONUM SS. RITUUM.

PLURIUM DIOECESUUM

9 *Iulii* 1864.

Decretum. « Nonnulli Rmi Galliarum Antistites, serio perpendentes, in multis suarum Dioecesuum Ecclesiis, difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus, comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadam ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt utrum in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo. Sacra porro Rituum Congregatio, etsi semper sollicita ut etiam in hac parte quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur; attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde, exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus eiusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis. Emi autem et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt. « *Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero*

haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus » Die 9 Iulii 1864.»

« Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die 14 iisdem Mense et Anno.»

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Animadvertebat Consultor, esse ponderandam Ecclesiae firmitatem in retinendis illis materiis, ab exordio Ecclesiae ipsius adhibitis, in iis quae ad sacrum usum spectant. Constat enim in quaestionibus non admodum dissimilibus, Sacram C. R. prohibuisse usum cerae vulgo *Stearinae*, uti iam prohibuerat usum Gossypii etc. in sacris paramentis, hoc adducto principio, nempe: *quod usque ab Ecclesiae primordiis.... ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur et omnino servetur. Dec. Gen.* 15 *Maii* 1819.

Demonstrans praeterea constantem fuisse olei olivarum usum in Ecclesia in re de qua agimus, eumque usum praescriptum a Deo fuisse etiam in veteri foedere *Exod. XXV*, 6 *XXVII*, 20: ibi «Praecipe filiis Israel, ut offerant oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum ut ardeat lucerna semper» item *Levit. XXIV*, 2: subiungebat, non casu huiusmodi oleum electum a Deo fuisse, et ab Ecclesiae primordiis in sacrum usum adhibitum. Etenim sub eo symbolo generatim plura mysteria denotantur. Oliva enim est symbolum pacis *Pontif. rom. p.* 3 *in consecr. Chrismatis*, et pacis Regem figurat. In omnibus enim sacris rebus, prouti ait auctor libri *De divinis officiis* qui tribuitur Albino Flacco Alcuino, *Christus nobis ad memoriam reducendus est.*

Insuper in olivarum oleo reperiuntur sublimes praerogativae Nominis eiusdem divini mediatoris. S. Bernardus, *sermo* 15 *super*

cantic. Hinc Ecclesia eo utitur in sacris ritibus benedictionibus consecrationibus etc.; et plura similia adducens, indicata olei olivarum origine, animadvertebat, plane aliud dici debere de eo, quod *petroleum* dicitur. Haec enim de eo in Chymica periti docent: petroleum est species bituminis liquidi, quod sub terra progignitur ex decompositione organicae substantiae; hic liquor similis oleis volatilibus, componitur ex carburetis hydrogenicis varie commixtis, et ideo summe combustibilis. Neque fuit antiquis ignotus, qui, ceu tradunt Erodotus Plinius et Dioscorides, eo utebantur in medicinae usibus, ac praesertim ad lucem habendam et calorem ciendum. Attamen propter malum odorem, eiusdem usus non invaluit (si excipias Persas aliosque Asiae populos) nisi praesenti aetate, invento modo quo expurgetur, qua expurgatione non accurate peracta, praeter tetrum odorem, gignere potest etiam explosiones et incendia.

Quare concludebat Consultor, in re de qua agimus, adhiberi debere olivarum oleum, excepto necessitatis casu ex totali deficientia eiusdem olei. Quae confirmabat auctoritate S. Caroli Borromaei in *Act. Mediol. p.* 4. « Lumen lampadum oleo olivae » nutrietur, nec vero alterius generis adhibeatur, nisi quibus » locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum » eius generis haberi potest » et alibi in XI. *Syn. Dioec.* Nec non Cavalieri in *Comm. decret. S. C. Rit. t.* 4 *c.* 6 *dec.* 15 « oleum » quo nutritur eiusmodi lumen debet esse ex olivis expressum, » nec alterius generis admittitur oleum, nisi ubi illud haberi » non possit. » Item Baruffaldi in *Comm. Rit. rom. tit. de SSmo Euch. sacr. n.* 73. « Lumen vero lampadis oleo olivae nutriatur, » nec alterius generis adhibendum est, nisi quibus locis Ordi- » narius ob eam causam concesserit, quia nullam eius generis » haberi possit. »

Ex quibus colliges.

I. Omnino convenire, etiam in illis materiis quae ad divinum cultum destinantur, venerandam antiquitatem servare.

II. Praesertim vero si eiusmodi materiae aliquam secumferant mystici signi rationem.

III. Quare quidquid novitatem etiam in hisce rebus redolet, quamvis sub alio respectu vel minoris momenti vel utile esse

videatur, induci in ecclesiis non debet nisi exigente necessitate.

IV. Hinc in quaestione de qua agimus in solo casu deficientiae olei olivarum, Episcoporum prudentiae remitti usum aliorum oleorum quantum fieri potest vegetalium, eorum nempe quae aliquo modo minus distent ab oleo olivarum.

EX S. CONGREGATIONE S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS.

DECRETA *lata a S. Congregatione S. Rom. et Univ. Inquisitionis super dubio « An Sacramentum extremae Unctionis, oleo ab Episcopo non benedicto, ministrari valide possit. »*

Feria V coram SSmo die 13 *Ian.* 1655.

Sanctissimus D. N. D. Paulus V. in Congregatione generali coram se habita, praevio maturo examine et censura propositionis sequentis « quod nempe Sacramentum Extremae Unctionis, oleo Episcopali benedictione non consecrato, ministrari valide possit » auditis DD. Cardinalium suffragiis declaravit. *Dictam propositionem esse temerariam et errori proximam.*

Feria IV die 14 *Settem.* 1842.

In Congregatione generali habita in conventu S. Mariae supra Minervam, coram Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio « an in casu necessitatis, Parochus ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis uti possit oleo a se benedicto » iidem Emi decreverunt: *negative ad formam Decreti Feriae V. coram SSmo diei* 13 *Ian.* 1655.

Eadem die et Feria.

SSmus D. N. D. Gregorius Div. Prov. PP. XVI. in audientia Assessori S. Officii impartita, resolutionem Eminentissimorum approbavit.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

URBIS ET ORBIS

11 *Aprilis* 1864.

Decretum. Quamplures Romani Cleri Sacerdotes, ac praesertim Animarum Curatores dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae enodandum proposuerunt « Utrum, scilicet, Sacerdos celebrans in Altari Privilegiato legendo Missam de Festo Semiduplici, Simplici, Votivam, vel de Feria non privilegiata, sive ratione expositionis Sanctissimi Sacramenti, sive Stationis Ecclesiae, vel alterius Solemnitatis, aut ex rationabili motivo fruatur privilegio ac si legeret Missam de Requie per Rubricas eo die permissam? »

Sacra itaque Congregatio, quae habita fuit apud Vaticanas aedes die 29 Februari 1864 auditis Consultorum Votis, respondendum esse duxit « *Affirmative, deletis tamen verbis* » aut ex rationabili motivo « *et facto verbo cum Sanctissimo* » Facta insuper, per me infrascriptum eiusdem S. Congregationis Secretarium, Sanctissimo Domino Nostro relatione, in Audientia diei 11 Aprilis eiusdem anni, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum Sententiam benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria ipsius S. Congregationis Indulgentiarum die 11 Aprilis 1864.

F. Antonius Maria Card. Panebianco Praefectus.

Loco ✠ Signi

A. Colombo Secretarius.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Observabat Consultor non raro accidere, ut tempore expositionis SSmi Sacramenti in forma quadraginta horarum, vel Stationis, occurrat officium alicuius Sancti, ritus semiduplicis vel simplicis vel feriae non privilegiatae. Porro ob has extrinsecas rationes, expositionis nempe et solemnitatis Stationis, vel non licet vel non decet celebrare Missam de Requie. Quare cum Missa de Requie hisce diebus (ritus semiduplicis vel simplicis etc.)

ex praescripto Rubricae celebrari debeat, ut quis fruatur privilegio Altaris, expendebat Consultor dubium « Utrum scilicet Sacerdos celebrans in Altari privilegiato legendo Missam de Festo semiduplici, simplici, votivam, vel de Feria non privilegiata, sive ratione expositionis SS̃mi Sacramenti, sive Stationis Ecclesiae, vel alterius solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio ac si legeret Missam de Requie per Rubricas eo die permissam. »

Initio animadvertebat Altaris privilegium, situm esse in applicatione fructus medii pro animabus in purgatorio extantibus, cui applicationi *per modum suffragii* plenaria indulgentia adnexa ab Ecclesia est. Quare rei natura attenta, optime cohaerere potest privilegium altaris cum celebratione cuiuscumque Missae.

Unde hoc privilegium, quod prius concedebatur solummodo in celebratione Missae de Requie, modo autem aucto numero Missarum Ritus duplicis ad has quoque extensum est. Quare non est hoc Altaris privilegium ita essentialiter connexum cum Missa de Requie, ut cum aliis Missis coniugi non possit.

Et sane Alexander VII. in *Constit.* « *Creditae nobis* » *diei* 22 *Ianuarii* 1667 concessit in altaribus privilegiatis in perpetuum, satisfieri posse obligationibus legendo diebus ritus duplicis Missas *de festo currenti, et suffragari cum iisdem indulgentiis perinde ac si essent celebratae Missae de Requie ad formam privilegiorum etc.*

Quam declarationem Clemens IX. in *Const. diei* 23 *Septembris* 1669 extendit etiam ad altaria privilegiata ad tempus vel ad nonnullos dies in hebdomada. « *Cumque* (ita R. Pontifex) *etiam dubitetur utrum dictarum Literarum dispositio* (nempe Alexandri VII. mox citata) *quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadae diebus, et ad quae Missae non ex obligatione sed ex sola fidelium devotione celebrantur locum habeat* » concessit et indulsit « *ut Missae quae ibidem de festo currenti in quo Missae defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, ita ut animae Christifidelium pro quibus celebratae fuerunt, Indulgentias per privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus et per omnia, perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent.* »

Imo altero exorto dubio pro diebus, in quibus ritus non est duplex, tamen Missae de Requie prohibentur, ut in diebus Dominicis, infra Octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, aliisque diebus, Innocentius XI. in Const. – *Alias – diei 4 Maii* 1688 hoc dubium sustulit hisce verbis « *praefatas Alexandri et Clementis Praedecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus iuxta Rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt.*»

Hinc propius Consultor accedens ad quaestionem praesentem, accurate quaerebat an haec extensio privilegii Altaris ad Missas ritus duplicis, intelligi debeat tantum de casu in quo prohibitio Missae de Requie ex Rubricis repetitur, vel etiam cum repetenda est ex particulari dispositione. Sic ex. gr. Clemens XI. in Instructione pro oratione continua quadraginta horarum ante SS̃mum Sacramentum edixit « *Non si celebrino Messe di Requie nel tempo che durerà l' Orazione di Quaranta ore* » quae latine sonant « Non celebrentur Missae de Requie tempore quo perdurabit Oratio Quadraginta horarum.» S. R. Congregatio in *Warsavien. diei 7 Maii* 1746 censuit Missas de Requie celebrari non posse, si expositum sit SS̃mum Sacramentum etiam in pixide, si oratio sit pro publica causa. Neque insuper eiusmodi Missae celebrantur quamvis a Rubricis non prohibitae iis diebus, in quibus Stationis solemnitas in ecclesiis occurrit.

Porro hisce in adiunctis, sicuti etiam in casu quo interveniat alia rationabilis causa, puta aliquod solemne triduum occasione Beatificationis, vel solemne octavarium causa Canonizationis, censebat Consultor posse celebrari Missam Ritus semiduplicis etc. et altaris privilegiati indulgentiam percipi.

Et sane privilegii extensio ad Missas ritus duplicis a RR. PP. concessa est « *ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit* » *S. C. R. in Decret. Urbis et Orbis* 15 *Septem.* 1714 *et approb. a Clemente XI die* 29. *eiusdem mensis.* Haec porro ratio viget, sive celebrationi Missae de Requie Rubrica resistat, sive particularis dispositio, sive alia rationabilis causa.

Insuper quod ad Orationem quadraginta horarum attinet, (prosequebatur Consultor) Pius VII. rescripto diei 12 Maii 1807 declaravit singula altaria esse privilegiata in ecclesia tempore dictae expositionis. Manente itaque prohibitione Clementis XI., qua Mis-

sae de Requie hoc tempore celebrari nequeunt, ampla Pii VII. concessio frustrari videretur in diebus ritus semiduplicis, simplicis etc. quod affirmari non posse videbatur. Cum autem causa propter quam Missae de Requie celebratio dicto tempore prohibeatur, sit ipsa functionis solemnitas, ceu observat etiam Gardellini in *Comm. Instruc. Clementinae* §. 17, et cum haec solemnitas verificetur quoque in supra indicatis casibus, ne ratione solemnitatis detrimentum aliquod obveniat animabus suffragia expectantibus, concludendum esse censebat hoc altaris privilegium ad Missas sive votivas, sive ritus semiduplicis vel simplicis, sive de feria non privilegiata extendi debere.

Cui opinioni suffragari videbatur duplex resolutio S. R. C. in materia huic quaestioni proxima, nempe resolutio dici 16 Februari 1852 in qua S. C. declaravit: « Ut fruatur altari privile- » giato Sacerdos, diebus non impeditis, celebrare debet Missam » defunctorum, et uti paramentis nigris, vel *ex rationabili causa* » *violaceis* » Et magis ad rem de qua agimus, ad dubium « An » Missa de festo semiduplici, votiva vel de feria celebrata in » altari privilegiato, in quo exponitur SS̃mum Eucharistiae Sa- » cramentum sive in Ostensorio sive in Ciborio, suffragetur pro » defunctis, ac si Missa de Requie dicatur in casu » S. C. respondit die 20 Iulii 1751 – *Affirmative* – Hisce omnibus expositis, censebat Consultor ad propositum dubium responderi posse – *affirmative* –

Ex iis facile colliges.

I. Indulgentiam per modum suffragii altaris privilegiati, initio adnexam fuisse tantummodo Missis de Requie.

II. Frequentioribus redditis Missis duplicis Ritus, adnexam a RR. PP. hanc indulgentiam fuisse etiam his Missis, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento esset.

III. Non tamen hanc indulgentiam suffragari illis diebus, in quibus Missa de Requie celebrari potest, si alia non de Requie celebretur.

IV. Eam nihilominus suffragari illis diebus, in quibus licet indoles ritus huic celebrationi non resistat; resistit tamen vel specialis Rubrica, vel aliqua Solemnitas, cuius Solemnitatis duplex exemplum habes in exposito dubio.

URBIS ET ORBIS

27 *Aprilis* 1866.

Decretum. Cum in patrocinio S. Iosephi Sponsi B. Mariae Virginis, maxima Populo Christiano iuvaminis et praesidii spes in dies effulgeat, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. quamplurium Fidelium votis benigne annuens, per Rescriptum Secretariae Brevium die 12 Iunii 1855, concessit omnibus Christifidelibus peragentibus integro Mense Martio pium exercitium, quod in Libro Romae impresso continetur cui titulus: *Considerazioni delle virtù del S. Patriarca Giuseppe a dedicargli il Mese di Marzo:* Indulgentiam trecentum dierum quolibet die, plenariam vero in uno dierum Mensis ad arbitrium eligendo, quo confessi et Sacra Communione refecti iuxta Mentem Sanctitatis Suae oraverint.

Nunc vero Idem Santissimus, ut erga tantum coelestem Patronum devotio magis magisque augeatur, et illa precationis methodus facilius ac latius propagetur, in Audientia diei 27 Aprilis 1865 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, clementer indulsit ut easdem Indulgentias universi Christifideles lucrari possint, dummodo pium aliquod precum ac virtutum exercitium per integrum mensem Martium peregerint, ad instar illarum quae Mense Maio in honorem B. M. V. solent persolvi, servato in reliquis tenore primae concessionis. Voluitque Sanctitas Sua has Indulgentias animabus Fidelium defunctorum per modum suffragii posse applicari; et perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione valituras.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 27 Aprilis 1865.

Fr. Antonius M. Card. Panebianco Praefectus.

Loco ✠ Signi

A. Colombo Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. Feria II. die 13 Martii 1865.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium, a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni expurgationi ac permissioni, in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

L'empire et le Clergé Mexicain, par l'Abbé Testory Aumônier en chef de l'armée française au Mexique, chevalier de la légion d'honneur, officier de l'ordre impérial de Guadalupe. Mexico 1865.

Les Musées d'Italie, précédés d'une dissertation sur les origines traditionnelles de la peinture moderne, par Louis Viardot. Paris 1859.

De la Guerre et des Armées permanentes, par Patrice Larroque ancien Directeur de l'Académie de Lyon. Paris 1864.

Geschicte der kirchlichen Trennung zwischen dem Orient und Occident von den ersten Anfängen bis zur jüngsten Gegenwart, von Dr. A. Pichler Privatdocent der Theologie an der Universität München. 1. Band. Byzantiniche Kirche. München 1864. «*Latine vero:*» Historia Ecclesiastici Schismatis inter Orientem et Occidentem. Auctore Dr. A. Pichler.

L'ultimo Papa per Luigi Gualtieri. Milano 1864.

Poche riflessioni sulla questione del giorno, circa il Cappellano Maggiore e Clero Palatino di Napoli; *et id genus similia.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat; sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. *per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis,* Sanctitas sua *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 14 Martii 1865.

Antoninus Card. De Luca Praefectus.

Fr. Angelus Vincentius Modena Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 15 Martii 1865 supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae supra Minervam. Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis, per me Aloysium Serafini apost. Curs.

Philippus Ossani Maj. Curs.

Decretum. — *Feria III. die* 13 *Iunii* 1865.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. *sanctaque Sede apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni expurgationi ac permissioni, in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Memorie di Scipione De'Ricci Vescovo di Prato e Pistoia, scritte da lui medesimo, e pubblicate con documenti da Agenore Gelli. Vol. 2. Firenze Felice le Monier 1865.

Angelo: Romance original, par Francisco De Moura Secio. *Prohib. Decr.* 13 *Martii* 1865.

Elementos de Direito Ecclesiastico portuguez, pelo Dr. Bernardino T. da S. Carneiro 1865.

Lettre à l'Archevêque de Paris, sur la situation de l'Eglise avant et après la convention du 15 septembre 1864. Paris, Imprimerie de V. Coupy et C. *Prohib. Decr.* 13 *Martii* 1865.

Prisca, ossia la Protomartire di Roma, racconto strettamente storico del primo secolo della Chiesa, per B. N. B. 1864.

La politica in confessione, ossia l' Enciclica ed il Sillabo in rapporto al Giubileo del 1865; Osservazioni del Parroco Mongini cav. D. Pietro, dirette a Monsig. Vescovo di Novara, a Sua Emza il Card. Patrizi, ed altri loro Colleghi nell'Episcopato Cattolico. Torino, 1865. *Prohib. Decr. S. Officii Fer. IV. die* 13 *Maii* 1865.

Auctor operis cui titulus – La Paroisse d'après les Saints Canons, par M. L. Malet curé de Mont-de-Marsan, Paris Jacques Lecoffre Libraire Editeur 1864 *Donec corrigatur; Laudabiliter se subiecit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat; sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. *per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis,* Sanctitas Sua *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 3 *Iunii* 1865.

Antoninus Card. De Luca Praefectus.

Fr. Angelus Vincentius Modena Ord. Praed. S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 16 *Iunii* 1865 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloysium Serafini apost. Curs.*

Philippus Ossani Mag. Curs.

APPENDIX I.

CIRCA NORMAS PRAE OCULIS HABENDAS IN CONCEDENDA FACULTATE MISSAM ITERANDI.

S. C. C. in dubiis solvendis circa Missae iterationem, indicavit Constitutionem Benedicti XIV. *Declarasti nobis,* et caput 5 et 6 operis *de S. Sacrificio Missae* eiusdem Pontificis veluti prae oculis habendam in concedenda facultate iterandi Missam. Quare praestat heic praecipua attingere, quae in indicatis locis ad rem facere videntur.

Ex Constitutione. Ab Episcopo Oscensi expositum fuerat R. P. Bened. XIV. adesse in dioecesi Oscensi nonnullos rectores ecclesiarum parochialium, quibus alia quoque Ecclesia a parochiali longe seiuncta commendata erat, quam ob exiguos proventus aliis sacerdotibus, qui prorectoris munus sustinerent, committere nequibat; hinc fiebat ut rectores ipsi diebus festis Missam iterarent. Exposuit etiam idem Episcopus, se decrevisse in sua synodo, id non licere rectoribus parochiarum, quoties alius sacerdos praesto sit qui Sacrum facere possit in una ex iis Ecclesiis quae rectoribus subiiciuntur. Sed huius synodalis Decreti executionem distulerat propter excitatas querimonias. Rectores enim praefati conquerebantur ex triplici causa. I. Quia non poterant fungi munere suo, quod constitutum est in applicanda et celebranda Missa pro populo, et in explicandis religionis mysteriis, tradendaque pueris christiana disciplina cum conveniunt ad audiendam Missam. II. Quia hanc facultatem semper impetraverant ab Episcopis decessoribus. III. Quia aderat vetustissima consuetudo. Laudatus R. Pontifex censens per seipsum respondere, ac laudans Episcopi agendi rationem, iudicavit illud decretum disciplinae ecclesiae maxime consentaneum, illudque spretis, variis querimoniis debere executioni mandari. Demonstravit insuper more suo, exquisita eruditione, vetitum omnino esse sacerdotibus Missam iterare, excepto casu, in quo non alio modo, possit consuli Populi necessitati.

Sed arrepta occasione ubi Glossa in capite *Consuluisti.* in verbo *necessitatis. De celebrat. Missarum* causae necessitatis adiungit causam utilitatis, haec praeclare ad rem R. Pontifex discutit « bene depre-
» hendimus, Parochos de quibus
» agitur posse tum utilitatem, tum
» necessitatem praetexere, ut sibi
» putent fas esse bis in die celebrare,
» etiamsi alius sit sacerdos qui Sa-
» crum facere valeat : utilitatem
» quippe in eo constituent, quod
» bis ipsi celebrando non submini-
» strabunt sacerdoti celebraturo elee-

» mosynam pro Missa quam celebra-
» bit ; necessitatem in sua inopia
» constituent, ob quam nequeunt
» praedictam eleemosynam alteri
» sacerdoti Missam celebranti elar-
» giri. Et utilitas quidem non suf-
» fragatur : quidquid enim sit de
» titulo utililatis, qui illum admit-
» tunt illum explicant et intelligunt,
» non de utilitate celebrantis, sed
» Missam audientis.... Minus quo-
» que prodest necessitas ex inopia
» desumpta ; cum plura sint expen-
» denda, antequam titulus necessi-
» tatis ex inopia desumptus admit-
» tatur. Primo an revera Parochi
» tanta premantur egestate, ut al-
» teri sacerdoti stipendium Missae
» nequeant suppeditare: si enim ino-
» pia adeo magna non sit, Episcopali
» auctoritate, iuxta caput quartum
» Concilii Tridentini *sess.* 21 *de refor.*
» adigi poterunt, ut sacerdoti Mis-
» sam celebraturo, eleemosynam
» elargiantur ut sapienter admonet
» Engel *ad tit. Decretalium de Cele-*
» *brat. Missar. n.* 3. Secundo si Pa-
» rochis tenues omnino angustique
» proventus obveniant, videndum
» an populus etiam in eadem pau-
» pertate versetur : quemadmodum
» enim Episcopus adigere potest sa-
» cerdotem ut populo sacrum faciat,
» ut celebranti sacerdoti consuetum
» stipendium elargiatur. Id etiam
» ex Tridentino Concilio desumitur
» *sess.* 23 *cap.* 14 *de reform.* ubi haec
» leguntur: *curet autem Episcopus, ut*
» *ii saltem diebus Dominicis, et festis*
» *solemnibus... Missas celebrent.* Si-
» quidem illud verbum *curet* prae-
» ceptum inferre in hac gravissima
» causa non est dubitandum. Hoc
» pacto Concilii sententiam expli-
» cat Pasqualigus, qui scriptum ita
» reliquit *de Sacrificio Missae q.* 844
» *n.* 11 « *Si in aliquo oppido sit unus*
» *tantum sacerdos qui teneatur cele-*
» *brare diebus festis, et adsint alii*
» *simplices sacerdotes, poterit Epi-*
» *scopus eos cogere ad celebrandum*
» *diebus festis. Ratio est quia adest*
» *indigentia Populi eo quod difficile*
» *sit, quod omnes eadem hora con-*
» *veniant ad audiendam Missam, et*
» *ideo cum sacerdotes habeant ratione*
» *Ordinis munus suum addictum po-*
» *pulo, poterit Episcopus eos cogere,*
» *ut impendant officium suum populo*
» *offerendo sacrificium, ut absque*
» *difficultate possit adimplere prae-*
» *ceptum audiendi sacrum. In tali ta-*
» *men casu tenebitur populus aliquid*
» *contribuere iis Sacerdotibus pro sub-*
» *stentatione; quia cum ministrant po-*
» *pulo aequum est quod accipiant ali-*
» *quid pro substentatione.* » Porro
» difficile prorsus videtur omnia
» haec simul copulata deprehendi.
» Quod si res ita se haberet, tunc
» Ven. Frater ex iis eleemosynis,
» quas ipse egenis elargiri large con-
» suevisti, stipendium pro re divina
» facienda Sacerdotibus erogare de-
» beres, nec ullo modo perferre ut
» sacrificium iterent Parochi, quibus
» *non deest alius sacerdos* qui diebus
» festis populo ministret. »

Respondens deinde querimoniis superius indicatis reiicit primam,

*

quia cathechismus fideique mysteria explanari possunt ministerio eiusdem Sacerdotis, qui ad Sacrum conficiendum inducitur. Reiicit secundam quia exceptis Missionariis, quibus aliquando potestas eodem die sacrificium iterandi a S. Sede conceditur, aliis concedenda facultas est ab Episcopo, qui iudicare debet de necessitatis causa. Et refert ad rem verba S. Congr. negotiis et consultationibus Episcoporum praepositae, quae die 25 Octobris 1588, ita Gerundiensi Episcopo rescripsit, qui videbatur ad instar privilegii huiusmodi facultatem concedere « Super » licentiis bis celebrandi, ac pecu» niis, quae pro illarum expeditione, » ut asseritur, solvuntur, miratur » S. Congregatio agi de his licen» tiis concedendis. Nam id nonnisi » ex magna cautela, ut puta in locis » ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, » vel adsint impedimenta adversa» riorum fidei vel quid simile...»

Reiicit tertiam desumptam ex consuetudine, quae in hac materia non potest habere neque vim praescriptivam, neque vim praesumptivam.

Ex opere de S. Missae Sacrif. Ea vero quae ad rem maxime faciunt ex opere de Sacrosancto Missae sacrificio, haec ex capite quinto esse videntur. Reiicit R. Pontifex nonnullas nimis amplas scriptorum sententias, qui casus excogitant iterandi Missam in quibus vera necessitas non verificatur, cuiusmodi sunt casus hospitum, et eorum qui iter faciunt; atque itidem casus ille de principe, aut Episcopo qui die festo Missam non audierit, nec alius quisquam sacerdos sit, qui possit Missam celebrare. Nullum enim est inconveniens si Episcopus vel alia persona nobilis Missam non audiat, quia nullus adest Sacerdos qui iure possit illam dicere; item casus de nuptiis quae differri non possint, vel alter casus qui fere impossibilis videtur ut eveniat. Atque inde concludit: « casum qui revera contingit eum » esse, cum Parochus duas habet pa» rochias... itemque de aliis casibus, » in quibus, vel ob locorum distan» tiam vel ob paucitatem Sacerdo» tum, aut haereticorum aut infi» delium persecutionem, ne fideles » Missa careant, opus est a sacerdo» tibus duas Missas celebrari.»

Et ad rem affert verba concilii Nemousi habitae sub Martino IV. an. 1284, in quo statutum est: *Si omnes parochiani ad unam Missam simul non possunt convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab Ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in Ecclesia duo Sacerdotes et dicta prima Missa, postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam celebrari. Tamen si in prima Missa post receptionem Corporis, et Sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam Missam in praedictis casibus celebrare.*

In capite vero sexto (1) eiusdem

(1) Hoc caput 6 citat S. Alphonsus *in lib.* IV. *tract.* III. *de Euch. cap.* 3 *n.* 356 ubi inquirens in qua necessitate liceat extra ecclesiam celebrare, respon-

libri sermonem facit R. Pontifex de Oratoriis, in quibus Missa celebrari potest, et §. VII haec habet « Lex » quae prohibet ne quis Missam alibi » celebret, quam in templis aut ora- » toriis publicis privatisque (1) prae- » cipuam quamdam restrictionem » habet, si Missa, quae omnino ce- » lebranda sit, non possit in eius- » modi locis celebrari: nam eo in » casu licet sacrificium ubique fa- » cere, dummodo locus in quo fit, » nihil indecori habeat, iuxta *Can.* » *Concedimus de consecrat. dist. I.* » *In itinere vero positis, si Ecclesia* » *defuerit, sub dio, seu in tentoriis,* » *si tabula altaris consecrata, caetera* » *Sacra ministeria ad id officium per-* » *tinentia ibi adfuerint, Missarum so-* » *lemnia celebrari concedimus, aliter* » *omnino interdicimus. - Et iuxta Can.* » *sicut de consecr. dist. I. - Satius ergo* » *est Missam non cantare, aut non au-* » *dire, quam in illis locis ubi fieri* » *non oportet, nisi pro summa contin-* » *gat necessitate, quoniam necessitas* » *non habet legem.* »

Referens deinde tres casus huius necessitatis quos auctores recense- re solent, cuiusmodi est casus Capellanorum in exercitibus sacra- menta administrantium, quibus licet celebrare Missam in castris, et ca- sus eorum qui per infidelium re- giones iter faciunt, in quibus ca- tholicae Religionis usus prohibetur; nec non casus navigantium qui diu Missa caruerunt, quibus, ceu do- cent auctores, potest Missa celebrari in littore maris, semper tamen super petra consecrata, concludit: in loco fluctuanti ut in mari vel fluminibus celebrare non licet alicui, etiamsi gau- deat altari portatili, sine speciali pri- vilegio S. Sedis. Haec ex citatis locis.

Quibus omnibus consideratis, facile quis cognoscere potest quid in examen revocari debeat, priusquam facultas iterandi Missam sacerdoti- bus concedatur. Duo enim ad hanc concedendam debent simul concur- rere, necessitas scilicet ex parte po- puli, et deficientia sacerdotum, qui celebrare possint.

Et quod ad necessitatem populi attinet, non considerari debet ne- cessitas alicuius personae quamvis dignitate fulgentis, sed alicuius po- puli partis, vel alicuius communi- tatis qui Missam diebus festis non audirent sive propter locorum di- stantiam, sive ob alia impedimenta, nisi plures celebrentur Missae. Item si parochiani ad unam Missam si- mul non possunt convenire, eo quod diversis locis habitant distantibus ab Ecclesia, et celebrata Missa postmo- dum ipsi venientes postulent aliam Missam celebrari etc. Maxime vero censetur adesse necessitas ex parte populi, si praeter huiusmodi circum- stantias concurrat etiam parochia- rum multiplicitas quae ab uno re- gantur pastore.

det « I. Ubi sit necessitas qualis esse censetur si Ecclesiae dirutae sint. II. Si populum in solemni festo templum non capit. »

(1) Ex privilegio, prouti ibidem idem Pontifex demonstrat.

Quod autem attinet ad deficientiam sacerdotum, ad quam *prae ceteris* attendi debet, ea deficentia non debet esse conficta et veluti praesumpta, ex eo quod parochus ratione sui officii debeat per se applicare secundam Missam pro populo, ubi duas regat paroecias; vel ex eo quod ratione sui officii debeat, iis qui ad audiendam Missam accedunt, catechismum et fidei mysteria explanare; vel ex eo quod non possit ob tenues proventus eleemosynam solvere alteri Missam celebranti; cum nimis difficile sit, hac reali deficientia redituum probata, deesse alia extraordinaria media quibus hisce indigentiis fiat satis. Neque censeri debet deesse alium sacerdotem, quia alter sacerdos qui adest, licet possit, nolit tamen celebrare ad populi commoditatem. In huiusmodi enim adiunctis potest Episcopus hunc alterum sacerdotem cogere, ut ad populi commoditatem celebret. Quare exclusa hac conficta et praesumpta alterius sacerdotis deficientia, ad cohonestandam Missae iterationem requiritur vera deficientia sacerdotis, qui alteram Missam celebrare valeat.

APPENDIX II.

QUOAD RAPTUM PUELLAE RAPTUI CONSENTIENTIS.

Cum tanta reperiatur inter auctores sententiarum varietas, circa raptus impedimentum, quando puella quae abducitur, raptui consentiat, praestat nonnulla attingere ex actis S. C. C. quae hanc materiam respiciunt. Et quoniam ab auctoribus affertur quaedam vetusta S. C. C. decisio diei 24 Ianuari 1608 (1) his concepta verbis « Concilium procedere » etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris » civilis; » quaerendum est ad quosnam casus haec doctrina in praxi referatur.

Quae definitio ut plenius intelligatur, praenotari debent ea quae sacrae Congreg. Conc. in voto Iurisconsulti exponebantur (2). Proponebatur enim cohaerere optime posse cum natura raptus consensum puellae in ipsum raptum. « Raptus « committitur (sic in voto) etiam » cum muliere volente. *leg. unic. C. de rapt. virg.* §. *si enim* ubi dicitur » quod *hoc ipsum velle mulierum ab* » *insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam inducitur :* idque » procedit etiam de iure canonico » ut probat textus in *cap. placuit*

(1) Datum non est in archivo S. C. C. reperire hanc resolutionem, quamvis diligenter, illud inquisivimus.

(2) Hoc votum refert Riganti loc. supra cit.

» *caus.* 36 *q.* 2 » ibi « *qui rapiunt* » *foeminas, furantur aut seducunt,* et » *cap. de raptoribus caus.* 36 *q.* 1, » et ita expresse tenet Abbas etc. Et » ratio est quam reddit textus in » lege unica his verbis « *nisi enim* » *raptor eam sollicitaverit nisi odiosis* » *artibus circumvenerit non facit eam* » *velle in tantum dedecus sese prodere:* » ideoque mulier rapta semper prae- » sumitur seducta, et decepta. Ab- » bas etc. » et post alia idem Iuris- consultus prosequebatur: « denique » hanc opinionem confirmat textus » *cap. cum causa,* quo manifeste pro- » batur raptum committi etiam cum » muliere volente, dum requirit ad » excludendum raptum, ut antea de » nuptiis actum sit, et ita *non suffi-* » *cit consensus puellae nisi praecedat* » *tractatus de matrimonio,* ut ibi sen- » tiunt communiter auctores. . . . . » Quod si obiiciatur S. Concilium » respexisse libertatem puellae, ac » matrimonium nullum decrevisse, » si contrahatur donec est in po- » testate raptoris, hanc autem ra- » tionem cessare si puella raptui » consenserit: huic obiectioni re- » spondetur primo, quod *consensus* » puellae *ad raptum* praesumitur ex- » tortus a viro per dolum, iúxta dict. » leg. 1. Respondetur secundo, esse » considerandum quod *aliud est ra-* » *ptui consentire, et aliud consentire* » *matrimonio. Et praeterea ex consen-* » *su ad raptum, non inferri consen-* » *sum ad matrimonium,* atque ita non » cessare rationem Concilii in ea » quae assentitur raptui, cum postea » dissentiret matrimonio.

» Itaque videtur respondendum, » raptorem mulieris volentis includi » decreto Concilii, sicut in specie » etiam sentit Navarrus *const.* 2, *tit.* » *de rapt. lib.* 5 in hanc sententiam » citans S. Thomam, qui ait esse re- » ceptum. Et quod dictum est de ma- » trimonio, ut Concilium compre- » hendat etiam raptorem mulieris » volentis, dicendum est etiam de » poenis ob easdem rationes.

» Haec autem omnia ita sunt in- » telligenda, cum vere raptus inter- » venit, *qui requirit aliquam violen-* » *tiam:* adeo ut raptus non tollatur » cum abest violentia et abductio » per consensum mulieris (1), secus » si violentia non intercederet, et » mulier esset sui iuris, idest neque » in potestate parentum, neque tu- » toris, neque similium, neque pro- » missionibus, vel aliis artibus esset » deducta, ut bene per Mascard. *de* » *prob. vol.* 3 *conclus.* 1253 *verb. Ra-* » *pina n.* 20. »

In quo Iurisconsulti voto, quam- vis nonnulla habeantur non admo- dum determinata, tamen ratio po- tissima propter quam consensus puellae in raptum, indolem raptus non destruit, ex eo repetitur quod hic consensus ab insidiis nequissimi hominis rapinam meditantis indu- citur, et ideo violentia ipsi mulieri infertur, quamvis videatur consen-

(1) Idest solus consensus puellae in raptum non sufficit, ut mulier non dicatur rapta.

tire. Ex quo puellae consensu ita extorto, qui raptus naturam non destruit, consequitur etiam, violentiam a viro inferri illis sub quorum potestate puella extat. Subtrahitur enim puella a parentum potestate, et in manum raptoris dolo traducitur. Porro iuxta hos terminos censebat consultor, formalem ut aiunt raptum verificari. Dixi iuxta hos terminos, qui omnino immutarentur, si tractatus de ineundo matrimonio praecessissent. *Consensus* enim *in raptum* absolute a Iurisconsulto consideratur, et praescindit a consensu puellae in matrimonium. Ait enim *aliud est raptui consentire, aliud consentire matrimonio etc.* Quare casus fingitur, in quo rapina vel furtum mulieris a raptore intenditur, ut inde mulier, hac ratione a potestate parentum et tutorum subtracta, et in manum raptoris deducta, in matrimonium consentire cogatur. Porro iuxta hos terminos facile quisque concedet huiusmodi raptum sub decreto Concilii comprehendi.

Et in hanc sententiam cedere videtur allegata resolutio S. C. verbis illis: « Concilium procedere etiam in » muliere volente *dum tamen* sit ra» ptus iuxta terminos iuris civilis. » In qua definitione animadvertendae sunt particulae illae *dum tamen*, quae cum sint *exclusivae*, adsignificant non omnes abductiones mulieris volentis, comprehendi sub decreto Concilii tridentini; sed solummodo eas abductiones comprehendi, quae raptus dicuntur iuxta terminos iuris civilis, videlicet iuxta *legem unic. C. de rapt. virg.* quae ideo gravissimas poenas in raptores mulieris volentis comminatur, *quia* (sunt verba legis) *hoc ipsum velle mulierum, ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam inducitur: nisi enim raptor eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere.*

Ad quae verba legis maxime attendisse videtur S. C. eaque veluti criterium tradidisse ad discernendas abductiones puellae, quae sub Concilii decreto comprehenduntur.

Praestat in hac materia habere prae oculis exempla decisionum quae post hanc resolutionem emissae sunt, usque ad nostra tempora.

Reperitur quaedam resolutio sacr. C. C. in *Mediolanen. Matrimonii diei* 20 *augusti* 1661 cuius sequens erat facti species « Paulus Clemens a » Porta et Anna Maria a Turre, sup» plices huic S. Congreg. alias nar» rabant contracta inter se fuisse » sponsalia, per verba de futuro. » Post vero factas tres denunciatio» nes in Parochia viri, et duas in » Parochia mulieris, Gaspar Annae » pater et Anna ipsa eiusdem patris » impulsu, pro rescissione sponsa» lium coram Ordinario institerunt. » Quare cum res in longum trahere» tur, Anna misso nuncio ad Cle» mentem obtulit sese discessuram » a paterna domo, si ipse eam se» cum adducturus, certo constituto » tempore, prope domum suam » praestolatus esset. Quapropter ex

» condicto, Anna cum Clemente pri-
» mam circa noctis horam aufugit,
» seseque in aedes, quas in parochia
» S. Stephani ipsa Anna, nonnullis
» ante diebus, ad annum conduxe-
» rat, receperunt (1). Postridie
» vero accersito Parocho eius pa-
» rochiae, quasi sacramentalis con-
» fessio cuiusdam infirmi esset exci-
» pienda, coram eo per verba de
» praesenti se invicem desponsa-
» runt, quibus ille auditis dixit se
» huius rei conscium esse nolle,
» ac murmurans aufugit. Post haec
» et matrimonium consummatum,
» et proles iam suscepta est. Et quo-
» niam Vicarius generalis Archiepi-
» scopi Mediolan. huiusmodi ma-
» trimonium, ut supra contractum,
» invalidum esse contendit : ideo
» ipsi coniuges, supplices petunt per
» hanc S. Congregationem declarari
» I. *An constet de raptu ad effectum*
» *de quo agitur*. Et quatenus non
» constet, II. *An supradictum matri-*
» *monium contractum fuerit coram le-*
» *gitimo Parocho.*» S. C. respondit
ad I. *negative*. Ad II. *affirmative*.

Quo in casu, uti observas, prae-
cesserat de matrimonio tractatus.

Item in una *Ruben. Raptus et Censurarum diei* 3 *Martii* 1714, in qua ita exponitur factum « Inqui-
» sitione instituta praetensi raptus
» puellae Cesareae Fucile, de mense
» Ianuarii anni prope elapsi, plures
» testes formiter in Curia episcopali
» interrogati desuper fuerant, qui
» univoce deposuerunt: summo ma-
» ne diei 30 Decem. 1712 iter fa-
» ciente iam dicta puella cum eius
» matertera, Roccum Sanctem pere-
» grinum repentino eam abripuisse,
» ac domum suae sororis adspor-
» tasse. Interea, ut testes ipsi prose-
» quuntur, praenominata matertera
» magnos clamores edidit. Puella
» vero nec verbum quidem pertur-
» bati animi protulit. Monitione ita-
» que expedita sub die 7 Ianuarii,
» quatenus infra tres dies, quorum
» singuli pro primo secundo ac ul-
» timo respective termino compu-
» tarentur, idem Rocchus iudicio
» sisteret ad allegandam causam,
» quare censuris obnoxius declarari
» non deberet, quae contra rapto-
» res comminantur in Sac. Trid. Sy-
» nodo c. 6, sess. 24 de reform.
» Incusataque contumaciali absentia
» semel iterum ac tertio, sub diebus
» 9. 10. 11 praefati mensis, postridie
» excomunicationis edicta affixa fu-
» ere. Statim iamdictus Rocchus con-

(1) Exposuerat etiam in sua relatione Episcopus S. C. Annam quaesivisse declarationem nullitatis sponsalium ex causa disparitatis conditionis viri, sed in longum Vicarius generalis protraxerat iudicium, sperans Annam esse in matrimonium consensuram. Vetuerat etiam Episcopus viro accedere ad Annae domum, ut libere pro solutione sponsalium ipsa agere posset. Deinde vero vir consensum Annae in sponsalia iterum obtinuit, hoc obtento « spreto praecepto (sunt verba » Episcopi) de non accedendo ad eam, armata manu dictam Annam Mariam abduxit » invitis parentibus confugiens ad locum immunem, et inde fuit querelatus in » utroque foro.»

» fugium habuit ad S. Congr. pro » opportuna absolutione, ut coniugii » foedus inire posset cum dicta pu- » ella, et EE. Vestris placuit re- » scribere Episcopo, ut procederet » prout de iure ad declarationem » praetensi impedimenti raptus. Hinc » orator ipse coram iudice se consti- » tuit, ac ingenue passus fuit raptum » commisisse consentiente, quin et- » iam, proponente puella, quo li- » bere exoptatum matrimonium con- » trahere possent, vel invitis ipsius » consanguineis, qui tractatum spon- » salium constanter eiecerant. Sub- » inde apud honestam matronam » puella collocata fuit, ut omnimoda » libertate perfrueretur, ac iureiu- » rando interrogata, deposuit quod » vesano amore percita, oratorem » induxit ut seipsam subduceret, » proindeque nullatenus raptui re- » stitit. Quibus sane perspectis, Vi- » carius generalis definitive tandem » pronunciavit, nullum inter Roc- » chum et Cesaream intercedere im- » pedimentum raptus, quo matrimo- » nium prohiberi inter eos valeat, » verum enim vero, super censuris » fulminatis, mox dictus Vicarius » interlocutus non fuit, iterum ora- » tor supplex rediit ad hanc S. C. » pro reportanda declaratione super » earum insubsistentia, quapropter » exhibito actorum processu, con- » cordatisque binis dubiis, superest » quod EE. VV. sapienter decernere » non graventur. I. *An obstet prae- » tensus raptus ad contrahendum ma- » trimonium in casu.* II. *An censurae » substineantur in casu.* » S. C. re- spondit: ad I. *non obstare.* Ad II. *esse absolvendum ad cautelam.*

Quamvis ex resolutione primi dubii nihil possit erui, quod ad rem nostram faciat (constituta enim fuerat mulier apud honestam matronam, ut omnimoda libertate perfrueretur, ideoque non amplius obstare poterat raptus ad matrimonium contrahendum si formalis raptus interfuisset); tamen aliquid eruitur ex resolutione secundi dubii, cuius resolutio pendebat praecise ab indole raptus. Eruitur scilicet S. C. non censuisse constare de raptu qui cadat sub decreto Concilii. Tamen ut quodlibet dubium removeretur, circa excomunicationem publice declaratam incursam, respondit: *esse absolvendum ad cautelam.*

In qua quaestione habes exemplum, quo non videtur raptus mulieris committi, si vir et mulier sine dolo ad invicem amore capiantur, et exinde mulier consentiens, imo raptum proponens abducatur, ex eo quod tractatus de ineundo matrimonio, ex oppositione parentum non potuerint concludi. Quo in casu dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut libere matrimonium contrahant, quam raptus.

Altera habetur decisio huius generis in *Olomucen. Matrimonii die* 20 *Augusti* 1769 definita, et iterum confirmata *die* 14 *Martii* 1772. In hac causa agebatur de nobili milite, qui nocturno tempore rapuit nobilem puellam, parentibus orbatam,

et commorantem apud tutricem, eamque transtulit in quoddam oppidum apud suum patruelem (idest patruelem ipsius viri), ibidem relicta, asserebatur eam libere conversatam fuisse. Post 16 dies, coram Capellano castrensi et duobus testibus matrimonium contraxerunt. Deinde cum civitatem Olomucensem adierint, orto dubio de huius matrimonii validitate, admoniti fuerunt coniuges ab Episcopo et prudentibus viris, ut seiunctim viverent, et mulier in locum tutum se reciperet. Verum neglectis hisce monitis, Olomucio relicto, adierunt quoddam Fortalitium, ibique post moram quinque mensium coram Parocho et testibus, matrimonii consensum renovarunt. Interea ex evulgato raptus rumore, sequestro subiecta fuerant bona adolescentulae in ditione borussica existentia, quod deinde fuit revocatum, emissa per adolescentulam declaratione, qua fatebatur se sponte et voluntarie, a viro fuisse abductam. Verum inter coniuges post plures annos matrimonii, exortis dissidiis, mulier fugam arripuit et a catholica religione defecit. Proposita per mulierem quaestione super nullitate matrimonii apud protestantium tribunalia, obtinuit mulier matrimonii solutionem causa dissidii et ablienationis animorum, quae sententia frustra reclamante viro fuit semel iterumque confirmata.

Petiit deinde etiam vir, apud competens tribunal, ut declararetur nullitas matrimonii, tum ex causa raptus, tum ex defectu proprii parochi; sed contrariam obtinuit sententiam: appellavit proinde ad sacr. Concilii C. quae ad dubium: *An constet de nullitate matrimonii in casu,* respondit pariter *negative.*

Censuit itaque S. C. *non constare de nullitate matrimonii.* Et sane licet constaret de materiali raptu, habebantur tamen gravia indicia ad excludendas illas dolosas sollicitationes, quibus nequissimi homines faciunt mulierem velle in tantum dedecus sese prodere. Aderant enim testes (prouti eruitur ex partium disceptatione S. C. proposita) qui deponebant mulierem, volentem et maxime optantem, fuisse a viro abductam; aderat quidam Canonicus qui testatus est: ante mulieris abductionem inita inter eos fuisse sponsalia. Deinde mulier, quamvis ab Episcopo, et ab aliis admonita fuisset, ut a viro separaretur, nunquam ad hoc induci potuit; quod demonstrat animum obfirmatum mulieris cohaerentem emissae declarationi qua fassa est *sponte sua, et voluntarie,* a viro fuisse abductam e *tutricis* domo.

Imo cum matrimonium iterum coram Parocho et testibus, post spatium plurium mensium renovatum fuerit, quin mulier avelli a viro voluerit; videbatur potius mulier ad instar meretricum, virum sub sua potestate retinere, quam, ea sub viri potestate retineri.

Iterum in una *Praemisilien. Nullitatis Matrimonii,* primo proposita

die 18 *Iulii* 1778 et definita *die* 8 *Augusti* eiusdem anni, denuo confirmata *die* 17 *Iunii* 1780, haec erat facti species: Barbara degens in quodam Monasterio nuptias anhelans, familiaritatem contraxit cum Xaverio et eiusdem fratre Francisco, occasione qua iidem frequenter ad illud monasterium accedebant causa invisendi suas consanguineas ibidem Moniales professas. Illa enim pluries modo cum uno, modo cum altero ex dictis fratribus secreta habuit colloquia eisdemque pandidit voluntatem suam, quae erat nunquam amplectendi statum religiosum (quem ut amplecteretur exoptabant parentes) sed matrimonium contrahendi quantocius; habitaque notitia quod alii erant Francisci, et Xaverii fratres natu maiores, rogavit Xaverium, ut illis significaret se eorum alteri nubere velle, significaretque pariter eorumdem parentibus ut rhedam subministrarent pro huiusmodi contrahendo Matrimonio, addens quod si hoc frustraretur coniugium, se paratam esse, pro aliqua fruenda libertate, iungi cuique homini etiam infimae sortis.

Haec explicita Barbarae voluntas cum relata fuisset Theresiae antedictorum fratrum Matri, haec reminiscens suasiones sibi factas ab Avo materno eiusdem Barbarae, ut Barbaram eius neptem in uxorem daret alicui ex suis filiis, rhedam ad Barbaram misit una cum cubicularia, et praecepit Francisco filio ut in itinere comitaretur Barbaram eamque duceret in domum suam. Praecepto Matris licet invitus Franciscus obtemperavit, perventoque ad Monasterium, cum Barbara rescivisset adesse rhedam, laesis Claustri vinculis, fugaciter ad rhedam accessit, et per se ipsam apertis valvulis, in eam ascendit, ac inter illius calcitras se abscondit, ut a nemine cognosceretur, subindeque Francisco quoque rhedam ascenso, petierunt Villam A., alteraque die pervenerunt ad Villam B. ubi lares erant dictorum fratrum; ibique adventis, Barbaram ultra modum hilarem eduxit e rheda Ignatius ex fratribus natu maior qui pridie ante adventum Barbarae ad domum suam ex quodam itinere redierat.

Barbara statim ac vidit Ignatium, illico affectum suum quem erga eumdem mente et corde conceperat ostendit. Ipsa enim institit penes Theresiam Ignatii matrem pro contrahendis nuptiis cum Ignatio. Remissis ab Episcopo duabus denunciationibus, una tantum expleta, matrimonium in faciem Ecclesiae contraxerunt.

Sexto decurrente Matrimonii anno cum coniuges ad reconciliandos animos parentum ipsius Barbarae, qui morabantur in quadam Villa C., accessisset, hi retenta Barbara Filia, viroque expulso, postularunt a Curia episcopali declarari Matrimonii nullitatem *ex causa raptus in persona Barbarae, in absentia parentum*. Confecto processu, sententia in primo grado prodiit pro validitate

Matrimonii, in secundo et tertio appellationis gradu sententia lata est pro nullitate Matrimonii.

Ulteriori interposita appellatione ex parte viri ad S. C. C. sub dubio « an constet de nullitate Matrimonii » in casu.» S. Congreg. respondit: *negative et amplius.*

Ex qua clausula *et amplius* deprehendes omnes Cardinales in eamdem convenisse sententiam, scilicet omnes censuisse non constare de Matrimonii nullitate. Etenim Mulier abducta quidem fuerat e Monasterio, insciis Parentibus, imo contra Parentum voluntatem, quin praecesserint de Matrimonio tractatus; attamen ipsa Mulier abductionem ut contraheret matrimonium, studiose opavit, quin a viro aliquo modo solicitaretur.

In eumdem sensum facile reducuntur aliae causae S. C. C. propositae cuiusmodi sunt *Montis Regalis Matrimonii* 2 *Iulii* 1707. *Beneventana Matrimonii* 20 *Septem.* 1760 *dub.* 2.

Altera recentissima habetur causa, cuius facti compendium est sequens. Nobilis miles Sempronius quum nobilem puellam ardenti amore prosequeretur, eam sibi in uxorem a matre postulavit. Petitionem reiecit puellae mater, non tamen restitit Sempronius; quin imo rationem excogitare cepit, qua puellam ad nuptias ineundas, praeter maternum consensum, induceret. Preces, amatorias literas in hunc finem adhibuit: insuper privatum colloquium a puella petiit, ope cuiusdam Ancillae, puellae servitio addictae, per quam, puellae nunciavit, ex eo colloquio futuram eiusdem fortunam pendere. Voti compos Sempronius factus est, et cum puella congressus ad vesperam, post breve colloquium, eamdem materna domo abduxit. Hac inopinata abductione, puella sensibus defecit, et viribus destituta, paratae rhedae, manibus viri imposita fuit. Et primum eam transtulit in aliam civitatem A., ibique curis cuiusdam Matronae tradidit. Deinde, eadem comitante Matrona, nec non praefata Ancilla, et servo militari, in aliam civitatem B. misit in domo cuiusdam Adsessoris legalis: ac demum paucis elapsis diebus, in pristinam Matronae domum reduxit. Ibique tandem post duodecim dies a sequuta abductione, iugiter manente puella sub Sempronii potestate per alios exercita, matrimonium celebratum est coram parocho, testibus, aliisque nobilibus viris, sciente ac consentiente sponsae avunculo, sciente ac probante Episcopo; quamvis puella, pluries antea patefecisset, se absque benedictione materna nolle nuptias inire.

In mutua vitae consuetudine sex ultra annos sponsi manserunt, binosque filios assequuti sunt. Tandem mota lite super matrimonii nullitate, eaque deveniente ad S. C. C. sub dubio *An constet de nullitate matrimonii in casu.* Re mature discussa, responsum prodiit, *die* 18 *Iunii* 1859: *Affirmative, firmis remanentibus iuribus filiorum prout et quatenus de*

iure. Habes hoc exemplo puellam dolosis sollicitationibus prius allectam, deinde vero structis veluti retibus, inopinato e materna domo abductam, quo hostili facto, matrimonium veluti necessarium devenit. Quod factum similitudinem habet cum eo quod supra exposuimus in causa *Matrimonii*, in qua puella machinationis ignara in manus viri, rapinam meditantis devenerat, eaque sub viri potestate dolosis artibus retenta, ut induceretur ad matrimonium contrahendum.

Ex quibus omnibus videtur colligi posse: I. raptum qui cadat sub decreto Concilii non haberi, quando praecedunt raptum concludentes tractatus de matrimonio ineundo. Hoc enim casu vir ius habet ad mulierem sibi desponsandam et mulier tenetur matrimonio consentire.

II. Neque hunc raptum verificari, si vir sine dolo, mulierem ex condicto abducat, ex eo quod tractatus de matrimonio ex parentum oppositione non potuerint concludi.

III. Neque verificari raptum, si non vir, sed mulier virum sollicitaverit, ut ab eo abduceretur. In his duobus casibus, dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut liberius matrimonium contrahant, quam raptus.

IV. E contra raptum verificari si mulier insidiis et dolosis sollicitationibus meditantis rapinam, abducatur, ut deinde sub raptoris influxu in matrimonium consentire cogatur.

Hisce omnibus accurate perpensis, et attento decreto Concilii Tridentini *sess.* 24 *c.* 6 *de reform. matr.* non est dicenda *saltem* tuta eorum sententia qui docent sufficere *solam iniuriam* parentibus puellae illatam, ut mulier dicatur rapta.

Raptus enim impedimentum inductum ab Ecclesia non est ad coarctandam puellae libertatem in matrimonium, sed imo ad libertatem matrimonii sartam, tectamque servandam; mulier enim quae vel vi, vel dolo in potestatem abducentis devenit, cogitur ad contrahendum cum tali abducente, et ideo coarctatur puellae libertas. Ecclesia autem quae libertatis matrimonii vindex est, abhorret omnino a matrimoniis, hoc hostili modo contractis: et ideo reddens puellam inhabilem ad contrahendum cum raptore, donec manet in eiusdem raptoris potestate, exigit, *non quidem parentum consensum* ut rapta cum raptore rite contrahere possit, sed exigit solummodo, puellae libertatem, quam libertatem, sapienter Concilium, puellae redditam non censuit, nisi a potestate raptoris separata in loco tuto, ac libero constituta fuerit.

Quod si obiiciatur eo ipso quod mulier raptui consentiat, videtur in matrimonium consentire, quia raptui consentit propter matrimonium, et ideo seclusa parentum iniuria, nunquam rationem raptus de quo agimus, in muliere consentiente verificari, respondemus: resolutionem huius quaestionis ex individuis

facti adiunctis totam pendere. Si enim mulier ita in abductionem consentiat ut liberius matrimoninm contrahat, et hoc abductionis medio utatur ad obstacula removenda, non videtur raptus, sed simplex fuga, quamvis aliqua iniuria parentibus dissentientibus irrogetur.

At si vir recta via non possit mulieris consensum in matrimonium obtinere, et inde rapinam sive puellae furtum meditatus, incipiat inexpertam puellam circumvenire insidiis sollicitationibus dolosis etc. ut hisce artibus et his quodammodo retibus, aliquam versatilis puellae complacentiam extorqueat, qua obtenta in spretum parentum eam rapiat, nemo non videt, virum quidem intendere puellam in matrimonium cogere, puellam autem insidiis viri, ex circumventione quodammodo adhaerere, quin ipsa serio advertat se ad coniugium ineundum adigi, quod sponte et contra parentum voluntatem, nunquam forsan fuisset initura. Ad hunc sensum videntur reduci duae resolutiones S. C. C. quarum altera est in ea quae a Riganti refertur supra exposita *pag.* 21 altera quae exponitur *pag.* 59 et 60 in hac appendice.

Hanc rationem agendi eorum qui hisce artibus praestitutis, inexpertas deinde rapiunt puellas, comparare quodammodo posses cum ratione agendi eorum qui homo capiunt pisces et aves retibus.

Quare sicut ex sola iniuria parentibus vel insciis vel dissentientibus illata, raptus non videtur committi; ita etiam ex aliquali consensu mulieris in raptum, ratio raptus non videtur excludi. Haec est nostra opinio.

APPENDIX III.

CIRCA S. POENITENTIARIAM APOSTOLICAM.

Inter plura tribunalia quae Romae habentur, quibus S. Sedes utitur ad ingentem negotiorum molem expediendam, in Ecclesiae bonum, et fidelium utilitatem; notissimum est illud quod S. Poenitentiaria audit. Nullum forsan habetur, quod adeo frequenter aditur ab iis praesertim, qui animarum curae praesunt, et nullum forsan quod indigentiis, eventibusque inopinato insurgentibus adeo solicite occurrit, quam hoc S. Sedis tribunal. Quare unusquisque percipit quam utile sit, ne dum illud, nomine, et veluti in cortice agnoscere, sed etiam practicam illius cognitionem habere. Notum porro est in eo pertractari, et expediri negotia quae fidelium conscientiam attingunt, quaeque adeo

occulte pertractantur, ut posses veluti disputare quid secretius sit, an sacramentalis confessionis sigillum vel ea quae ibidem expediuntur. Plura tamen ex eodem tribunali prodeunt quae etiam externum forum attingunt, cuiusmodi praesertim sunt dispensationes matrimoniales quae pauperibus conceduntur. Itaque cum ea quae praxim vigentem respiciunt et principia quibus S. Poenitentiaria dirigitur non omnibus pervia sint, nonnulla ex iis referemus. Etenim S. P. non tantum dirigitur, in negotiis expediendis, iuxta ea quae constituta sunt in celebri Constitutione Benedicti XIV. quae incipit *Pastor Bonus:* sed imo multa prorsus sunt RR. Pontificum oracula quae in eiusdem Poenitentiariae regestis reperiuntur, quibus peculiares facultates conceduntur tum Poenitentiario Maiori, tum ipsi Tribunali eiusdemque officialibus, et normae plures determinantur quibus negotia dirigi debeant. Itaque inter haec, ea solum quae publici iuris fieri permittuntur scitu utilia, ad appendicis instar in libellorum calce exponere quantum fieri possit diligenter curabimus.

IMPRIMATUR
Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

DISTRIBUTIONUM.

20 *Decembris* 1862. *Sess.* 24 *c.* 12 *de Reform.*

Compendium facti. Inter Capitulares cathedralis ecclesiae A. nonnullae difficultates exortae fuerant, circa distributiones quotidianas quas Canonici percipiebant dum ob varios titulos a choro abessent, innixi praesertim consuetudinibus suae ecclesiae. Quae difficultates ut de iure resolverentur, Archidiaconus illius ecclesiae supplicem libellum ad Romanum Pontificem misit, in quo varia postulata reperiebantur.

Remissis a SSmo ad S. Congregationem Concilii precibus, et S. C. de more ad Archiepiscopum A. *pro informatione et voto, utque audito capitulo in scriptis, referret super enunciatis titulis exemptionis,* idem Archiepiscopus responsa Capitularium exhibens, super omnibus mentem suam aperuit.

Rationes Capitularium attingemus in sequenti synoptica disceptatione. Concinnata itaque *ex officio* fuerunt omnia Capitularium postulata sub dubiis in calce positis.

Disceptatio Synoptica.

Plura *ex officio* in hac materia erudite afferebantur, eaque fere omnia heic exponemus.

Priusquam de singulis ageretur dubiis, haec generalia decreta praemittebantur. Bonifacius VIII. *cap. unic. De clericis non residentibus. in* 6 haec edixit. *Consuetudinem quae... inolevit, qua Canonici... seu Clerici cathedralium.... distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur et tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus seu aliis locis... sint praesentes, licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continue ipsis ecclesiis in eisdem officiis deservirent penitus improbantes: statuimus ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis....ecclesiarum ipsarum*

qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint tribuantur....Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur....

Concilium autem Tridentinum sancivit. *sess.* 24 *de Reform. c.* 12. *Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit* Consuetudinem, *quod sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus.* His in genere praestitutis ad singula dubia ita disputabatur.

Quoad primum dubium. Quoniam Canonici plus minusve consuetudini innitebantur, circa consuetudinem animadversum est, eam non suffragari perceptioni distributionum in absentia a choro; quod inferebatur, *tum* ex decreto Bonifacii VIII. iuxta quod tantum illi absentes percipere distributiones possunt, *quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret,* reprobata consuetudine; *tum* ex citato Concilii decreto.

Et ad rem afferebatur auctoritas Fagnani, qui *lib.* III. *decr. de Praebend. c. licet n.* 71 ait « ea enim consuetudo non valet sive » introducta fuerit ante Constitutionem Bonifacii VIII. sive post; » et saepius respondet S. Congregatio etiam immemorabilem con» suetudinem fuisse sublatam.»

Quoad Canonicos, qui tempore divini officii confessiones audiunt, dicebatur eos non censeri praesentes in choro. Concilium enim Tridentinum *sess.* 24 *c.* 8 excepit solummodo Poenitentiarium, edicens: *qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.* Et huiusmodi dispositio ad eos tantum Canonicos ampliata reperitur, qui pro muneris necessitate confessiones excipere tenentur. Ita S. Congregatio *in Lucana* 8 *Martii* 1635; censuit nempe: *Oratori ita in locum Poenitentiarii ad audiendas confessiones ex necessitate, et legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis in choro interesset. lib. Decre-*

tor. 15 *p.* 175 (1). *Item in Nullius Putignani* 6 *Martii* 1741 *ad dubium* IV; et *in Maceraten.* 20 *Decemb.* 1768.

Reiectis vero rationibus depromptis sive ex consuetudine, sive ex quodam Decreto Archiepiscopi N. (qui anno 1707 in S. Visitatione hanc consuetudinem confirmaverat) eo quod neque consuetudo, neque Episcopale decretum huic communi iuri derogare possunt; excepto casu mox enunciato, nec non casu in quo *ex lege fundationis* Canonici eximantur a punctaturis cum confessiones audiunt; in ceteris casibus, eisdem punctaturis subesse debent.

Quoad secundun dubium. Praemissa diversitate sententiarum quae apud auctores reperitur, circa eos qui tempore divini officii Missam celebrant, siquidem Garzias *de Benef. p.* 3 *cap.* 2 §. 1 *n.* 441. Antonelli *de cler. non resid. l.* 3 *c.* 16 *n.* 25. Moneta *de distrib. p.* 1 *quaest.* 11 *n.* 52. Scarfant. ad Ceccoper. *lib.* 3 *tit.* 2 *n.* 13 *et* 14 ubi hic cum aliis docet: « posse ex iusta causa consuetudinem intro» duci, qua Canonici tempore Divinorum celebrantes lucrentur di» stributiones; nam totum est divinus cultus »; alii vero huiusmodi consuetudinem reiiciendam esse dicunt; Covarruvias *varior. resolut. lib.* 4 *n.* 3 *a.* 2. Gonzalez *in lib.* 4 *decret.* §. 3 *n.* 18: subiungebatur quamplurimos esse qui docent, Canonicos a choro discedentes ut Sacrum privatim absolvant distributiones amittere, nisi illa hora ad Sacrum peragendum, ab eo ad quem pertinet, compulsi fuerint. Fagnanus *lib.* 3 *Decret. c. licet n.* 118. Passerinus *in cap. Consuetudinem de Cler. non resid. in* 6 *reg.* 10 *n.* 163. Benedictus XIV. *Instit. eccles.* 107 *n.* 76.

Quam sententiam iamdiu edocuit S. Congregatio; proposito enim dubio, anno 1583, hisce verbis concepto: « Quia quandoque » cathedralibus et collegiatis sunt aliqui Canonici vel alii officia» les, qui in eisdem habent capellanias, vel in titulum vel tan» quam mercenarii; quaeritur an eo tempore quo in dictis ca» pellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint

(1) Antiquiores resolutiones S. C. C. quae non extant in ea collectione, cui titulus *Thesaurus resolutionum S. C. C.*, cum citantur, praeter alia, indicatur etiam liber Decretorum, et pagina in qua extat resolutio in archivio S. C. Praesertim vero si antiquissimae sint, ut facilius reperiri possint. Huiusmodi enim codices manuscripti indicem non habent. Thesaurus vero resolutionum, qui factus est publici iuris a R. P. Benedicto XIV dum in minoribus esset, incipit ab anno 1718.

*

» a choro; et quid de illis Canonicis qui celebrant in eadem ec-
» clesia, suae devotionis gratia? An, et quando hac de causa a
» choro absunt, distributiones recipere possint; et dato quod non;
» quid si a Superiore ecclesiae iniungatur ut eo tempore cele-
» brent?»

Re ad SS̃mum delata, responsum fuit: *SS̃mus D. N. etiam ex sententia S. Congregationis Concilii declaravit non posse, nisi quando sic iussissent Superiores; quos tamen admoneri voluit, ut ab eiusmodi iussu se abstineant.*

Et secundum tramites huius declarationis, quamplurimae sequutae sunt resolutiones, uti videre est in *Interamnen.* 23 *Febr.* 1771, *in Comen.* 23 *Novemb. eodem anno*, in qua proposito dubio: « An sustineatur consuetudo celebrandi Missas a Canonico » tempore horarum canonicalium » rescriptum prodiit: *negative, nisi de legitima superioris licentia.* Nominatim vero *in S. Miniatis* 8 *Februarii* 1817; et *in Anagnina* 20 *Nov.* 1819, in quarum prima ad dubium « An et quomodo Canonici absentes ad Missam cele-
» brandam tempore choralis officiaturae, lucrari possint distribu-
» tiones quotidianas.» EE. Patres responderunt: *negative, nisi de Praefecti licentia in populi commodum;* in altera vero pro affirmativa sententia steterunt, ad formam nempe Constitutionum capitularium, quae Constitutiones ab Apostolica Sede approbatae, expresse requirebant causam necessitatis, ut Praepositus licentiam exeundi a choro tribueret.

Quoad tertium dubium. Praemisso Concilii Trid. decreto *sess.* 24 *cap.* 12 *de Reform.* quo statutum est, ut Canonici *Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire* debeant, allegabatur auctoritas Fagnani qui *l. III decr. c. licet n.* 168 *de praeb.*, ex eo Decreto arguit, quotidianas distributiones deberi Canonicis, qui tenentur assistere, et inservire Episcopo celebranti, et pontificalia exercenti, tum in cathedrali, tum in aliis civitatis locis, atque eius suburbiis. Quod etiam magis declarat Benedictus XIV. *Instit. eccles.* 107 §. 9 *n.* 60, docens, Canonicos qui operam praebent Episcopo in cathedrali solemniter celebranti, praesto esse debere eidem Episcopo, etiam extra cathedralem, sive Ordinationes obeunti, sive Pontificalia peragenti. Imo iam praeiverat S. Congregatio eamdem firmans doctrinam, praesertim *in Licien.* 17 *Augusti* 1641, cuius resolutionem videbis in calce.

Quare subiungebatur, cum in huiusmodi circumstantiis Canonici adsistentes et inservientes Episcopo necessarium munus adimpleant, iuxta praescriptum Tridentini Concilii, iam inde colligi posse videbatur, Canonicos Episcopo inservientes, Missam tantum privatam celebranti, distributiones non lucrari, ceu etiam S. Congregatio definivit in una *Pisarum* 25 *Ianuarii* 1625 *lib.* 12 *Decret. p.* 253. Dubio enim proposito: « An canonici inservientes » Episcopo, Missam privatam celebranti, distributiones quoti- » dianas lucrentur, censuit respondere: *non lucrari.*» Item alibi censuit.

Quoad quartum dubium. Quaerebant Canonici, an possent lucrari distributiones quotidianas illi, qui manent penes Archiepiscopum ob Curiae negotia expedienda, et ii etiam qui Archiepiscopum per diversa dioecesis loca, vel alibi comitantur. Ad haec enodanda, animadvertebatur tum ex capite *De caetero. De cler. non resid.* tum ex capite *Olim. De verb. signific.* Canonicos quorum opera utuntur Episcopi, huiusmodi durante servitio, tamquam praesentes haberi ad effectum lucrandi *fructus* suarum praebendarum, non vero *victualia* (seu distributiones) *quae non consueverant absentibus exhiberi, vel manualia beneficia* quae dantur, singulis diebus, illis tantum qui intersunt divinis. Quibus dissona non sunt, quae a Concilio Tridentino sunt statuta, *sess.* 24 *c.* 12. Nec aliter S. C. C. censuit. Etenim *in Sorana* 1587 *lib.* 3 *Decret. p.* 301 definivit: *Canonicos inservientes Episcopis lucrari fructus praebendarum, non autem quotidianas distributiones.* Et *in Brixien.* 18 *Septem.* 1626 *lib.* 13 *Decret. p.* 3 censuit: *unum vel duos Canonicos Episcopo inservientes, iuxta privilegium ad favorem Episcoporum* in capite De coetero... *lucrari praebendam (seu fructus) suorum canonicatuum, non tamen distributiones quotidianas; si vero reditus omnes distributionibus constent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari.*

Nec aliter dicebatur statutum fuisse a S. C. C. pro iis Canonicis, qui Episcopum in visitatione dioecesis comitantur. Benedictus XIV *Instit. eccles.* 107 *n.* 59. Fagnanus *loc. cit. n.* 109. Et attenta solummodo tenuitate redituum, S. Congregatio C. distributiones quotidianas quibusdam Canonicis, Episcopum in S. Visitatione comitantibus, concessit in una *S. Miniatis* 8 *Februar.* 1817.

Quoad quintum dubium. Observabatur circa quintum dubium revisionem rationum redituum capitularium, comprehendi inter causas abessendi a choro et percipiendi distributiones, iuxta Decretum Bonifacii VIII. Haec enim revisio spectat ad *utilitatem ecclesiae*. Ecclesia enim, iuxta idem Decretum, ea intelligitur de cuius distributionibus percipiendis quaeritur. Fagnanus *loc. cit. n.* 160. Cum ergo dubitari non possit negotium esse Capituli, adeoque et ecclesiae capitularis, ut recte procedat bonorum ipsius administratio, ut statutis temporibus, rationes peractae administrationis reddantur; non immerito Canonicis, qui revisioni rationum a Capitulo destinantur, videntur deberi distributiones tempore absentiae, ceu S. Congregatio docuit *in Panormitana anni* 1588 *l.* 5 *Decret.* p. 104 aperte declarans: *Deberi oratori distributiones quotidianas pro tempore quo vere abfuit pro negotiis Capituli.* Ad tempus vero quod attinet determinandum pro huiusmodi negotiis impendendum, officium esse Ordinarii S. Congregatio censuit in *Segobien. anni* 1539 *lib.* 5 *Decret. p.* 287. Archiepiscopus porro in praesenti causa quindecim dies satis esse putabat.

Quoad sextum dubium. Quaerebant Canonici, an lucrari possint distributiones quotidianas illi, qui intra paroeciae fines ministerium praedicationis exercent. Pro affirmativa sententia reportanda, asserebant curam animarum residere penes Capitulum, cui assertioni tamen Archiepiscopus refragabatur. Verum *ex officio* observabatur, heic agi de ministerio praedicandi verbi Dei, quod ministerium adnexum non erat praebendae. Quare iuxta ea quae tradit Fagnanus ex doctrina S. Congregationis *loc. cit. n.* 114. Canonici legentes vel sermocinantes frui non debent distributionibus, licet fructus praebendarum consequi non impediantur.

Quoad septimum dubium. Ad tuendam consuetudinem qua, Canonici examinatores synodales, distributiones percipiebant, dum a choro abessent ad examinandos Ordinandos, novosque Confessarios approbandos, tum Archiepiscopus tum Capitulum innitebantur necessitati, qua fieri nequit, aiebant, ut alii inter Clericos ad munus examinatorum assumerentur.

Verum animadvertebatur, licet Barbosa in suo opere *De Canon. et dign. cap.* 24 *n.* 9, et Zachias *De resid. Eccles. tit. de beneficiat. n.* 13 doceant, examinatores, qui causa examinis absunt a choro, gaudere distributionibus; attamen huiusmodi perceptionem

distributionum constanter denegare consuevisse S. C. C. ceu videre est in una *Brixien.* 19 *Iunii* 1638 *lib.* 16 *Decret. p.* 38 *in Cremonen.* 20 *Sept.* 1642 *lib.* 17 *Decret. p.* 95, et Fagnanus *loc. cit. n.* 100 *et* 104, qui addit huiusmodi examinatores distributiones non lucrari, etiamsi adsit contraria consuetudo in Synodo dioecesana confirmata.

Quoad octavum dubium. Adnotabatur circa dubium octavum, multa privilegia Magistris Iuris Pontificii aut S. Theologiae ex iure communi tribui, non excepto indulto abessendi a choro prout statuitur in *cap. super specula* 5 *De magistris*, quae privilegia ab ipso C. Tridentino confirmata sunt *cap.* 1 *sess.* 5 *de Reform.* Attamen huiusmodi privilegia, fructus tantum praebendarum, non vero distributiones respiciunt. Glossa *in cit. c.* 5 *De magistris*, et Sacra Congregatio C. *in Feretrana* 12 *Iulii* 1817 et alibi. Quod si nulli, aut si exigui valde forent praebendae fructus, hoc in casu, Canonicus hoc privilegio gaudens, amittet tertiam partem universi proventus, duabus aliis sibi retentis, iuxta ea quae Fagnanus docet de absentibus studiorum causa *loc. cit. n.* 127, quibus Benedictus XIV. *Instit.* 107 *n.* 72 Magistros S. Theologiae vel Iuris Pontificii aequiparat. Idem vero docet in specie S. Congreg. C. de Professoribus in Seminario docentibus *in Limen* 18 *Decembr.* 1627 *lib.* 13 *Decret. p.* 366.

De Rectoribus Seminariorum laudatus Fagnanus *loc. cit. n.* 109 docuit, eos, distributiones non lucrari. Et animadvertebatur nullum casum forsan reperiri in *Thesauro resolutionum*, quo Rectores Seminariorum distributiones quotidianas iure exquisierint; idemque dicendum esse videbatur de Canonicis, qui iuvenes in traditis disciplinis vel humanioribus literis examini subiiciunt. Quidquid porro de hisce sit, praxis est S. C. C. qua, attentis peculiaribus circumstantiis, elargiri quandoque solet huiusmodi Canonicis Indulta pro absentia a choro; quae Indulta cohiberi solent clausula - *amissis distributionibus* - vel alia - *ex gratia in exemplum non adducenda.* -

Quoad nonum dubium. Prono alveo dicebatur descendere responsionem nono dubio, ex iis quae dicta sunt in quinto dubio. Illi enim qui munere Pro-vicarii vel Actuarii in Curia funguntur, licet universis Dioecesis negotiis pertractandis sint addicti, non tamen a choro absunt ob utilitatem illius ecclesiae a qua distri-

butiones expostulant; ideoque sic absentes, hisce gaudere non possunt. Et ad haec confirmanda, adducebatur exemplum Vicarii generalis de quo S. C. C. in una *Tarentina* 9 *Maii* 1671 respondit: *Inhaerendo declarationibus alias factis, Canonicum inservientem Episcopo in officio Vicarii, non lucrari distributiones quotidianas pro illis horis divinis quibus non intersit.* Hinc Fagnanus *loc. cit. n.* 12 ex doctrina S. C. C. monet, non iuvare hoc in casu consuetudinem vel ab immemorabili tempore invectam.

Quoad decimum et undecimum dubium. Post haec nihil ultra observabatur circa duo subsequentia dubia, cum satis de hisce relatum sit in superioribus.

Quoad duodecimum dubium. Archidiaconus nomine omnium capitularium rogaverat SS̃mum Patrem, ut quoties adductae consuetudines approbari non mererentur, plenariam absolutionem et condonationem super illegitime perceptis distributionibus concedere dignaretur.

Circa quam supplicationem observabatur dubitari non posse, male perceptas distributiones esse restituendas. Ferraris *v. Distributiones art.* 2. S. Congregatio C. *in Maceraten.* 24 *Ian. et* 14 *Martii* 1778: attamen in praesenti causa, agi de Canonicis qui bona fide, ut videbatur, innixi consuetudinibus suae ecclesiae, haud debitas distributiones receperant, easdemque bona fide consumpserant. Porro hisce in adiunctis saltem non immerentes videbantur, ut per absolutionem et condonationem conscientiae suae prospicerent.

Dubia.

I. « An et quomodo Canonici, tempore Divinorum Officiorum » audientes Confessiones, censeri debeant praesentes in Choro ad » effectum lucrandi distributiones in casu.»

II. « An et quomodo iidem Canonici, Missam celebrantes tem- » pore Divinorum Officiorum tamquam praesentes haberi debeant » in Choro ad eumdem effectum in casu.»

III. « An et quomodo Canonici, assistentes Archiepiscopo in » Pontificalibus aliisque functionibus, vel Missam privatam cele- » branti, absentes a Choro, lucrentur distributiones in casu.»

IV. « An et quomodo lucrentur distributiones iidem Canonici » Archiepiscopo assistentes in pertractandis negotiis, vel ipsum » in Dioecesi extra residentiam comitantes in casu.»

V. « An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absen-
» tes a Choro, ad expendendas rationes Massae Capitularis in casu.»

VI. « An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absen-
» tes a Choro, ministerio praedicationis vacantes in casu.»

VII. « An et quomodo Canonici lucrentur distributiones, dum
» absunt a Choro pro examine Ordinandorum vel Confessariorum
» in casu.»

VIII. « An et quomodo Canonici Rectoris, Administratoris,
» Professorum, et Examinatorum munus exercentes in Seminario,
» a Choro absentes lucrentur distributiones in casu.»

IX. « An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absen-
» tes a Choro, ut pro-Vicarii Generalis, Cancellarii, et Actuarii,
» aliaque munera in Curia Archiepiscopali exerceant in casu.»

X. « An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absen-
» tes a Choro, Rerum Capitularium vel Mensae Archiepiscopalis
» administrationi vacantes in casu.»

XI. « An et quomodo Canonicus Cancellarius Capituli lucretur
» distributiones, pro Negotiis Capitularibus in archivio distentus
» in casu.»

« Et quatenus negative »

XII. « An consulendum SSmo pro absolutione et condonatio-
» ne perceptarum distributionum in casu.»

Solutio dubiorum. — Sacra Congregatio Concilii re mature discussa, die 20 *Decembr.* 1862 respondere censuit.

Ad I. *Negative in omnibus, excepto Poenitentiario.*

Ad II. *Negative, nisi de Praefecti licentia et in Populi commodum.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem prout in Lycien.* 17 Augusti 1641 *ad secundam partem Negative.*

Ad IV. *Negative in omnibus.*

Ad V. *Affirmative per tempus ab Ordinario praefiniendum.*

Ad VI. *Negative in omnibus.*

Ad VII. *Negative in omnibus.*

Ad VIII. *Negative in omnibus.*

Ad IX. *Negative in omnibus.*

Ad X. *Quoad Canonicum Administratorem Rerum Capitularium Affirmative pro diebus et horis quibus reapse incumbit in administrationem; in reliquis Negative.*

Ad XI. *Negative, nisi in casu urgentiae.*

Ad XII. *Affirmative celebrata unica Missa cum cantu adstante universo Capitulo.*

In causa Lycien 17 Augusti 1641 quam S.C.C. indicavit, in dubii tertii resolutione, haec habentur; cum quaesitum fuisset a S. C. C. « An Decretum Concilii cap. 12 sess. 24 de reform. vers. *Omnes* » *vero,* locum habeat quando Episcopus in aliis ecclesiis sibi subie- » ctis in civitate existentibus pontificaliter celebrat, vel paratus » adsistit cum pluviali et mitra aut cum cappa divinis Officiis, » et Missae solemnia vel alia pontificalia exercet... si numerus suf- » ficiens Canonicorum, et Ministrorum in ecclesia cathedrali re- » maneat.» S. C. respondit: *habere locum.*

Ex iis omnibus inter alia plura colliges.

I. Distingui apprime inter se debere, in materia de qua agimus, *fructus* beneficii choralis, et *distributiones* quotidianas.

II. Huiusmodi distributiones *regulariter* (1) consistere in tertia parte omnium beneficii choralis fructuum, quae iis distribuenda est qui choro intersunt.

III. Dari posse plures causas ob quas qui a choro abest fructus faciat suos, neque in poenas incurrat contra absentes sancitas a Tridentino Concilio.

IV. Tamen non omnes causas, quae ab his poenis incurrendis excusant, facultatem tribuere distributiones percipiendi.

V. Causas generatim quae hanc facultatem tribuunt, esse infirmitatem seu iustam et rationabilem corporalem necessitatem, aut evidentem ecclesiae choralis utilitatem.

VI. Solam autem consuetudinem abessendi a choro et distributiones percipiendi, quamvis episcopali decreto confirmatam, non esse generatim legitimum titulum ad hanc perceptionem cohonestandam.

(1) Dixi *regulariter,* quia plura habentur beneficia choralia in quibus distributiones excedunt tertiam fructuum partem vel etiam omnes fructus in solis distributionibus consistunt. Quod si distributiones tertiam partem fructuum non attingerent, haec divisio inter abusus esset recensenda, nisi eam lex fundationis excusaret.

IMPEDIMENTI SPONSALIUM.

27 *Iunii* 1863. *Sess.* 24 *c.* 1 *de Reform. Matrim.*

Compendium facti. Promiserat Titius, Caiae suae consanguineae in tertio gradu, se illam in uxorem ducturum sub conditione - *Si ipsa Caia se honestam servasset* - ita ut si haec conditio impleretur, Titius sibi onus suscepisset impetrandae a S. Sede dispensationis super consanguinitatis impedimento.

Accidit tamen ut Titius, mutato deinde consilio, cum alia adolescentula de nuptiis ineundis agere ceperit. Hanc Titii agendi rationem Caia passa non est, et penes Episcopalem Curiam impedimentum apposuit sponsalium adversus statum liberum Titii, accusato etiam Titio uti praegnantiae, qua Caia gravabatur, auctore. Reclamavit Titius, et institit ut hoc removeretur impedimentum. Quare processu in Curia confecto, cum Episcopus a sententia ferenda se abstineret, Titius ad S.C.C. reclamavit. S. autem Congregatio rogavit Episcopum pro informatione et voto, atque ut referret de statu causae et quid obstaret quominus sententia definitiva a Curia ederetur. Transmissis itaque a Curia literis, quae huic mandato satisfaciebant; iterum S. C. ad eamdem Curiam scripsit, ut mulieri terminum praefigeret ad deducendum iura sua coram S. C. et de resultantibus certioraret, transmissis processus actis. Assignato a Curia unius mensis termino, eadem Curia transmisit, una cum actis super examine testium confectis, quasdam etiam extraiudiciales aliorum testium depositiones, cura ipsius Caiae a publico Tabellione exceptas sub iuramenti fide.

Porro ex iudicialibus actis haec eruimus. Titius in iudicio sub iuramento retulit Caiam conditionem impositam non implevisse, eamque indiscriminatim cum omnibus et quidem suspectis admodum viris conversatam fuisse, et in suspectis domibus dies et noctes protraxisse. Quam ob rem « Ego (sunt verba Titii) » cum ea conquestus sum, ipsa vero ita mihi respondit: tu quod » tibi placet agis, et ego quod mihi.» Insuper huic cum ceteris rationi agendi adscribebat Titius mulieris praegnantiam.

Ex testibus vero iuratis a Titio inductis, constabat consuetudinem amoris, Titium inter et Caiam, intercessisse, nihil tamen

certi cruebatur de contractis sponsalibus vel de commercio habito; super quo testes plenissimam ignorantiam fatebantur.

Imo nonnullae aderant horum testium depositiones, quae dum honestatem Titii commendarent, suspectam apprime vitae rationem Caiae detegebant. Aderant insuper testes quae deponebant audivisse ex ore Caiae, se alium virum quaerere, ut citius Titio, nuptias iniret.

Inducti vero testes iudiciales ab eadem Caia, eadem fere testabantur quae deposuerunt testes Titii, nempe amorem intercessisse inter eos, et virum ad mulieris domum accessisse, nihil tamen de commercio. Testes vero extraiudiciales, quos supra innuimus, studio mulieris coram Tabellione inducti, unanimiter deponebant Titium esse auctorem praegnantiae mulieris. Haec ex actis. Quaestio itaque proposita fuit S. C. C. sub infrascripto dubio.

Disceptatio Synoptica.

Argumenta pro existentia sponsalium. Favore mulieris observabatur *ex officio,* confessionem ipsam Titii satis esse in casu ad sponsalium *promissionem* sustinendam, *repromissionem* vero Caiae non immerito arguendam esse ex facto deflorationis, quam Caia passa est. Conscius *de Spons. vot.* 7 §. Rota *in Toletan. Matrim. coram Seraphino n.* 9. S. C. C. *in Ugentina sponsalium* 26 *aprilis* 1853.

Conditio autem quam vir sponsalibus apposuit, ducturum nempe se Caiam dummodo haec se honestam servasset, impleta videbatur. Septem enim testes, licet extraiudiciales, declaraverant: Caiam nunquam occasionem dedisse, qua vulgus, de eiusdem commercio cum aliis viris habito, loqueretur.

Neque ipsa consanguinitas mulieri nocere posse dicebatur; cum de impedimento agatur, super quo RR. Pontifices, iusta intercedente causa, dispensare solent; praesertim cum Titius promiserat Caiae velle se hanc dispensationem a S. Sede impetrare. Quare iuxta plurium Theologorum et Canonistarum sententiam observabatur saltem conditionate Titium obligatum existere, et ad conditionem ipsam, ope dispensationis, adimplendam teneri. Engel *in ius Canon. lib.* 4 *tit.* 9 *num.* 6 Pirrhing. *ibid. n.* 27. Reiffenst. *ibid. n.* 28.

Argumenta pro sponsalium nullitate. Verum animadvertebatur pariter *ex officio,* graviora rationum momenta militare favore Titii. Sponsalium enim contractus bilateralis est, atque hinc inde onerosus; ac propterea non sufficit ad eius validitatem ut promissio ab una tantum parte proficiscatur, sed unius promissionem, alterius repromissio subsequi debet. S. Congregatio C. *in Melevitana sponsalium* 18 *aprilis* 1863 *et passim.* Nec satis esset ad sponsalia inducenda si una pars promittat, et altera promissionem acceptet. Dari enim potest ut quis acceptet alterius obligationem, et tamen seipsum liberum servare velit. Hanc acceptationem loco repromissionis valere, ceu aiunt Canonistae et Theologi, quoties mulier alioquin honesta, acceptando viri promissionem sui corporis copiam ipsi fecerit.

At huiusmodi extrema in praesenti causa non videbantur verificari, nam licet de Titii promissione dubitari non poterat, haec tamen potius velleitas et animi votum videbatur, quam vera promissio cum intentione sese obligandi. Ipse enim de his nuptiis ineundis, ac de dispensatione obtinenda nihil fuit sollicitus. Imo etiamsi ex animo promisisset, cum nullibi mulieris repromissio deprehendatur, deerat illud quod ad contractum sponsalium constituendum requiritur.

Nec stuprum sive incestus quem mulier passa est, hanc repromissionem supplere videbatur. Nam praeterquamquod ex depositione testium incertus remanebat stupri auctor, semper dubitandum supererat, utrum explendae libidinis causa, an animo contrahendi matrimonium in tantum nefas Caia consenserit; praesertim cum ex allatis testium depositionibus, de ipsius honestate non parum suspicari liceret.

Caeterum, subiungebatur, et illud praecipue perpendendum in casu occurrere, vinculum videlicet consanguinitatis. Quamvis Doctores, cum agitur de Sponsalibus sub conditione initis a consanguineis, *dummodo Summus Pontifex dispenset,* in diversas abeant sententias, et pro nullitate subscribat Abbas *in Cap. super eo de condit. app. num.* 8; pro validitate vero stet Sanchez *de Matrim. lib.* 5 *n.* 12. De Iustis *de dispensat. lib.* 2 *cap.* 1 *n.* 78 *ad* 88, dummodo saltem impedimentum tale sit super quo dispensatio concedi soleat; in praxi tamen iam recepta esse videtur potius prima, quam altera sententia, etiamsi agatur de impedi-

mentis super quibus dispensare Pontifex soleat. Observant enim auctores conditionem huiusmodi alienam esse a iure communi ab Ecclesia circa impedimenta constituto, neque applicari posse regulam illam generalem, quae docet eventum conditionis retrotrahi ad tempus, quo quidquam gestum est; cum regula haec valeat, quoties non agitur de conditione, quae idoneitatem afficiat contrahentium. Ex quo sequitur ut in huiusmodi casibus, postquam dispensationis literae executioni mandatae fuerint, praestatione novi consensus sponsalia revalidari oporteat ad tradita per Card. De Luca. *Discep.* 7 *de Matrim.* Berardi *in ius eccles. univ. tom.* 2 *dissert.* 2 *quaest.* 3. Quare concludebatur, in specie ab hac non absimili, pro nullitate sponsalium Sacram Congr. respondisse *in Ianuen. sponsalium* 12 *Decembris* 1733, *in Melevitana spons.* 22 *Februarii, et in Viterbien. spons.* 13 *Septembris* 1862.

Dubium

« An et quomodo sustinendum vel removendum sit impedi- » mentum Sponsalium in casu.»

Resolutio dubii.— Sacra Congregatio Concilii die 27 Iunii 1863 censuit removendum esse Sponsalium impedimentum respondendo: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ex doctrina accurate exposita pro nullitate sponsalium colligere breviter potes.

I. Non censeri verum Sponsalium contractum, si tantum una pars promittat, altera vero non repromittat.

II. Imo neque censeri Sponsalium contractum, si tantum una pars promittat, altera vero acceptet tantum promissionem, quin positive repromittat. Huiusmodi enim gravissima Sponsalium obligatio non est facile praesumenda.

III. Dari posse tamen casum in quo acceptatio, repromissioni aequivaleat, ut si mulier *quae honesta sit* in tantum sui dedecus inducatur, ut post acceptationem promissionis, deflorationem patiatur.

IV. In praesenti autem facto, ceteris omissis, praeterquamquod non constabat de hac repromissione, sive explicite emissa sive aequivalenter, aderat consanguinitatis impedimentum, quo extante, non sustinentur sponsalia (1).

(1) Vid. sequentem causam et appendicem IV.

Die 22 *Febr.* 1862. *Sess.* 24 *de Refor. Matrim. c.* 1.

Compendium facti. Sempronius et Agnes etsi in secundo consanguinitatis gradu coniungerentur, sibi invicem nuptiarum promissionem dederant, et supplici libello, impedimenti dispensationem a S. Sede postularunt. Cum Episcopalis Curia, hac super re, literas ab eadem S. Sede recepisset, pontificiam dispositionem in iis contentam, Parocho Oratorum manifestavit ut eam iisdem patefaceret; nempe quod « Sanctitas Sua adhaeserat » precibus eorum, ita tamen ut iidem Oratores ante Bullarum » expeditionem remanerent per mensem separati, et bis accede- » rent ad sacramentalem confessionem.» Patefacta sponsis hac S. Sedis voluntate, reapse sequenti die, indicta separatio locum habuit. Post paucos tamen dies, Sempronius suam voluntatem immutavisse videbatur, et serius ita eamdem retractavit, ut novis inceptis amoribus cum alia muliere, promissionis sponsalium et *paratae* dispensationis penitus oblitus videretur.

Dum matrimonium cum hoc altera muliere conciliare studeret, praemissa in parochiali ecclesia prima publicatione, illico apud Curiam obstitit Agnes, sponsalium impedimentum opponens. At Sempronio agente pro huiusmodi impedimenti remotione, Curia perpendens: « quod iuxta saniorem sententiam » doctorum et praesertim Card. De Luca *Discep.* 7 *De Matr. n.* 4 » sponsalia contracta inter impeditos ob consanguinitatem vel » affinitatem, etiam sub conditione *si Papa dispensaverit* sint » absolute invalida, ita ut non absolute revalidentur, neque post » obtentam dispensationem, nisi novus consensus intercedat; » quodque in casu dispensatio non fuerit obtenta, et ideo neque » consensus renovatus;» hanc protulit sententiam: *nullum extare in casu impedimentum impediens ex praetensis sponsalibus, ideoque revocato impedimento, praedictum (Sempronium) in omnimoda libertate esse, cum quavis alia matrimonium contrahendi.*

Ab hac sententia ad S. Sedem Agnete appellante, transmissis a Curia actis processus, aliisque observatis, propositum fuit S. Congreg. Concilii dubium infrascriptum.

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris. In defensione *ex officio* pro Agnete peracta, observabatur dari actus ex iure nullos, qui tamen si peragantur sub conditione, *si princeps dispensaverit*, suum valorem acquirunt. Ita valere censetur institutio spurii, sub conditione, *si princeps dispensaverit*. Sanchez *lib.* 3 *disp.* 3 *n.* 12. Possunt duo, exorta de beneficio lite, pacisci inter se de danda pensione sub conditione *si Papa dispensaverit*. Reiffenstuel *l.* IV *Decret. tit.* 5. *De condit. apposit. n.* 23. In casu autem idem ius obtinere posse dicebatur, cum conditio respicieret dispensationem super impedimento iuris ecclesiastici, quae impossibilis non est. Quare nondum soluta conditione, Sempronius a praefatis sponsalibus discedere non poterat.

Quidquid insuper, subiungebatur, disputatum sit inter doctores de novo consensu necessario praestando post dispensationem obtentam, eumdem consensum iam praestitisse Sempronius dicendus erat, vix ac mandato Pontificis, qui precibus annuebat, absque ulla coactione obedire incepit. Adfuit proinde ex sua parte, requisiti consensus renovatio, seu datae promissionis ratihabitio.

Defensio viri. Vir e contra initio contendebat ex actis non constare appositam fuisse sponsalibus conditionem *si Pontifex dispensaverit*. Huiusmodi enim conditio reperiebatur dumtaxat, in precibus ad S. Sedem porrectis, quarum praecipuam curam ipse Agnetis pater favore filiae movisse dicebatur.

Verum fortius ad causam accedens, allegabat vir ipsam Curiae sententiam suis instructam motivis; quibus *ex officio* plura adiungebantur. Praemissa enim diversitate sententiarum auctorum super hac quaestione, ostendebatur sententiam esse S. Congr. C. sponsalia inter huiusmodi coniunctos sub conditione contracta, nullitate laborare, ceu in Burgnaten. *Sponsalium* 26 *Ianuarii* 1709 *lib.* 59 *Decret. pag.* 17; praesertim vero in Ianuen. *Sponsalium* 12 *Decemb.* 1733 in qua licet ageretur de sponsalibus initis inter coniunctos quarto consanguinitatis gradu, eaque iuramento interposito confirmata essent animo et spe impetrandi a S. Sede dispensationem; censuit tamen S. C. sponsalia non sustineri. Et in eumdem sensum cedere dicebantur resolutiones eiusdem S. C.

in Sypontina *Resol. spons.* 2 *Maii* 1857. Beneventana *Spons.* 27 *Novembr.* 1858. nec non in S. Rotae *decis.* 603 *part.* 5 *recent.* et illius confirmatoria *decis.* 107 *part.* 8 *recent.*

Et propius casum praesentem, subiungebatur in citata *Ianuen.* responsum fuisse pro sponsalium nullitate, etiamsi mulier obiecisset, quod – vir, non ignarus gratiae dispensationis obsignatae die 15 Iulii, confirmavit sponsalia die 20 eiusdem mensis – Satis enim fuit viro, gravi huic exceptioni respondere, literas apostolicas praeseferre dumtaxat mandatum ad indulgendam dispensationem, proindeque impedimentum perseverare, usque dum exequutor literarum apostolicarum illud non sustulerit.

Dubium.

« An sententia Curiae sit confirmanda vel infirmanda in casu. »

Resolutio.—S. Congr. C. causa discussa die 22 Februarii 1862 confirmavit sententiam Curiae respondendo

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ex iis omnibus erues :

I. Sponsalia contracta inter eos qui gradu prohibito consanguinitatis continentur, etiamsi sub conditione contraxerint *si Pontifex dispensaverit,* non sustineri (1).

II. Et ea non sustineri etiamsi rata a contrahentibus habeantur post annuentiam R. Pontificis, qua dispensare promiserit : imo etiam post literas apostolicas signatas, quibus delegato committitur dispensatio.

III. Quare ut valida ea existant, necesse est ut confirmentur a contrahentibus post obtentam effectivam dispensationem, qua actu sublatum sit canonicum impedimentum.

(1) Vide Append. IV.

27 *Februar.* 1864. *Sess. 22. Decret. de obser. in sacrif. Miss.*

Compendium facti. Ob praeclara merita erga Apostolicam Sedem concesserat R. P. Clemens XIII coniugibus nobilibus A. et B. extraordinarium omnino privilegium Oratorii privati. In indulto concessionis inter alia plura legebatur: « *Volentes igitur eosdem A. et B. specialibus favoribus et gratiis prosequi.... motu proprio et ex certa scientia, nostrae, deque Apostolicae potestatis plenitudine, eisdem A. et B. coniugibus, ac ipsorum filiis et descendentibus in perpetuum, ut in privatis..... Oratoriis Sacrosanctum Missae sacrificium..... in sua nec non familiae suae et quorumcumque aliorum, quos inibi adesse contigerit praesentia..... celebrare facere libere et licite possint et valeant, et quilibet eorum possit et valeat... concedimus et indulgemus....*»

Pia mulier Caia, post viri sui mortem, qui ex indicatis coniugibus A. et B. descendebat, cum filius unicus quem habebat maxima mentis hebetudine laboraret, neque capax esset divinis assistendi officiis, dubitare cepit de huius privilegii extensione, utrum nempe ipsa, utpote uxor mariti certo privilegiati, et ut tutrix privilegiati filii, posset hoc privilegio legitime frui. Ut dubium quodlibet removeretur, duo a S. C. C. petiit, nempe authenticam dubii solutionem, quae si contraria eidem obtigisset, implorabat ex gratia S. Sedis id quod iure privilegii sibi vindicare non poterat. Quare proposita fuerunt S. C. dubia infrascripta.

Disceptatio Synoptica.

Quae mulieri videbantur adversari quoad primum dubium. — Animadvertebatur *ex officio* adversari, affirmativae responsioni primi dubii, resolutionem Sac. C. C. datam in *Marsicien. die* 3 *Decembris* 1740, in qua haec erat facti species: Episcopus Marsiciensis cum observasset Missam celebrari in privato Oratorio coram familia, absente viro et uxore qui erant principaliter privilegiati, praevia illius Oratorii suspensione, prohibuit, ne viro absente Missa deinceps ibidem celebraretur. Vir autem indultarius re-

clamavit apud S. C. C. innixus verbis sui indulti «In vestra ac nato» rum consanguineorum.... familiaeque praesentia celebrari facere » libere et licite possitis et valeatis, ac vestrum quilibet possit » et valeat;» et contendebat non requiri suam praesentiam, quamvis in ipsum verba indulti principaliter directa essent. Et propositis dubiis I «an in privato Oratorio de quo agitur, celebrari possit Missae sacrificium in absentia Domini ac praesente sola familia.» II. «An sustineatur sententia suspensionis Oratorii lata ab Episcopo in casu.» Responsum prodiit: ad I. *negative*. Ad II. *affirmative et ad mentem* (1). Resolutionem autem primi dubii R. P. Benedictus XIV. ne dum approbavit, sed etiam evulgare fecit per Emum S. C. Praefectum ut omnibus notum esset «non » posse (sunt verba declarationis) vigore similis indulti celebrari » Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missae actu non » intersit aliquis ex iis quibus principaliter indultum concessum » est; adeo ut sine praesentia alicuius ex dictis personis mi» nime liceat Missae sacrificium peragi, etiamsi sit praesens ali» quis ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex » familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem » Brevi memoratis; quippe quibus nil aliud per huiusmodi Bre» via conceditur, quam quod unusquisque eorum..... assistens » Missae, quae celebratur in Oratorio privato in praesentia ali» cuius ex personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, » satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de prae» cepto. Sublata igitur, et proscripta quacumque minus ger» mana interpretatione eiusmodi Brevium et Indultorum in con» trarium hactenus facta, (2) Sanctitas Sua ita declaravit et » servari mandavit.» Quam declarationem refert etiam Gattic. *de Orat. Domest. c.* 21.

Ex iis concludebatur: non posse Mulierem oratricem uti prae-

(1) S. C. utitur hac clausula *et ad mentem*, quando praeter dubii solutionem aliquid aliud censet animadvertendum vel declarandum vel praecipiendum etc.; et cum suam mentem ulterius aperiat, ideo dicitur *et ad mentem*, quae aliquando est secreta ut in praesenti casu, et tantum illis manifestatur ad quos huius Mentis expressio dirigitur; aliquando vero secreta non est, et dubii ipsius solutioni adiicitur.

(2) Eo tempore plurimi erant Doctores qui existimabant non requiri praesentiam privilegiati ut caeteri in Brevi memorati, privilegio fruerentur. Vid. Gattico. *De orat. Domest. cap.* 21, et Pignatell. *tom.* 6 *cons.* 98 *n.* 99.

fato privilegio, cum in Indulto non comprehendebatur inter principaliter privilegiatos.

Quae mulieri suffragabantur. — E contra vero favore Mulieris Caiae militabat ipsum extraordinarium privilegium, in remunerationem insignium meritorum, ex motu proprio et ex certa scientia a R. Pontifice Clemente XIII. concessum. Animadvertebatur enim ipsum Benedictum XIV. *in Epis. encyclica an.* 1751 quae incipit *Magno,* huiusmodi privilegia quodammodo excepisse. Et reapse in hac encyclica habetur §§. 16. 17. quod si praeter indultarios in fronte Brevis inscriptos, indicetur in corpore Brevis, quod etiam alia nominata persona possit Missam celebrare facere, id sufficiens est, ut hac praesente persona rite Missa celebretur.

Animadvertebatur vero favore eiusdem mulieris, verba praefati extraordinarii Indulti nempe « *quilibet eorum possit et valeat* » talia esse, quae videbantur cuilibet ex memoratis in indulto personis, tribuere facultatem celebrare faciendi, et sacrificio rite adsistendi, quin necessario requiratur praesentia principaliter privilegiati.

Dubia.

I. « An constet de iure fruendi privilegio Oratorii privati in casu.»

« Et quatenus negative.»

II. « An sit annuendum Oratricis precibus in casu.»

Resolutio dubiorum. — Sacra Cong. C. in comitiis diei 27 Febr. 1864 censuit respondere ad I. *affirmative:* ad II. *provisum in primo.*

Ex iis omnibus deprehendes:

I. Mentem esse S. Sedis in concedendis ordinariis indultis Oratorii privati, ut per verba *in tua ac familiae tuae etc. praesentia,* intelligatur privilegium indirecte dumtaxat extensum ad *familiam etc.;* ita ut, solummodo *intuitu praesentiae* principalis privilegiati, possint caeteri indicati in Indulto frui Oratorio privato(1),

(1) Ad famulos quod attinet, cum non alia ratione referantur ad dominum nisi ratione servitus, hinc solet etiam exprimi in huiusmodi ordinariis indultis. « Volumus autem quod familiares, servitio » tuo, tempore dicto, actu non necessarii, » ibidem Missae huiusmodi interessentes, » ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime » liberi censeantur. »

qua praesentia deficiente, cessat omnino quaelibet indirecta privilegii extensio.

II. Hoc esse unum ex exemplis, in quibus invocari non potest regula iuris 15 in 6. – *odia restringi, et favores convenit ampliari* –: sed potius locum obtinere aliam iuris regulam 28 in 6: *quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*

III. Dari tamen quaedam extraordinaria indulta, cuiusmodi est praesens, in quibus amplior est R. Pontificis concedentis intentio; ideoque secundum hanc intentionem, in rationabili dubio, ampliorem recipere possunt interpretationem.

IURIS FUNERANDI ET RESTITUTIONIS EMOLUMENTORUM.

Die 26 *Novembris* 1864 *Sess.* 25 *c.* 13 *de reform.*

Compendium facti. Lex per quoddam civile gubernium evulgata, qua Episcopis exceptis, adstringebantur omnes, electione sepulturae sublata, in publico coemeterio sepeliri, occasionem praebuit praesenti quaestioni. Cum Titius qui gentilitium sepulchrum habebat in Ecclesia Regularium Ordinis A, sibi mortem consciverit (1) nihilque disposuerit de suo funere, parentes eius, proprio Defuncti Parocho commiserunt funeralia peragenda in ipsa parochiali ecclesia, qui dum mandato sibi imposito satisfacere inceperat, praefati Regulares, tum voce tum scriptis, eidem parocho patefecerunt, ius funerum, ratione gentilitii sepulchri, spectare ad ecclesiam suam, minime vero ad parochialem; proindeque omnia funeris emolumenta suae ecclesiae deberi, dempta solummodo quarta favore Parochi ipsius. Nihilominus a Parocho, in parochiali ecclesia, funeralibus expletis, quaestio deinde S. C. C. proposita est sub dubio infrascripto.

(1) Illi qui mortem sibi sponte inferunt privandi sunt ecclesiastica sepultura *can. Placuit* 12 *causa* 23 *q.* 5, nisi constet eos furore actos, vel insania id egisse *can. illa causa* 15. *q.* 2: quam tamen insaniam, benigna mater Ecclesia, facile praesumit.

Disceptatio Synoptica.

Defensio parochi. — Contendebat Parochus sibi omnia emolumenta funeris deberi, eo quod ratione civilis legis, tumulari non poterat amplius defuncti cadaver in maiorum sepulchro; proindeque non amplius invocare poterant Regulares ius gentilitii sepulchri, quo sublato, subintrabat ordinarium Parochi ius. Animadvertebat insuper se nulla peculiari obligatione obstringi, puta, aliqua conventione, vel pacto, cum iisdem Regularibus, neque se ullo modo ad id induxisse defuncti parentes, qui plena libertate et sponte voluerunt funera in parochiali Ecclesia perfici.

Defensio regularium. — E contra Regulares contendebant se non privari iure funerum ratione inducti coemeterii. Si quid enim laica lex operatur, non aliud est nisi materialis loci mutatio in quo cadaver recondi debet ratione publicae valetudinis: nulla vero inducitur mutatio relate ad iura, quae si exerceri nequeant quoad tumulationem in propria ecclesia, non ideo quoad omnia, extincta debent censeri. Quae Regularium iura plene confirmabantur pluribus Resolutionibus S. C. C. in casibus similibus quae *ex officio* allegabantur, et quibus aperte demonstrabatur S. Congregationem C. nunquam censuisse laedi iura funerum per publica coemeteria recenter inducta: neque posse parentes vel haeredes contra iuris statuta determinare pro defuncto ecclesiam in qua funera peragi debeant.

Dubium.

« An et quae emolumenta funeris Parochus... restituere tenea-» tur Patribus... in casu.»

Solutio dubii. — Sacra C. C. die 26 Novembris 1864 respondere censuit favore Regularium.

Affirmative in omnibus dempta quarta: et amplius (1).

---

(1) Clausula *et amplius* importat apud S. C. C., huiusmodi significationem *et causa amplius non proponatur*. Solet haec clausula apponi, quando Cardinales omnes in eamdem sententiam conveniunt in decisione causae. Effectus vero quos haec clausula producit, ita describuntur in *Ordine servando* in causis S. C. C. propositis vulgo *Regolamento art.* 22, qui latine ita vertitur. « Si » resolutio S. Congregationis muniatur » clausula *et amplius,* novum experimen-» tum (si quaeratur) peti debet ab Emo » Praefecto (in aliis enim casibus petitur

Ex quibus sequentia facile inferuntur.

I. Per publica coemeteria recenter inducta, causa publicae valetudinis, non auferuntur iura proprii sepulchri; sed impedita solummodo remanet, materialis depositio cadaveris in proprio vel gentilitio sepulchro.

II. Reliqua proinde quae cum proprietate sepulchri consociari solent, cuiusmodi esse possunt, funebris cadaveris delatio in ecclesiam sepulchri; expositio eiusdem in eadem ecclesia; suffragia et reliquae funerales functiones, illaesa omnino manent.

III. Hinc etiam reliqua iuris placita sancita praesertim in titulis de Sepulturis manent expedita: remanet proinde in potestate fidelium determinare sibi funerum ecclesiam.

IV. Si haec determinatio facta non fuerit, funera peragi debent ad normam iuris, nempe in ecclesia proprii sepulchri, si hoc habeatur, aliter vero in propriae parochiae ecclesia; proindeque *regulariter* neque parentes, neque haeredes aliter determinare possunt.

V. Quare si defuncti parentes vel haeredes aliter determinent et exequantur, ecclesia quae funera peregit, emolumenta restituere tenetur illis ad quos de iure et secundum consuetudines locorum spectabant, videlicet, ut plerumque obtinet, ecclesiae proprii sepulchri, dempta quarta favore parochi, vel omnia ecclesiae parochiali si proprium sepulchrum non habeatur (1).

» a Rmo Secretario) qui si censeat per » seipsum illud experimentum non conce- » dere, poterit preces petentis remittere » cum decreto *per memoriale citata par-* » *te*, plenae Congregationi. In utrisque » autem casibus si obtineatur favorabile » rescriptum, causa non poterit reproponi » ante tres menses, ordine observato pri- » mae propositionis; et si pars postulans » succumbat, tenetur ad refectionem ex- » pensarum huius extraordinarii experi- » menti.» Refectio enim expensarum ex eodem praefato Ordine *art.* 24, si hunc casum, et casum contumaciae excipias, locum solummodo obtinet in causis Matrimonii, Alimentorum, Attentatorum, et Spoliorum.

(1) Vid. append. V.

DISPENSATIONIS SUPER IRREGULARITATE.

Die 26 *Novembris* 1864.

Summaria precum. Sacerdos canonicus A. iam aetate provectus, e sinistro corporis latere apoplexiae morbo correptus fuerat. Post longum temporis intervallum, paralysis a pede ferme recessit, laeva tamen manus ita iners manserat, ut ex Medici sententia, non nisi remota spes affulgebat aliquem sensum fore recepturam. Prohibitus ergo quominus Sacrum perageret, supplici prece petiit ut ex Apostolicae Sedis benignitate, per dispensationem ab irregularitate, eidem facultas concederetur, debitis sub cautelis, iterum Missae Sacrificium offerendi. Transmissis de more ad Episcopum precibus (qui iam easdem commendaverat) ut, peracto Oratoris experimento coram Caeremoniarum Magistro, distincte referret de statu laesi brachii; quibus plene satisfaciens respondit: «Peractum est experimentum coram SS. Caeremoniarum Magistro, relatumque nobis est Oratorem omnibus facultatibus intellectualibus praeditum, potestatem habere memoriter Secreta recitandi, ac clara voce verba libere et distincte pronunciandi, ut rite Sacrum perficiat. Duo tamen sunt quae idem Caerem. Magister negat per Oratorem absolvi posse. Videlicet 1 Non valere Hostiam sacram frangere per medium super calicem dextera tantum manu. 2 Non valere, eadem dextera dumtaxat, extergere patenam super calicem, eam fragmentis mundando. Quare sentit pro his duobus implorandam esse gratiam frangendi Hostiam super patenam manu tantum dextera, et extergendi patenam ope alterius sacerdotis, qui Oratori celebranti patenam super calicem retineat.»

Et suas literas concludebat «Quum Orator factus non sit deformis ob paralysim, quumque eius incessus sit pene naturalis, et si usus excipiatur laevae manus, omnia fere ut caeteri sacerdotes adimpleat, ad haec, cum in terra Montis C. brevi temporis intervallo plures sacerdotes decesserint tum iuvenes tum senes, cumque bonum christifidelium spirituale postulet, ne desit Oratoris celebratio, nullum verbum faciens de provecta eius aetate, de vera eius paupertate, de diuturno ac continuo

» servitio Ecclesiae Montis C. praestito, dignum gratia quam » implorat existimarem.»

Varia *ex officio* exempla non admodum a praesenti casu dissimilia, S. C. proponebantur, in quibus EE. Patres favorabili rescripto responderant.

Responsio.—S. Congregatio Concilii die 26 Novembris 1864 huic petitioni *per summaria precum* expositae censuit rescribere: *Dummodo adsit populi necessitas, et celebret cum adsistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi, pro gratia dispensationis et rehabilitationis remittenda arbitrio et prudentiae Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo* (1).

DISPENSATIONIS SUPER IRREGULARITATE.

Die 23 *Ianuarii* 1864.

Summaria precum. Adolescens Caius decem et octo annos natus et in Seminario ecclesiasticis disciplinis operam navans, cum a primis aetatis suae annis dextera in manu adustionem perpessus esset, ita ut eiusdem manus pollex et index haud leviter laesi fuerint, supplicem libellum R. Pontifici obtulit, ut cum ipso super irregularitate dispensare dignaretur. Remissae fuerunt preces ad eiusdem Episcopum, qui simul rogatus est ut votum emitteret, et referret utrum peracto coram SS. Caeremoniarum Magistro examine, memoratus defectus adeo gravis esset, ut impedimentum in Sacris praeberet, aut admirationem et irreverentiae periculum in populo excitaret, tum vero doceret de aetate moribus et scientia petentis, de Ecclesiae necessitate et utilitate, et tandem utrum Orator adustionem manus ex facto culposo passus esset.

(1) Quando gratiae concessio ferit aliquod iuris placitum super quo dispensandi facultatem non habet S. C.; adiungitur ab eadem S. C. clausula *facto verbo cum SSmo*. Qua formula, iniungitur Secretario, ut rescriptum S. Congregationis referat S. Pontifici, qui ceteroquin S. Congregationis iudicium approbare solet.

Quibus omnibus idem Praesul suis literis respondit « Peracto » coram SS. Caeremoniarum huius Dioecesis Magistro scrupu- » loso experimento super defectu digitorum pollicis et indicis » dexterae huius Oratoris ex ustione proveniente, nihil omnino » expertum est quod Sacris faciendis praebeat impedimentum, » quodve periculum exhibeat sive irreverentiae sive populi ad- » mirationis, nisi fortasse in actu administrationis sacrae Sy- » naxis. »

« Orator qui nullo ex facto repraehensione digno hunc defectum » passus est, aetatis suae annum 18 attigit; integritate morum et » summa ad studia applicatione pollet, quapropter censendum est » utilitatem et necessitatem Ecclesiae ipsius ministerio indigere, » et super praedicto impedimento dispensari posse, dummodo illi » facultatem concedat SS̃mus administrandi sinistra manu sacram » Eucharistiam. »

Novis insuper literis exactiorem defectus descriptionem hisce verbis exhibuit « Defectus digitorum pollicis et indicis. . . in eo » consistit, ut non solum ipsi adusti et eorum tendones con- » tracti sint, sed etiam quod dimidia pars ultimae seu supe- » rioris phalangis pene deficiat. Sed cum unguis in utroque suc- » creverit, facile et moveri et uniri possunt; nihilque impedit » quominus hostia inter ipsos aut teneatur aut frangatur. »

Animadvertebatur vero *ex officio* potissimam difficultatem, propter quam implorata dispensatio ex praxi S. Congregationis deneganda videbatur, in eo esse quod agebatur non de promoto ad S. Ordines, sed de promovendo, quo in casu rariora sunt rescripta S. C. hisce Postulatibus favorabilia. Exhibebantur tamen S. C. nonnulla rescripta ad rem facientia, quibus, attenta ecclesiae utilitate, cum aliis dispensatum erat.

Responsio.—Sacra Congreg. die 23 Ianuarii 1864 hisce expositis *per summaria precum* censuit respondere:

Prout exponitur non expedire.

Ex duobus relatis exemplis rescriptorum super irregularitate erues:

I. Eam esse praxim S. Congregationis in huiusmodi casibus in quibus irregularitatis dispensatio petitur, ut, praeter accuratam defectuum descriptionem quibus corporis irregularitas gignitur

exigere soleat etiam experimentum Oratoris super Caeremoniis, faciendum ex commissione Ordinarii coram SS. Caeremoniarum Magistro.

II. In huiusmodi experimento faciendo, attendi debere ad Caeremonias quas Orator irregularis peragere rite non valeat, et maxime ad populi admirationem et scandalum quod excitari posset, vel ad periculum in Sacris peragendis.

III. Facto super hisce experimento, S. Congregationem exigere ut certior fiat etiam de vera necessitate, vel utilitate ecclesiae.

IV. Qua necessitate vel utilitate ecclesiae existente, si nihil habeatur nimis grave quod obstet, S. C. pro dispensatione respondere solet iis, qui iam ad sacros ordines sunt promoti; at difficilior est dispensationis elargitio in iisdem adiunctis, pro iis, qui ad sacros ordines sunt promovendi.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS SUPER PRIVILEGIIS.

Die 16 *Sept.* 1864.

Compendium facti. Cum in quadam recenti erudita tractatione de Congregationibus Clericorum saecularium agente, investigaretur, an huiusmodi Congregationes essent omnino exemptae ab Episcopali iurisdictione, cumque Institutum Clericorum SSmi Redemptoris vota simplicia emittentium in eo tractatu recenseretur veluti distitutum Regularium privilegiis, praesertim hoc privilegio exemptionis ab Episcopali iurisdictione, Superiores supradictae Congregationis ad declinandum quodlibet praeiudicium, forte ex eo tractatu sibi eventurum, postularunt a S. Sede ut specialiter declararetur, Congregationem Sanctissimi Redemptoris esse omnino exemptam ab Episcopali iurisdictione, exceptis casibus iure excipiendis.

Quare, audito Consultoris voto, circa hanc quaestionem S. Congregationi propositum fuit dubium in calce positum.

Disceptatio Synoptica.

Ea quae exemptioni obstare videbantur. — Plura *ex officio* erudite congerebantur, contra eam exemptionem de qua est sermo, quae sic de more perstringimus. Variis indicatis vocis *exemptionis* significationibus, considerabatur exemptio in ordine ad religiosas familias prae locorum Ordinariis; et distinguebatur exemptio quae prodit ex communi iure, nempe ex Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, Constitutionibus RR. Pontificum, et Declarationibus SS. Congregationum, ab ea quae vim suam haurit ex speciali R. Pontificis privilegio. Prima competit Ordinibus qui Regulares in iure appellantur, cuiusmodi sunt illi Ordines in quibus vota solemnia emittuntur. Circa quos Ordines observabatur quoque, eos exemptos censeri ab Episcopali iurisdictione statim ac admittantur ad nuncupanda vota solemnia. Acquirunt enim hoc facto privilegia Regularium, praesertim privilegium quo eximuntur a canonica Episcopi visitatione correctione et generatim iurisdictione, ad normam cummunis iuris.

Altera vero exemptio, quae repetitur ex speciali R. Pontificis privilegio, ea est quae competit religiosis familiis vota simplicia emittentibus, quae hodiernis diebus non sine speciali divina providentia iugiter multiplicantur. (1) Et circa eiusmodi

(1) Singulari providentiae beneficio adscribenda absque dubio videtur ea iugis multiplicatio religiosarum familiarum sive virorum, sive mulierum in tantam Christifidelium utilitatem : adeo ut sicut impii huius saeculi viri et mulieres, Satanae spiritu agente, sub variis insigniis et actionibus, colliguntur in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius; ita Christifideles agente divino Spiritu per religiosas familias collecti, dum propriae virtuti student, contra vires ingruentes saeculi, sub temperata Episcoporum auctoritate, (qui ex firma adhaesione Petri cathedrae robur Ecclesiae constituunt) collatis viribus evangelicam doctrinam per orbem serunt, vel florentem colunt, vel labefactatam instaurant, maxime charitatis operibus. Cum attemperentur eiusmodi recentes religiosae familiae praesentis temporis indigentiis, mirum nemini esse debet si S. Sedes post maturum examen, sua auctoritate earum Constitutiones intra quosdam limites approbet, quas forte aliis saeculis difficilius approbavisset; imo ex specialibus circumstantiis interdum prohibuerit uti apparet ex Const. S. Pii V. *Pastoralis officii* et ex altera *Lubricum vitae genus*.

Quod autem eiusmodi Instituta iugiter multiplicentur, apparet ex variis catalogis quos prae oculis habemus. Sane ex Elencho *praecipuorum* Institutorum virorum, et mulierum quae vel tantum laudata, vel etiam approbata a S. Sede

Instituta votorum simplicium observabatur, S. Sedem in examen revocare per quosdam gradus Instituti scopum, media ad scopum attingendum constitutiones etc.; et post maturum examen modo solere eiusmodi Instituta approbare, eorumdemque Constitutiones sua auctoritate sancire. Ex quibus inferebatur haec Instituta eximi quidem ab Episcopali iurisdictione, sed tantum circa ea de quibus loquuntur Constitutiones sic approbatae, in reliquis autem subesse locorum Ordinariis. Ad quam consecutionem confirmandam adducebatur resolutio, in particulari Congregatione emissa in quadam causa *Limana*, circa Institutum a S. Philippo Nerio, de quo Instituto, inter alia dubia, hoc proponebatur: « An » Congregatio (PP. Oratorii) sit omnimode subiecta Archiepiscopo » in modo, forma, assumptis materiis » et responsum prodiit: *Affirmative exeepto eius Instituto, sive iis de quibus loquuntur Constitutiones.* Quae resolutio confirmata deinde fuit a Benedicto XIV. *die* 21 *Ianuarii* 1758 in Const. *Emanavit.* Item in altera causa *Massanen.* Patres Oratorii quoque respiciente, *mense Decembris* 1826 eadem doctrina confirmata fuit, et approbata in Const. *Cum sint* Leonis XII *die* 30 *Ianuarii* 1827.

Quare concludebatur Congregationem SS. Redemptoris, praeter exemptionem de qua Constitutiones a S. Sede approbatae loquuntur, non posse aliam ampliorem sibi vindicare, cuiusmodi esset praesertim exemptio a canonica Episcopi visitatione.

fuerunt ab anno 1816 usque ad kalendas Aprilis 1862 eruimus hac ratione concrevisse, nempe

ab anno	1816	ad 20	numerantur	5
»	1820	ad 30	»	13
»	1830	ad 40	»	18
»	1840	ad 50	»	23
»	1850	ad 60	»	42
»	1860	ad kal. Apr. 1862		23
				124

Interim anno 1856 in sola Gallia computabantur 185 mulierum Instituta, quae, si paucissima excipias, adhuc a S. Sede, nec laudata, nec approbata fuerant, dicebantur tamen per insolentem abusum recognita a civili potestate.

Hodiernis vero diebus, huius saeculi Instituta virorum et mulierum laudata a S. Sede, vel approbata, ascendunt ad numerum 198, praeter alia quae in examen modo revocantur, vel sunt revocanda.

Quodlibet autem ex hisce Institutis domos plures per orbem erexit et continuo erigit, etiam in remotissimis orbis partibus, et si omnia enumerare contenderes individua, opus difficillimum aggredereris. Inter alia plura, hoc est unum exemplum consideratione dignum quo Spiritus Dei Ecclesiam suam fovet et dirigit. Expectandum solummodo est, in praesenti Ecclesiae vexatione, ut simplex Dei afflatus aridum cinerem disperdat, ut ignis sub cinere obtectus, vehementer, eodem afflatu, inflammetur.

Neque videbantur obstare argumenta quae in contrarium afferebantur. Allegabantur enim in contrarium Literae Apostolicae in quibus conceditur Instituto SS̃mi Redemptoris communicatio cum privilegiis aliarum Congregationum, quae gaudent speciali exemptione et in quibus literis etiam *exemptiones* nominantur. Nam quoad communicationem cum privilegiis harum Congregationum, respondebatur cum Monacel. *Form. leg. tit.* 16 *form.* 2 *suppl. n.* 11 quod « Privilegia.... quae involvunt praeiudicium » tertii, vel sunt aliis onerosa, aut speciali nota digna, vel quae » raro conceduntur, vel demum iurisdictioni ordinariae Episcopo- » rum sunt laesiva, non conferuntur per solam communicationem, » sed indigent speciali et expressa concessione, non obstante quod » communicatio habeat clausulas praegnantes, ut late probat Pi- » gnatellus *Consult.* 1 *n.* 38 *et* 34 *tit.* 10. » Item Petra *Const* 5. *Innoc. IV. n.* 45 *tom.* 3 Rota *Decis.* 201 *n.* 14 *et* 15 *recen. par.* 19, et idem Monacell. *tit.* 13 *form.* 4 *suppl. n.* 33 *et seq.* Quam doctrinam idem auctor confirmat opportunis resolutionibus SS. Congregationum. Item Benedictus XIV in *Instit.* 23 *n.* 4 et in Const. *Impositi nobis etc. diei* 27 *Februarii* 1747.

Nec aliter esse posse videbatur. Admissa enim plena privilegiorum communicatione; cum Congregatio SS. Redemptoris communicet privilegiis PP. excalceatorum SS. Crucis et Passionis; hi vero communicent privilegiis Societatis Iesu, quae ulterius privilegiis communicat Ordinum Mendicantium et aliorum, per hosce inestricabiles anfractus, penitus evanescere dicebatur illud discrimen inter Instituta regularia et ea quae saecularia appellari solent, quod discrimen sartum tectumque esse iubet S. Congregatio

Neque obstat, subiungebatur, quod in allegatis ex adverso Literis in forma Brevium, reperiatur expressio – *omnia privilegia et exemptiones* – verbum enim *exemptionis* utpote iuris tertii laesivum, strictissimae est interpretationis; et ceteroquin ea est S. Sedis praxis, ut, cum hanc exemptionem de qua est sermo concedit, non obiter et perfunctorie eam exprimat, sed utitur solemnibus et imperativis formulis ex. gr. *Eximimus et immediate S. Sedi subiicimus etc.* adiectis etiam formulis derogatoriis, praesertim Regulae Cancellariae *de iure quaesito non tollendo.* Hisce aliisque observatis videbatur esse concludendum solummodo pro ea exem-

ptione quae competere solet novis Institutis religiosis quae modo a S. Sede approbantur.

Quae militabant favore congregationis ss. redemptoris. — Favore praelaudati Instituti exponebantur Literae Apostolicae in forma Brevis, videlicet Breve: *Sacrosanctum,* Pii VI. f. m. diei 21 Augusti 1789, et Breve: *Qui sicut,* Pii VII. f. m. diei 9 Januarii 1807.

Porro Breve: *Sacrosantum,* praeter confirmationem omnium privilegiorum, quae iam antea Congregationi SSmi Redemptoris concessa fuerant, speciatim communicationem confirmavit cum tribus Congregationibus scilicet, Doctrinae christianae, Piorum Operariorum, et Clericorum Discalceatorum SSmae Crucis et Passionis. Et animadvertebatur, hasce Literas apostolicas datas fuisse, non in forma communi, sed in forma *omnino extraordinaria,* continentes *clausulas efficacissimas.* Ibidem vero expressis verbis nominari *Exemptiones,* easdemque concedi simul cum caeteris privilegiis concessis et concedendis, praefatis Institutis, et quidem non obiter et perfunctorie, sed ex motu proprio et ex certa scientia; ibi enim legitur: *privilegia,* exemptiones.... *etiam motu proprio et ex certa scientia, ac alias per Nos, seu quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, et in posterum pari modo concedenda.* Quare hisce verbis dicebatur comprehendi omnia et singula privilegia (exceptis incommunicabilibus), etiam ea quae rarioris et difficilioris sunt concessionis. Praesertim cum in eodem Brevi clausula habeatur: *perinde ac si specialiter et expresse ac pariformiter et aeque principaliter ei concessa fuissent, auctoritate et tenore praesentium concedimus:* quibus verbis, subiungebatur, communicationem vim acquirere *concessionis directae.* Neque desunt aliae clausulae efficacissimae, quibus expresse derogatur Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Statutis et Consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, aliisve quibuscumque, quae obstarent communicationi horum privilegiorum et exemptionum.

Ex tenore igitur harum Literarum concludebatur, Summi Pontificis intentionem, firmamque voluntatem fuisse, concedendi Congregationi SSmi Redemptoris omnia privilegia, *tam praeiudicialia, quam non praeiudicialia,* quae concessa fuerant Con-

gregationibus Clericorum Discalceatorum SS̃mae Crucis, Piorum Operariorum, et Doctrinae Christianae, perinde ac si eidem (Congregationi SS̃mi Redemptoris) *specialiter et expresse ac pariformiter et aeque principaliter* concessa fuissent; ac proinde minime obstare Regulam Cancellariae *de iure tertii non tollendo:* etenim secundum Auctorum doctrinam cum agitur de gratia *ex sui natura praeiudiciali,* sicut est ex. gr. exemptio a decimis, exemptio a iurisdictione, immutatio voluntatis, etc., non requiritur quod in concessione fiat expressa mentio de praeiudicio tertio irrogando.

Ad Literas Apostolicas *Qui sicut* quod attinet, ostendebatur Pium VII. f. m. per ipsas, non solum confirmasse Literas Apostolicas *Sacrosanctum,* supra allegatas, de quibus ait: *quarum* (Literarum) *tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus;* sed ab ipso expressam fuisse voluntatem *(statuimus edicimus et declaramus)* concedendi Congregationi SS̃mi Redemptoris *omnia et singula privilegia, indulta, indulgentias et peccatorum remissiones, facultates,* Exemptiones *et gratias spirituales, etiam specialem mentionem requirentes, quibus praedictae* (Congregationes SS̃mae Crucis et Passionis, Doctrinae christianae et Piorum Operariorum) *aliaeque similes Clericorum seu Regularium seu Saecularium Congregationes.... ex concessione Apostolica, seu ex qualibet Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione, aut alias quomodolibet utuntur fruuntur et gaudent, ac uti frui et gaudere poterunt in futurum.* Et quo magis demonstraretur, praedicta privilegia et exemptiones concessa ac confirmata fuisse, non modo per viam amplissimae communicationis, sed *per veram et directam concessionem,* praeter alias clausulas et derogationes, insistebatur praesertim in verbis quibus laudatus Pontifex Pius VII expresse edixit: *ac etiam, quatenus opus sit, eidem Congregationi SS̃mi Redemptoris.... illaque omnia et singula tamquam de verbo ad verbum hic expressa et inserta fuissent .... eadem auctoritate denuo concedimus.*

Porro subiungebatur, huiusmodi Congregationes, quarum privilegiis Institutum SS̃mi Redemptoris ex speciali Sanctae Sedis gratia fruitur, gaudere exemptione omnimoda ab Episcopali iurisdictione visitatione et correctione; et praecipue ad hoc demonstrandum, adducebatur Rescriptum concessum B. Paulo a Cruce anno 1771., quod in calce causae integrum referimus.

Adnotabatur insuper in facto, quod nunquam Episcopi visitaverant Institutum SS̃mi Redemptoris, neque, spectatis Apostolicis Literis supra relatis, hoc facere potuissent, ex quibus (ut dictum est) non solum constare omnino contendebatur nominatim privilegium Exemptionis eidem Instituto concessum fuisse indirecte, per amplissimam communicationem, sed etiam *directe, tamquam si de verbo ad verbum* aliorum privilegia fuissent in hisce Literis expressa, et *denuo concessa*. His aliisque animadversis, circa haec rationum momenta discussum fuit.

Dubium

« An et quae Exemptio ab Episcopali iurisdictione ad Con-» gregationem SS̃mi Redemptoris spectet in casu.»

Solutio dubii. — S. Congregatio EE. et RR. die 16 Sept. 1864 censuit respondere:

Attento speciali privilegio praedictae Congregationi concesso, affirmative, *iuxta formam et modum Rescripti diei* 21 *Sept.* 1771 *editi favore Clericorum Excalceatorum S. Crucis et Passionis D. N. I. C.*

Indicatum vero a S Congregatione Rescriptum his verbis legitur: « Die 21 Septembris 1771 SS̃mus Dominus Noster, audita » relatione infrascripti Secretarii, in uberiorem elucidationem » Constitutionum Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Pas-» sionis Domini Nostri Iesu Christi, primum a S. M. Benedicto XIV. » per suas Literas in forma Brevis sub datum diei 18 Aprilis 1746, » postmodum clementissime quoque a Sanctitate Sua, per suas » literas apostolicas editas die 16 Novembris anni 1769 appro-» batarum et confirmatarum, et praesertim §§. VI. et XV. mox » dictae Constitutionis declaravit, quoad eas dumtaxat domos in » quibus permanent duodecim ex dictis Clericis de familia, et » in quibus regularis retinetur observantia, tam ecclesias quam » domos ac Regulares ipsos degentes, exemptos et immunes esse » a *Iurisdictione, Visitatione, et Correctione* quorumcumque » Episcoporum atque Ordinariorum, in quorum respectivis civi-» tatibus ac dioecesibus dictae domus reperiuntur, gaudeantque » iisdem privilegiis et exemptionibus, quibus, ex Apostolicae Se-» dis beneficentia, aliae Congregationes Regularium donatae sunt, » exceptis, tum iis quae ad curam animarum, et Sacramentorum

» administrationem pertinent, tum casibus in quibus Episcopis » atque Ordinariis iure delegato competit iurisdictio, ad formam » SS. Canonum Concilii Tridentini et Constitutionum Aposto- » licarum, atque ita Sanctitas Sua in perpetuum servari atque » exequi mandavit.»

F. M. Card. De Rubeis Praefectus.

F. N. Archiep. Petren. Secretarius.

Ex iis colliges:

I. Ordines regulares gaudere plena exemptione ab episcopali iurisdictione ad normam iuris et pontificiarum Constitutionum; dum e contra Instituta religiosa cum votis simplicibus eam tantum exemptionem sibi vindicare possunt, quam sibi specialiter concessam demonstrent.

II. Non sufficere ad hanc plenam exemptionem demonstrandam, allegare *genericam communicationem* cum privilegiis alicuius Ordinis sic exempti concessam; sed demonstrari quoque debere, Romanum Pontificem intendisse hanc extendere communicationem etiam ad odiosum hoc exemptionis privilegium.

III. Inter varia Instituta religiosa cum votis simplicibus, quae, ex speciali S. Sedis gratia, gaudent omnimoda exemptione ab Episcopali iurisdictione, visitatione et correctione, exceptis casibus iure excipiendis, speciatim recenseri Congregationem PP. Excalceatorum SS̃mae Crucis et Passionis D. N. I. C., necnon Congregationem SS̃mi Redemptoris a S. Alphonso Maria de Liguori fundatam (1).

(1) Non recte quis argumentaretur contra exemptionem de qua actum est in causa, hoc pacto: Superiores alicuius religiosi Instituti non habent iurisdictionem canonice visitandi, et infligendi censuras in subditos; quia (forsan) non habent aliquod documentum quo haec iurisdictio positive dicatur suo Instituto concessa: ergo non est ab Episcopali iurisdictione Institutum exemptum. Fallacia huius argumenti in eo praecipue consisteret, quod supponitur, eodem rigore probandam esse iurisdictionem concessam, ac probanda sit exemptio: quod est falsum. Etenim exemptio utpote laesiva iurium episcopalium dicitur odiosa, ideoque clarissimis argumentis est demonstranda. At demonstrata hac exemptione, non est odiosa iurisdictio de qua agimus. Etenim cuilibet bene ordinatae societati suppetere debent opportuna media quibus societas regatur. Ergo eo ipso quo aliqua societas ecclesiastica subtrahitur ab episcopali iurisdictione, censetur eidem iurisdictio concessa, qua, independentur ab Episcopis, regi possit. Quod si ad hanc

IV. Illa denique Instituta, quae huiusmodi exemptionem ab episcopali iurisdictione sibi vindicare nequeunt, exemptiones tamen sibi vindicare quoad Institutum, et quoad ea de quibus Constitutiones respectivae loquuntur, eo ipso quod Apostolica auctoritate sint peculiariter sancitae.

EMPHYTEUSIS ET REDINTEGRATIONIS

Die 28 *Aprilis* 1865.

Compendium facti. In libris administrationis episcopalis Mensae Civitatis A. memoriae traditum legebatur, quod anno 1797 die 28 Aprilis per acta Notarii N., eiusdemque Cancellarii episcopalis, Episcopus pro tempore, Damiano in Emphyteusim ad tertiam generationem concesserat quoddam soli frustulum,

regendam requiratur etiam potestas infligendi censuras, non potest concludi talem societatem non esse exemptam, sed imo concludi legitime deberet, eam hac iurisdictionis potestate, infligendi scilicet censuras, gaudere debere.

Caeterum neque desunt in hac re peculiares authenticae declarationes vel concessiones circa peculiaria religiosa Instituta de quibus agimus. Sic Benedictus XIII. literis apostolicis diei 16 Iunii 1727 Congregationi Doctrinae Christianae, ut *firmius subsisteret* haec indulsit « *Ut Praepositus generalis eiusdem Congregationis et quisque Provincialis, de suorum consiliariorum, atque Rector* de *Praepositi Provincialis, eiusque consilii consensu, adversus sibi subditos inobedientes, aut contumaces seu disculos ad poenam suspensionis* a Divinis *procedere ac resipiscentes ab illa absolvere libere et valide possint respective et valeant.*» Privilegiis huius Congregationis, eo modo quo in causa dictum est, communicat Congregatio SS. Redemptoris, ergo huic Congregationi, eadem potestas denegari non posse videtur.

Item generatim circa iurisdictionem et nominatim *canonicam* visitationem faciendam, quod ad Institutum SS. Redemptoris attinet, haec tantum referimus. Cum Gregorius XVI. f. r. in sex provincias hoc Institutum diviserit, Decreto 2 Iulii 1841, eodem tempore iussit definiendas esse facultates Provincialium in proximo generali Capitulo; quod deinde habitum fuit Romae anno 1855. In rigidum examen acta huius capituli fuerunt a S. C. EE. et RR. revocata, et inter alia, quae approbata fuerunt a Regnante Rom. Pontifice, reperiuntur duo articuli in quibus Provincialium huius Instituti potestas hisce verbis ample definitur: *Exercendi* Iurisdictionem *in Rectores, Superiores et singulos subiectos; transferendi singulos subiectos ex una domo in alteram, peragendi et dirigendi Missiones... XI. Instituendi quotannis* visitationem canonicam, *omnium Collegiorum, et Hospitiorum etc.*

in Dioecesis finitimae B. oppido positum, ubi antiquitus triticeum Molendinum extiterat, dirutum eo tempore ac solo penitus aequatum. Damianus ex lege contractus Molendinum suis expensis reaedificandum sumere tenebatur, et canonem duorum rublorum tritici in horreum mensae Episcopalis comportandorum quotannis cum ipse, tum eius descendentes, persolvere debebant.

Damianus reipsa Molendinum aedificavit, necessariis instrumentis instruxit, et tritico molendo aperuit. Canonis vero solutioni et ipse et eius descendentes fideliter satisfecerunt. Ob situs exiguitatem praedium illud inter urbana recensitum est; adeoque tum cum vectigal, quod vulgo *Dativa reale* audit, invectum est, molendinum eam contributionem effugit. Cum tamen Municipium oppidi, cuius in territorio situm erat, anno 1852 novum quoddam vectigal imposuisset, emphyteuticum illud Molendinum una cum aliis contributioni subiectum fuit. Directum eius dominium in tabulis censualibus Mensae episcopali, utile vero Damiani descendentibus fuerat inscriptum. Sed Municipium pro intributione exigenda Mensam episcopalem unice pulsaverat; eaque, per plures annos sine ulla contradictione, datium rependerat. Tandem anno 1861. Episcopus pro tempore, non dominum directum, sed utilem ei oneri perferendo obligatum esse sibi persuadens, Damiani descendentes penes Iudicem ecclesiasticum finitimae Dioecesis B. (quippe ex iis unus inter Clericos connumerabatur) in ius vocavit ea de causa, ut de vectigali annis usque eo dilapsis indebite persoluto, redintegraretur.

In iudiciali libello, qui vulgo *citatio* vocitatur, Actor Episcopus etiam ius sibi reservaverat – *agendi in congruo iudicio pro nullitate contractus emphyteutici ob defectum solemnitatum aliosque titulos.* – Sub hisce solemnitatibus beneplacitum Apostolicum, et scripturam significabat; neutrum enim proferebatur. Damiani descendentes huiusmodi clausulae adiectione gravatos sese fuisse rati, ad expensas declinandas, et obsequium sacrorum Antistiti deferendum, seposito fori strepitu, ad S. C. Ep. et RR. suas preces obtulerunt ad hoc, ut oeconomice Sacer Ordo de validitate emphyteusis constare declararet. S. C. pro more Episcopum finitimae Dioecesis B. de sua sententia rogavit, eique iniunxit, ut partem utramque (nempe Episcopum civitatis, ceu dominum directum, et Damiani descendentes, utpote emphyteutas, seu

dominos utiles) commoneret, ut iura quisque sua in scriptis S. C. exhiberet: quae omnia adamussim executioni mandata fuerunt.

Interim vero quo tempore apud S. C. haec agebantur, iudicium pro redintegratione vectigalium usque eo persolutorum apud iudicem Ecclesiasticum finitimae dioecesis B. continuatum fuerat, ac denique sententia lata contra Emphyteutas definitum. Attamen in proferenda sententia ad horum favorem conceptis verbis tectum sartumque ius servatum fuerat, ut in actu solutionis indemnitatem pro rata commodi ab Actore debita retinerent, prout de iure (1). Nihilominus victor Episcopus sententiam ab apparitore publico exequi iussit (quemadmodum ab ipso factum est) pro tota summa, nulla detractione ratae commodi permissa, frustra reclamantibus emphyteutis. Itaque iidem autumantes, ob voluntariam ab Episcopo iussam executionem, appellationi ab eo circa memoratam clausulam nuncium missum fuisse iuxta neotericas leges a S. M. Gregorio XVI latas *art.* 967, eidem S. C. Ep. Reg. alium supplicem libellum detulerunt, quo suum ius circa ratae commodi redintegrationem in rem iudicatam abiisse exponebant, unaque postulabant, ut a S. O. declararetur, Episcopum dominum directum ad redintegrationem ratae commodi teneri tum pro praeteritis tum futuris perpetuo temporibus. Quapropter S. C. Episcopum finitimae diaecesis B. de novis etiam hisce precibus sententiam rogavit, partesque ad sua iura penes S. Ordinem deducenda invitavit: quod pariter re praestitum est.

Disceptatio Synoptica.

Ex his quae hactenus exposuimus, duo esse controversiae capita innotescit. Primum videlicet continet contractus emphy-

(1) S. M. Pius VII. melius esse rei quam personae insistere probe intelligens, cum singulis pontificiae Ditionis praediis certum statutumque vectigal imposuit, quod vulgo audit *Dativa Reale,* fundorum possessores sua lege percutit, nulla habita ratione, an alii adessent domini, quibus ex fundo canon aliquis a possessore deberetur. Quoniam vero iustitiae legibus minime consentaneum agnosceret, ut unus dumtaxat publicarum intributionum incommodum sentiret, dum alius esset dominus, qui fundi fructuum commodum acciperet, sanctione sua cautum voluit, ut possessores tantum ex canone demerent, sibique retinerent, quantum commodi dominus alter sentiret, quod idem est ac dicere, ut canonem imminuerent pro rata commodi, quod alteri domino obveniret: inde appellatio *ratae commodi* ortum duxit.

teutici validitatem, alterum ratae commodi redintegrationem respicit

Defensio episcopi circa primum dubium. Ad primum quod attinet nemo nescit, contractus emphyteuticos sub alienationis nomine venire, adeoque, si de rebus ecclesiasticis agatur, censurae *Extrava: Ambitiosae* esse penitus obnoxios. Ut igitur Ecclesiae bona in emphyteusim concedi queant, necesse est, ut Beneplacitum Apostolicum intercedat, quod communiter docent Doctores, declarationes SS. Congregationum, et quotidiana confirmat praxis : quotidie siquidem huiusmodi beneplacita a SS. Congregationibus impetrantur. Iamvero nullum omnimode monumentum, nullum extabat vestigium ex quo nedum ostendi, sed nec et indigitari poterat, in emphyteutica concessione Damiano facta, necessariam hanc concurrisse solemnitatem. Quin imo in notula omnium rescriptorum, quae in Cancellaria adservatur, istud, quo de agimus, nec reperiebatur nec innuebatur.

Deinde indubitatum est, quod ad substantiam emphyteusis, Scriptura necessaria sit ex *L.* 1 *Cod. De iur. emph.*, et multo magis si de Emphyteusi ecclesiastica sermo sit *ad Novel* 7 *in fin. praef. et Nov.* 20 *Cap.* 5 *et Cap.* 6. §. 2.; quod universim tradunt iuris utriusque Doctores apud Ferraris *V. Emphyteusis Art.* 1 *n.* 13. At vero, licet inquisitiones omnis generis neglectae minime fuissent, eam nihilominus reperire datum nequaquam fuerat, sed e contra constabat, ex cum publica fama, tum ex pluribus aliis exemplis, quod Notarius idemque Cancellarius episcopalis illius temporis, quo emphyteusis inita est, tanta negligentiae socordia tenebatur, ut publica Instrumenta tanquam confecta et consumata adnotaret, quae nunquam nec eo tempore, nec postero revera iuxta legis praescriptum conscripta fuissent.

Denique perperam ad praesumptionem iuris confugium haberi potuisset, perinde ac et Beneplacitum, et Scriptura intercessisse reputanda forent, donec aliter non probaretur: Omnes enim vel iurisprudentiae tirones haud nesciunt, praesumptionem quamlibet veritati cedere; at veritas erat, ut ex praemissis manifestum est, quod neutra ex duabus illis solemnitatibus nostro in casu locum habuisset.

Defensio episcopi circa secundum dubium.—Facto dein transitu ad aliud controversiae caput, quod vectigalium indebite soluto-

rum redintegrationem attingit, ex parte eiusdem Episcopi animadvertebatur, errorem a Municipio admissum, in ea contributione domino directo non domino utili adiudicanda, ex eo evenisse, quod in tabulis censualibus directum Molendini dominium Mensae episcopali adiectum legebatur. Qui tamen error facillime dissipabatur, si parumper an imo adverteretur, ex iure communi intributiones omnes non a domino directo, sed ab Emphyteuta pensitandas esse; *Leg.* 5. *Cod. de Cens. Voet Lib.* 6 *Tit.* 3 *n.* 12. Quae iuris censura tum solummodo effugitur, cum ex pacto aliter conventum fuisse comprobetur. Iamvero in themate nullum omnino pactum intervenisse putandum erat ex ea ratione, quod scripturam nullatenus confectam fuisse constabat.

Subinde lex ea, quae Emphyteutae ius reliquerat, ut tantum de canone detraheret, quantum commodi dominus directus ex fundo censito percipit, iuxta legislatoris mentem ad unicam intributionem coercebatur, quae tum indicta fuerat sub vulgari nomine *Dativae realis*. Iamvero, pretium ab Episcopo anteactis annis iniuria persolutum, non ex huiusmodi a Principe imposito vectigali, sed ex onere per Municipium inscripto derivabat, adeoque non Camerale, ut in Ditione pontificia appellatur, seu Regium, ut alibi, sed Municipale tantum habendum erat: quocirca quaevis obligatio ratae commodi remittendae exulabat.

Immerito praeterea, subiiciebat Episcopus, remiudicatam obtrudi: namque in sententia, cum limitatio addita est de ratae commodi detractione ab Emphyteuta peragenda, clausula accessit *prout et quatenus de iure*, quae clausulae, conditionem important ex Barbosa *De Claus.* 115 *n.* 12 *Rota Devis.* 341 *n.* 4 *p.* 5 *Rec.*, videlicet quatenus hoc ipsis Emphyteutis ad iuris tramitem competeret. At ex eis, quae modo posuimus, palam est ex iure communi onera omnia non Domino directo, sed utili esse adiudicanda.

Super haec Episcopus alia nonnulla praelibabat, quae Iudicis Ecclesiastici finitimae Dioecesis B. incompetentiam constituebant; sed ea referre parum interesset.

Defensio emphyteutarum circa primum dubium. — E parte diversa Emphyteutae, Episcopi exceptionibus adversati, non inficiabantur in primis, Scripturam esse tamquam fundamentum contractus emphyteutici: at vero propugnabant manifestum non esse, quod, in concessione emphyteutica Molendini, Scriptura de-

fuisset, quin imo documentum positivum extabat, ab ipso Episcopo productum, aut saltem non impugnatum, quod reapse adfuisset: perspecta siquidem erat, ex libris administrationis, data diei et anni quo contractus celebratus fuit, et insuper Notarius nominabatur, qui instrumentum rogaverat. Aliud porro est Scripturam non intervenisse, aliud non reperiri ac perditum ivisse.

Idipsum de Beneplacito Apostolico dicendum erat; neque enim ex eo, quod minime reperiatur, inferri potest, ipsum non fuisse impetratum. Sed enimvero eo ipso, quod Scriptura interciderat, Beneplacitum etiam, cuius tenor ibidem referri solet, eadem ruina deperiisse putandum est.

At vero aliud erat propugnaculum, quo emphyteutae mordicus iura sua tuebantur; id erat praescriptio annorum plusquam sexaginta. Qua in re statuebant, ex communi SS. Canonum iure, ad praescriptionem bonorum Ecclesiasticorum satis esse lapsum annorum triginta cum conditionibus a lege praescriptis.

Neque vero Episcopus beneficium Constitutionis S. M. Urbani VIII. incipien. *Romanus Pontifex* vindicare sibi potuisset, cuius ex dispositione sancitum est, ut, ad praescribenda Ecclesiae iura, praescriptio longissimi temporis requiratur. Emphyteutae siquidem adnotabant, Constitutionem Urbani VIII. tum suam exerere vim, cum Ecclesia in celebratione contractus detrimentum passa fuerit. Porro ubique in eius Constitutionis corpore conceptis verbis ea dispositio iis casibus accommodatur, quibus praeiudicium Ecclesiae obvenerit; omni enim loco, tam frequentius ut nihil supra, repetitur *in praeiudicialibus, circa praeiudicialia*, et similia.

Hinc factum est, ut S. Rota Romana ex eo ipso tempore, quo pontificia ea sanctio prodivit ad haec usque tempora eam constantem ac perpetuam disciplinam reciperet ac doceret, quod nempe eius Constitutionis applicationi locus non fiat, nisi tum cum Ecclesia tempore initi contractus laesam se ac praeiudicatam fuisse comprobet. Ita nimirum eruitur ex *Decis.* 48 §. *ult. Part.* 13 *Rec. Decis.* 1166 *n.* 5 *et* 6 *coram Emerix, in Melevitana Immiss.* 11 *Iun.* 1681 §. 1 *coram Flangini, in Confirmatoria* 6 *Iunii* 1783 §. 5 *coram eodem* (1). Huic doctrinae adstipulantur aliae

(1) Iuvat hic ipsis verbis huius decisionis auctoritatem exscribere -ibi- « Haec » enim veteris iuris mutatio per illam » constitutionem (Urbani VIII.) facta est

S. Rotae decisiones, ac recentiores melioris notae Interpretes SS. Canonum, nempe Passerin *De Stat. hom. Tom.* 1 *qu.* 185 *art.* 8 *n.* 613. Monacell. *Form. Legal. Tit.* 14 *form.* 4 *adi. ad suppl. n.* 15 Pitonius *de Contr. Patron. Alleg.* 36 *n.* 20.

Hisce praestitutis Emphyteutae plura documenta proferebant in medium, ex quibus eruebatur Mensam episcopalem nedum laesam nullatenus fuisse cum Molendinum in emphyteusim concessit, quin imo maximam utilitatem consecutam esse; ex frustulo enim soli, quod in tabulis censualibus non pluris quam tria vel quatuor scutata aestimabatur, quodque praeterea nullum Mensae episcopali fructum eo tempore afferebat, pensitationem in perpetuum sibi comparavit duorum tritici rublorum ad episcopale horreum deferendorum.

Defensio emphytheutarum circa secundum dubium.—Disiectis eversisque exceptionibus primum controversiae caput respicientibus, ad ea impugnanda rationum momenta gradum faciebant, quae contra se ab Episcopo ea in re deducta fuerant. Sed in antecessum animadvertebant, ex voluntaria sententiae Iudicis ecclesiastici vicinae Dioecesis B. executione ab Episcopo iussa, et perpetrata, factum esse, ut sententia in remiudicatam transitum fecerit, quae cum de albo faciat nigrum, ut loquuntur Forenses, etiamsi iniusta fuisset, pro iusta esset habenda, donec per restitutionem in integrum revocata et ad nihilum reducta non fuisset.

Ad meritum causae vero quod pertinet, non diffitebantur generatim, intributiones praedio emphyteutico a Principe impositas ab Emphyteuta esse pensitandas: at vero distinguebant intributiones ordinarias, quaeque facile praevideri queunt, ab intributionibus extraordinariis, quae animo a contrahentibus ne fingi quidem possunt: quaeque casibus insolitis adsimilantur. Has enim Emphyteutis incumbere allatis auctoritatibus S. Rotae ac Doctorum inficiabantur. Iamvero vectigalia a Municipio indicta huiusmodi reputanda esse contendebant; aiebant enim in animo

» non ad omnes contractus, sed ad eos » tantum, quos certe constat intulisse » damnum ecclesiae. Quare ad praesu- » mendum Beneplacitum Apostolicum, » sua vis manet tricenariae observantiae » etiam post illam Constitutionem Urba- » nam, usque dum non probetur ecclesiae » damnum tempore initi contractus, ut » per auctoritates adductas in altera De- » cisione §. 1. etc.»

contrahentium tempore initi contractus cadere nequaquam illud potuisse, ut ea onera a Municipio invehi posse praevideren t. Cuius in rei confirmationem decisionem quandam afferebant in *Romana Pecuniaria 4 Maii* 1854 *coram Giannelli* latam, in qua vectigalia a Romano Municipio iniuncta casui fortuito assimilata fuerant, adeoque ab eo non esse perferenda, qui oneribus ordinariis, et praevisu facilibus sese dumtaxat obstrinxerat.

In hoc summa sita erat defensionis Emphyteutarum: quae enim alia deducebantur, minoris momenti erant, adeoque parvi facienda.

His itaque positis die 6 Maii 1864 in plenis comitiis eiusdem S. C. Ep. et Reg. proposita fuerunt sequentia.

Dubia

I. « An et quomodo sustineatur emphyteusis in casu.»

II. « An constet de reiudicata etiam quoad detractionem pe- » titam in casu.»

Emi Patres rescripserunt

Ad primum *Affirmative.*

Ad secundum – Reformato dubio, « An locus sit detractioni petitae in casu.» – *Negative.*

EIUSDEM CAUSAE CONTINUATIO CIRCA SECUNDUM DUBIUM.

Resolutio primi dubii ab utraque parte accepto habita est, videlicet ab Emphyteutis, quibus eadem favebat, et ab Episcopo, cui refragabatur. At vero resolutio secundi dubii non parum dolori fuit Emphyteutis, qui reiiudicatae clypeo tutissimos sese arbitrabantur. Itaque nulla interposita mora S. C. supplices oraverunt, ut controversia in consultationem iterato vocaretur. Qua re impetrata, monitus est Episcopus, ut nova, si modo sibi placeret, iura deduceret, qui nihil se habere respondit, quod ulterius exhiberet.

Emphyteutae, mutata defensionis suae ratione, duo propugnanda susceperunt, primo videlicet ratam commodi retinendam esse, non modo in vectigalibus Cameralibus, seu Regiis, sed et etiam in Municipalibus, modo realia, non personalia forent. Deinde statuebant, emphyteusim, de qua agebatur, si substantia potius, quam nomen et species inspiceretur, locationem conductionemque esse penitus reputandam.

Ad primum quod attinet, animadvertebant, vectigal a Municipio impositum nihil aliud esse nisi additamentum Dativae realis; cum igitur accessorium sequatur principale, illud sequi contendebant in Municipii intributionibus ratae commodi retinendae locum esse, non secus ac in Dativa reali retinebatur. Huiusmodi argumentum maiorem ex eo vim acquirebat, quod, re penitius inspecta, vectigal illud Municipale nihil aliud foret, nisi vectigal Camerale. Et sane; primitus viarum tum totius pontificiae Ditionis, tum cuiuscumque provinciae ad Gubernium pertinebat: eamque in causam decima pars Dativae realis addicta fuerat. In posterum viarum provinciae curandarum onus in provinciae aerarium reiectum fuit, adeoque provinciae Praesidi copia facta est, ut Municipia, quae provinciae aerarium alunt, ad novas intributiones imponendas auctoraret, prouti reapse factum est, designatis ac taxationi suppositis praediis omnibus iuxta tabulas censuarias.

Addebant insuper ibi eamdem dispositionem recipiendam esse, ubi eadem esse ratio dignoscatur. At vero ratio, cur ratae commodi beneficium a Principe inductum est, nihil aliud esse tuebantur, quam quod iniquum et iniustum fuisset praediorum possessores, quales emphyteutae sunt, solummodo onere gravare, et immunes abire permittere alios, qui ex iisdem praediis commodum quomodocumque consequerentur: quoniam vero difficile ac salebrosum erat, ut Gubernium dominos directos inquireret, ac pulsaret, illud inductum fuit, ut Gubernium possessores impeteret, hi vero redintegrationem a suis dominis directis exigerent. Iamvero in vectigalibus, quae a Municipio super praediis constituuntur, eadem ratio recurrebat; cum enim ex iis commodum pariter percipiant directarius et emphyteuta, si unus emphyteuta incommodum sentiret, ingens admitteretur iniquitas, dummodo onus ab eo perlatum pro rata commodi directarius non relevasset.

Quae omnia confirmabat decisio quaedam S. Rotae Romanae, in qua, discusso formiter articulo, statutum ratumque fuit, ut rata commodi debeatur ex omnibus vectigalibus realibus, minime personalibus, sive eadem a Principe, sive a provinciae Praeside, sive a municipali Magistratu proficiscantur.

Species facti nostro casui assimilabatur quam quae maxime. Data fuerant fratribus Menzoni quaedam praedia in emphyteu-

sim perpetuam, addita conditione, ut ab ipsis onera omnia sive cogitata sive non cogitata, ac mentione digna persolverent. Cum primum itaque Dativa realis invecta est, itemque alia onera sive a Provincia, sive a Municipio superaddita fuerunt iuxta ea, quae modo praemissa sunt, Fratres Menzoni a Domino directo ratae commodi retentionem postularunt. Re in iudicium deducta S. Rotae Tribunal in *Maceraten. super Emphit. sup. rat. com.* 28 *Ian.* 1842, pronunciavit locum esse retentioni ratae commodi, in eaque liquidanda comprehendi deberi omnia onera realia, non personalia: iamvero inter huiusmodi onera realia, planum in facto erat accenseri vectigal, quod a Municipio fuerat impositum, aeque ac alia a provinciae Praeside imperata. Quater vel quinquies eodem semper exitu causa ventilata fuit in S. Rotae Auditorio: neque satis; domino directo instante, restitutio in integrum contra Menzonios obtenta fuit. Sed frustra; nam sententia Rotalis confirmata est, adeoque magis magisque fixum ratumque mansit, ratam commodi detrahendam esse ab omnibus oneribus realibus cuiuscunque generis ea sint, dummodo non personalia.

Post haec ad alterum defensionis caput demonstrandum progrediebantur Emphyteutae. Repetitis itaque iuribus, ex quibus originem duxit Emphyteusis in iurisprudentia caesarea, statuebant, eius naturam talem esse, ut fundi steriles et inculti alicui pro modica pensione in signum recognitionis dominii implantandi, colendi, vel in melius adducendi tradantur. Iamvero quoties huiusmodi pensionis modicitas abest, et e contra quoties pensio solvenda naturalibus fundi fructibus respondet, tum substantia emphyteusis exulat, ac potius locatio conductio constituitur: et reapse huiusmodi concessiones emphyteuticae nomen praeseferunt emphyteusis, sed locati conducti rem ac substantiam gerunt. Quae quidem doctrina tantae evidentiae est, ut communiter a Tribunalibus, et Doctoribus, conctractus huius generis, quando canon fructus exaequat, non inter emphyteuses sed inter locationes conductionesque accenseantur (1).

(1) Contra hanc doctrinam, quae ad causae opportunitatem adducebatur, recolenda ac prae oculis habenda est sequens limitatio celeberrimi Card. De Luca in *Disc.* 69 *n. De Emphyt.* - ibi - «Quamvis » ubi canon magnus et correspondens » fructibus soleat esse magnum argumen- » tum, quod sit potius locatio, quam em-

Hisce positis Emphyteutae duo subsumebant, unum in facto, aliud in iure. Primo siquidem ostendebant, canonem duorum tritici rublorum nedum parem esse fructibus a Molendino percipi solitis, sed et eosdem fructus longe superare non sine ingenti Mensae episcopalis utilitate. Subinde, cum incompertum sit apud omnes, quod in locati et conducti contractu onera omnia non a conductore, sed a locatore iuxta iuris communis instituta persolvi debeant, inde ipsi arguebant, onera omnia Molendino imposita et imponenda non ab ipsis, utpote conductoribus, sed ab Episcopo tamquam locatore, pensitari debere. Itaque illud ipsi voluissent, ut eidem Episcopo non ratae commodi persolutio, sed totius plane vectigalis onus perferendum demandaretur.

Itaque die 12 Augusti proposito dubio: «An et quomodo recedendum sit a resolutione capta in primo dubio. »

» phyteusis; attamen ista et aliae similes » circumstantiae inducunt quidem argu- » mentum vel praesumptionem in ambi- » guo, secus autem ubi partes certe facere » voluerint contractum emphyteuticum, » cum in claris et expressis cessent quae- » stiones et argumenta: alias etenim nun- » quam dari posset emphyteusis in Eccle- » sia, quae seclusis casibus de quibus su- » pra *disc.* 5 *et seqq.* prohibita est facere » huiusmodi concessiones absque iusta » evidentis utilitatis causa, ex deductis in » sua materia alienationis bonorum ec- » clesiae sub *tit. de Alien. et contract.* » *prohib. Disuss.* 1 *et seqq.*»

(1) Ab antiquissimis temporibus in more positum est apud Sacrum Romanae Rotae Tribunal, ut controversiarum iudicialium, quae ibi in disceptationem deducuntur, summa ad minimam, si ita loqui fas est, expressionem redigatur, ita ut Patres illius Sacri Ordinis, quibus munus est ferre iudicium, sub simplici ac perbrevi dubii seu quaestionis formula de tota controversiae vi rogati, per meram responsionem *Affirmative,* aut *Negative* sententiam suam edant, ac omnem litem definiant ac perimant. Sic ex. gr. si de obligatione reddendae rationis circa aliquorum bonorum administrationem sermo sit concipitur dubium *An locus sit redditioni rationum in casu,* de quo videlicet in ea, quae discutitur, controversia agitur. Itaque si Patres responderint *Negative,* is cuius obligatio expenditur, rationem haud reddere teneri dicendus est; ac viceversa ad eas reddendas adigi eumdem constat, si iidem Patres *Affirmative,* respondeant. Hanc eamdem rationem plus minus in proponendis negotiis et consultationibus ad se delatis imitantur ac sequuntur Sacrae Almae Urbis Congreg.

Iamvero, quando controversia ob impetratum *novae,* quam vocant *audientiae* beneficium, iterum disceptationi, auditis ut antea partibus, proponitur, dubii seu rogationis formula adhibetur. *An standum vel recedendum sit a decisis in casu;* idque significat, an decisioni, quae in praecedenti causae propositione capta fuit, standum sit, vel potius ab ea recedendum. In primo casu Patres respondent *In decisis,* et sententia, quae edita iam fuerat, confirmata fuisse intelligitur: in secundo, Patres utuntur responso *Recedendum a decisis,* quo sententia revocatur, et qui succubuerat victor, qui vicerat succumbens e contra efficitur. Si ter-

Emi Patres responderunt *Dilata, et ad mentem: mens est: ut scribatur Episcopo Administratori (Dioecesis B.) ut dilucidationes praebeat, quae in folio Emi Card. Ponentis indicata reperiuntur.*

Causae exitus definitivus. — Ea quae scitu necessaria significabantur in ipso folio, eo potissimum spectabant, ut reapse constaret, an vectigal a Municipio super Molendino constitutum reale non vero personale reputandum foret: quippe in anteactis causae propositionibus quaedam circumstantiae expositae fuerant, quae hanc rem minime perspectam et manifestam redderent. At vero Emphyteutae illud sibi statim negotium exhibuerunt, ut, idoneis ad rem documentis deductis, demonstrarent, nullam subesse dubitationem, quod in causa, de qua agebatur, vectigal municipale oneribus realibus annumerandum foret. Quapropter propositum iterum fuit die 28 Aprilis anni currentis

Dubium

« An et quomodo recedendum sit a resolutione capta ad » secundum dubium in casu.»

Resolutio dubii. — Emi Patres rescripserunt – *Recedendum a decisis, et locum esse detractioni ratae commodi in summa ab Emo Ponente liquidanda.* –

Ex iis inferes.

I. Ad praescribendas res et iura Ecclesiae satis esse ordinario tricenariam.

II. Necessariam esse centenariam, si Ecclesia in contractu ineundo laesa fuerit.

III. In hunc sensum accipiendam esse Const. Urbani VIII. incipien. *Romanus Pontifex* hac super re emanatam.

IV. Laesionem tempore initi contractus acceptam, comprobandi onus Ecclesiae incumbere.

V. Ratae commodi retentioni locum esse in omnibus intributionibus realibus, sive eae a Principe supremo, sive a provinciae Praeside, sive a Magistratu municipali indicantur.

tertio causa disceptanda ex novae audientiae beneficio proponatur, formula haec est. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis.* Patrum vero responsio est *In primo, vel secundo loco decisis,* prout nempe sententia prima vice vel secunda edita confirmetur.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

TOLOSANA

CANONIZATIONIS

BEATAE GERMANAE COUSIN

VIRGINIS SAECULARIS

OPPIDI PIBRAC TOLOSANAE DIOECESEOS

SUPER DUBIO

An tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Beatae Germanae Canonizationem.

Decretum — « Summa Dei bonitas quae rudem illum adolescentem David de gregibus ovium sustulerat, ut regeret Israel haereditatem suam teneretque sceptrum regium in domo Iacob, eadem agrestem puellam Beatam Germanam Cousin ab ovium custodia sibi assumpsit, eamque virtutum splendore mire circumdans ad sublime aeternae gloriae solium evexit. Et quemadmodum Davidi dederat ut salutem in Israel afferret cum barbarum illum de terra tolleret, ita et Germanae tribuit, ut hominum aerumnis occurrens, ab aegris eorum corporibus indomitas expelleret infirmitates. Cum ergo Sacris tuendis Ritibus praeposita Congregatio de sanationibus, quae, Beata Germana interveniente post indultam venerationem, a Deo patratae ferebantur, accuratissimum instituisset experimentum, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX Decreto septimo kalendas Martii anni huius evulgato, sancivit, constare de duobus miraculis, nempe de primo *instantaneae perfectaeque sanationis Annae Mariae Noel a spontanea femoris luxatione;* et de altero *instantaneae perfectaeque sanationis Franciscae Huot in Religione sororis Iuliae Germanae a chronica medullae spinalis inflammatione.*»

« Post haec nil aliud in causa huiusmodi praeclarissima remanebat agendum, quo ad exitum quamprimum perduceretur, nisi postrema illa declaratio, qua tuta ad Canonizationis Ritum sterneretur via. Quare in Comitiis Generalibus apud aedes Vaticanas

sexto Idus Aprilis vertentis anni coram eodem Sanctissimo Domino habitis Reverendissimus Cardinalis Ioseph Bofondi, loco Reverendissimi Cardinalis Caroli Aloysii Morichini absentis, proposuit dubium « *an tuto procedi possit ad solemnem Beatae Germanae Cousin Canonizationem?* » et omnes Reverendissimi Patres Cardinales simulque Consultores affirmativum dedere responsum.

« Verum Beatissimus Pater noluit illico suam pandere mentem, monuitque adstantes, ut secum enixius divinam exorarent Sapientiam, ut in lumine suo lumen ipse videret. Denique hodiernam designavit diem, Dominicam nempe septimam post Pentecosten. Proindeque Sanctitas Sua in Arce Gandulphi commorans, prius Salutari Hostia in privato aedium Pontificalium sacello piissime oblata, ad hanc parochialem eiusdem Arcis ecclesiam se contulit; ibique postquam Sacro adstitisset ad se accersivit Reverendissimum Dominum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, Sacrorumque Rituum Congregationi Praefectum, atque Reverendissimum Cardinalem Iosephum Bofondi Causae Relatorem una cum R. P. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus rite pronunciavit « *tuto procedi posse ad solemnem Beatae Germanae Cousin Canonizationem.* »

« Decretum hoc publici iuris fieri, in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de solemniis Canonizationis in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit decimo kalendas Augusti anni MDCCCLXV. »

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

FORMULA BENEDICTIONIS TELEGRAPHI.

Clerus vel a proximiori ecclesia, vel ab aliquo alio loco ad hoc parato, procedat usque ad stationem Telegraphi canendo vel recitando Canticum: Benedictus Dominus Deus Israel, *ubi Episcopus vel Sacerdos in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus intonabit Antiphonam sequentem.*

Antiph. Benedictus es Domine qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. *Post eam Psal.* 103, Benedic anima mea Domino, *ut in sabato ad Matutinum; ac repetita Antiphona incipiet in hunc modum Benedictionem:*

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Concede nos famulos tuos quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oremus.

Deus qui ambulas super pennas ventorum, et facis mirabilia solus; concede, ut cum per vim huic metallo inditam fulmineo ictu celerius huc absentia, et hinc alio praesentia transmittis, ita nos inventis novis edocti, tua gratia opitulante, promptius et facilius ad te venire valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat telegraphum aqua benedicta.

FORMULA BENEDICTIONIS VIAE FERREAE.

Clerus, vel a proximiori ecclesia, vel ab aliquo alio loco ad hoc parato procedat usque ad stationem viae ferreae canendo vel recitando.

Antiph. In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus: et Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace salute et gaudio revertamur ad propria.

Cant. Benedictus Dominus Deus Israel etc.

Ibi Episcopus vel Sacerdos in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus, repetita Antiphona, intonabit:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie.
℟. Prosperum iter faciat Deus salutarium nostrorum.
℣. Vias tuas Domine demonstra nobis.
℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viae nostrae.
℟. Ad custodiendas iustificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam utilitatemque hominum condidisti: dignare quaesumus hanc Viam ferream, eiusque instrumenta bene ✠ dicere, et benigna semper tua providentia tueri; et dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes, et viam mandatorum tuorum currentes, ad coelestem patriam feliciter pervenire valeant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Propitiare Domine Deus supplicationibus nostris, et bene ✠ dic Currus istos dextera tua sancta, adiunge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis: et quemadmodum viro Aethiopi super currum suum sedenti, et sacra eloquia legenti per Levitam tuum Philippum fidem et gratiam contulisti; ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adiuti, bonisque operibus iugiter intenti, post omnes viae et vitae huius varietates aeterna gaudia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit viam et currus aqua benedicta.

Post utramque Benedictionem dicitur Te Deum *cum oratione* Deus cuius misericordiae etc.

Brundusina et ostunen.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX. clementer deferens supplicibus votis Revmi Domini Raphaelis Ferrigno Archiepiscopi Brundusini, et Administratoris Dioeceseos Ostunensis, a Substituto Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis relatis, indulsit ut, in utraque Dioecesi sua, suprascriptae Benedictionum formulae a sacra Rituum Congregatione iam approbatae pro Benedictione Telegraphi et Viae Ferreae adhiberi valeant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 Aprilis 1865.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

CONGREGATIONIS S. BENEDICTI IN GALLIA

Decretum. « In generalibus Comitiis Sacrae huius Indulgentiarum Congregationis, habitis die 29 Februarii 1864, sequentia dubia per Ioannem Baptistam Nicolas Monachum Congregationis Gallicae Sancti Benedicti proposita fuere.»

1. « Cum ex diversis Decretis S. Congregationis Indulgentiarum iam liceat plures Plenarias Indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur an dictum Decretum respiciat solas Indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas quas unusquisque ob suam devotionem tali, per hebdomadam aut mensem, diei adfixerit.»

2. « Qui Decreto ipso uti voluerit, an teneatur Ecclesiam vel publicum Oratorium visitare (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt Indulgentiae lucrifaciendae.»

« Et quatenus Affirmative.»

3. « An sufficiat, ut in una, eademque Ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot sunt Indulgentiae lucrandae, quin de Ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur.»

« Hisce itaque ab Eminentissimis Patribus mature discussis, Votisque Consultorum perpensis, respondendum esse statuerunt « Ad primum *Affirmative*. Ad Secundum *Affirmative*. Ad Tertium *Negative*.»

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 29 Februarii 1864.

F. Antonius Maria Card. Panebianco Praefectus.

Loco ✠ Signi

A. Colombo Secretarius.

Vota Consultorum in compendium redacta.

Coniungimus duo Consultorum vota, quae plene simul consentiebant, ex utroque decerpentes quae maxime ad rem faciunt.

Quoad primum dubium. — Censebant Consultores ad primum dubium esse respondendum *affirmative*. Decreta enim a S. Congregatione Indulgentiarum emissa, quae declarant quemlibet plures plenarias distinctas Indulgentias eodem die lucrari posse, nullam faciunt distinctionem inter plenarias Indulgentias, quae simul occurrant eodem die propter aliquam festivitatem, et illas quas unusquisque ob suam devotionem tali diei adfixerit. Satis enim esse Consultoribus videbatur, ut adimplerentur conditiones praescriptae, pro qualibet indulgentia lucrifacienda, quae eodem die iterabiles sint. Ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. De re enim agitur in qua non apparet sufficiens ratio, propter quam haec distinctio induci debeat; imo e contra constat RR. Pontifices, qui hanc veniam dedere Christifidelibus statuendi diem pro lucranda Indulgentia, tanta voluisse potiri fideles libertate, ut nullam unquam exceptionem in variis indultis de hac re apposuerint.

Ad rem insuper afferebatur resolutio S. C. I. diei 4 Decembris 1843. Siquidem Episcopus Boiacensis in Gallia pro sua dioecesi obtinuerat Indultum, vi cuius Christifideles illius dioecesis, qui infra unam vel duas hebdomadas (1) sacramentalem Confessionem peragerent, frui possent eodem temporis intervallo plenariis Indulgentiis in qualibet Ecclesia seu publico Oratorio: et cum quaesitum fuisset « an in praefato Indulto ageretur de indulgentiis » localibus tantum, aut de Indulgentiis plenariis quibuscumque» responsum fuit a S. C. I. *Intelligendum esse de omnibus Indulgentiis tam localibus quam personalibus, pro quibus sacramentalis Confessio tanquam iniuncta conditio requiritur.*

Quoad secundum dubium. — Ad secundum dubium eodem modo pro affirmativa sententia stabant Consultores. Sane cum ex S. C. decretis sive resolutionibus adimplendae sint conditiones prae-

(1) In hoc consistebat privilegium indultum, ut non intra unam, ut assolet, sed intra duas hebdomadas sacramentalis confessio perageretur.

scriptae pro qualibet Indulgentia lucranda; si pro qualibet visitatio praescripta sit, tot erunt repetendae visitationes, quot sunt Indulgentiae lucrifaciendae. Visitatio enim est conditio, quae eodem die iterari potest. Quod si Sacra Congregatio ad dubium propositum *die* 29 *Martii* 1841, « an eodem die lucrari possint » plures Indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta » est perceptio S. Eucharistiae » responderit *affirmative servatis tamen respective aliis appositis conditionibus;* ideo receptio S. Eucharistiae pro singulis distributive sufficere censuit, quia non est eodem die opus iterabile. Debent tamen servari aliae appositae et respectivae conditiones.

Quoad tertium dubium. — Observabatur circa tertium dubium non posse aequiparari Visitationes Ecclesiae, et repetitas in ecclesia preces singulis visitationibus respondentes. Etenim quamvis sub nomine visitationis comprehendantur preces, non tamen solae preces significantur, sed directe significatur accessus ad ecclesiam. Et ceteroquin opera iniuncta, pro lucrandis Indulgentiis, peragi debent eo modo et forma qua praescripta fuerunt, neque ad proprium cuiusque ingenium commutanda aut fingenda.

Ad rem autem animadvertebatur cum Suarez: *visitationem pro lucranda indulgentia esse accessum ad locum sacrum, ex fide et religione procedentem, cum intentione ibidem colendi Deum, vel in se ipso, vel in aliquo Sancto.* Atqui huic complexae conditioni non satisfaceret ille, qui solas preces, toties in ecclesia repeteret, quot essent visitationes faciendae. Quibus assentit Bonaccina qui *in tractat. de Indulgen. disput.* 6 *q.* 1 *par.* 5 *n.* 32 ait « ex quo se» quitur eum qui saepius eadem die visitat ecclesiam, toties » indulgentiam consequi quoties prudenter et devote adit Ecclesiam » quibus addit « secus si tantummodo ecclesiam ingrediatur » et statim exeat.» Quae verba, iuxta illud quod docuit Suarez, demonstrant, nomine visitationis intelligi opus complexum, adeo ut eidem operi neque ille satisfaciat qui solas repetit visitationum preces, neque alter satisfaceret, qui suam praesentiam tantum in ecclesia exhiberet.

Denique ad haec ulterius confirmanda, animadvertebatur non esse alienum a consuetudine populi christiani repetere ingressus et regressus ab ecclesia, pro repetenda visitatione in finem de quo agimus. Hoc enim contingit die secunda Augusti quoli-

bet anno circa celeberrimam Indulgentiam, quae dicitur *Portiunculae;* quae consuetudo maxime Romae servatur. Imo ipsemet Benedictus XIV. *tom.* 14 *editionis pratensis an.* 1845 §. 26 de Indulgentia Portiunculae haec habet: « Ad Portiunculae In» dulgentiam quod spectat, haud improbatur pia illa atque an» tiqua consuetudo qua Christifideles saepenumero in Sacram » Aediculam, vel in alias ecclesias ad quas praedicta Indulgentia » patet ingrediuntur, existimantes posse se pluries eam con» sequi. Et revera cum ab Episcopo quodam S. Congregationi » Concilii expositum fuisset Fratres Reformatos Ordinis S. Fran» cisci provinciae Carniolae populo persuadere ut saepius eodem » die ingressum illum repeterent.... et cum quaesitum fuisset, » num id tolerari posset; S. Congregatio *die* 17 *Iulii* 1700 ita » respondit: *S. Cong. Emorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid.* » *Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis et Ministri* » *Provincialis, censuit servandum esse solitum.*» Quare ad tertium dubium opinabantur Consultores respondendum esse *negative.*

Exinde colliges:

I. Plures distinctas (1) plenarias Indulgentias posse eodem die quemlibet lucrari, sive hae sint personales, sive locales, dummodo tamen pro singulis Indulgentiis, singulae iniunctae conditiones serventur.

II. Quod si eaedem pro qualibet Indulgentia sint conditiones iniunctae, hae toties eodem die iterari debent, si iterabiles sint, quoties sunt Indulgentiae lucrifaciendae.

(1) Una eademque plenaria indulgentia eodem die lucrifieri non potest. Hoc declaratum fuit in Decreto diei 7 Martii 1678 quod incipit: *Delatae saepius.* Huius Decreti verba ad rem facientia, haec sunt: « *Semel autem dumtaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.* Excipi tamen debet Indulgentia celeberrima *Portiunculae*, vel si quae sint aliae adinstar Portiunculae concessae. Ad hanc enim indulgentiam quod spectat, cum dubium fuisset propositum *in Valentinen. die* 22 *Februarii* 1847 hisce verbis conceptum: « An visitantes Ecclesias Or» dinis S. Francisci, die secunda Augusti, » lucrentur Indulgentiam plenariam *to*» *ties quoties* in eas ingrediuntur et pa» rumper ibi orant: et an requiratur ut » communio fiat in eadem Ecclesia. » Sacra C. I. respondere censuit: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Quare eiusmodi Indulgentiam quis eodem die toties lucratur, quoties praefatas ecclesias visitaverit.

III. Inter conditiones iterabiles recenseri debere visitationem Ecclesiae, si visitatio praescripta sit.

IV. Nomine autem visitationis intelligi accessum ad locum sacrum ex fide et religione procedentem cum intentione ibidem colendi Deum vel in se ipso, vel in aliquo Sancto.

V. Quare aequiparari non possunt visitationes loci sacri, repetitis, in eodem sacro loco, precibus, singulis visitationibus respondentibus.

VI. Proindeque sicuti ille non satisfaceret praescriptis visitationibus, qui tantum suam praesentiam iterato exhiberet in loco sacro quin debitas funderet preces; ita e contra alter non satisfaceret qui, uno ad sacrum locum accessu, pluribus accessibus respondentes preces persolveret. Utrumque ergo simul repeti debet.

APPENDIX IV.

CIRCA SPONSALIA CONTRACTA SUB CONDITIONE SI R. PONTIFEX DISPENSAVERIT.

Quaestio non levis inter doctores extitit super sponsalibus, quae contrahuntur sub conditione *si Pontifex dispensaverit*, inter eos qui matrimonium contrahere non possunt ob ecclesiasticum impedimentum.

Plures enim extitere Doctores qui censebant esse in hac quaestione distinguendum, si impedimentum nempe tale sit ut R. Pontifex non soleat illud per dispensationem tollere, tunc censebant sponsalia nullam parere posse obligationem. At si soleat R. Pontifex super huiusmodi impedimento dispensare, hac in hypotesi, valida existimabant sponsalia, non quidem absolute, sed tamquam contracta sub conditione, cuius conditionis implementum curare tenerentur sponsi, adeo ut neutri liceret, altero invito, a fide data resilire, sive ante, sive post impetratam dispensationem, ut videre est apud Sanchez *de Matrim. lib.* 5 *dis.* 5 *n.* 12. De Iustis *de dispens. lib.* 2 *cap.* I. *a num.* 78 *ad* 88. pluresque alios.

Alii vero Doctores tenuerunt ac tenent, sponsalia inter impeditos contracta, sive sub spe, sive sub conditione obtinendi dispensationem, esse semper et absolute nulla; adeo ut obtenta deinde dispensatione, debeant Sponsi renovare consensum in sponsalia, quo renovato, obligatio tunc oritur sponsalium. Abbas *in cap. super eo n.* 8 *de condit. apposit.* Card. De Luca *de Matrim. disc.* 7 *n.* 4 aliique plures. Quam sententiam constanter tenuit S. Rota, ut nominatim videre est in *decis.* 603 *part.* 5 *recent.* et in illius confirmatoria *decis.* 107 *part.* 8 *recent.*

Habentur tamen recentiores scriptores, qui videntur adhuc super hac re dubitare, adeo ut in primam sententiam inclinent.

Verum praxi inspecta S. Congregationis Concilii, nullus relinquitur dubitationi locus. Sane ex causis quas supra pag. 75 et seqq. adduximus, praesertim secunda et ex indicata *Ianuen.* pag. 81 manifestum fit S. C. censuisse nulla sponsalia inter Consanguineos inita, non ex alia ratione, quam ex consanguinitatis impedimento quod inter sponsos intercedebat, nullo pretio habita conditione, *si Pontifex dispensaverit.*

Neque nova existimanda est haec S. C. doctrina: etenim die 26 Ianuarii 1709 *lib. Decret.* 59 *pag.* 17 his terminis quaedam facti species reperitur: « Per literas speciales huic » S. C. transmissas refert Episcopus » Brugnaten. quod Vincentius Sci-

» voli filius Matthaei, et Magdalena » filia qu. Io: Scivoli, ambo de Paro- » chia Baraxii, ad invicem coniun- » cti duplici quarto consanguinitatis » gradu, contraxerint sponsalia de » futuro coram testibus, et eorum » propinquis, parentibus et amicis, » ea sub conditione, quod Vincen- » tius sponsus, apostolicam dispen- » sationem super tali impedimento » obtinere debuisset; quodque post » aliquod temporis poenituerit Vin- » centium dictorum sponsalium, a » theologis et doctoribus instru- » ctum, sese nullo pacto teneri ad » eorum observantiam, utpote ini- » torum inter personas impedi- » mento dirimenti obnoxias. Vice- » versa Magdalena sponsa perstans » in eorumdem sponsalium firmitate » et observantia, recursum habuit ad » eundem Episcopum, qui tamen an- » ceps in huiusce dubii resolutione, » humillime exoravit EE. PP. pro » eius declaratione, quod sane pro- » positum in anteacta Congregatio- » ne, iussum fuit ut illud pone- » retur *in folio* (1); hinc parendo » mandatis, hodie reproponitur. »

« An sponsalia sustineantur in » casu. » Responsum prodiit: *Nega- tive*.

In hac facti specie uti observas, agebatur de sponsalibus inter consanguineos, de quorum sponsalium existentia, ob solemnitates extrinsecas adhibitas, non poterat dubitari.

Dubium versabatur circa intrinsecum eorumdem valorem, utpote quae contracta fuerant inter personas inidoneas ad matrimonium legitime contrahendum, sub conditione *saltem* implicita, *si Pontifex dispensaverit;* cuius dispensationis impetrandae onere ipsemet Vincentius ex contractu gravabatur. Et tamen Sacra Congregatio censuit non sustineri sponsalia.

Sane de sponsalibus *absolute* contractis inter eos, qui inidonei ex iure ecclesiastico sunt ad legitimum contrahendum matrimonium, nulla fieri potest rationabilis quaestio. Ipsi enim contrahunt de re illicita et per sacros Canones prohibita, ideoque sic contrahentes, nihil agunt. Sed nec valida sponsalia censenda sunt, si vir et mulier contrahant animo et spe obtinendae dispensationis. Hoc enim casu praeter alia, quae infra adnotabimus, non semper apparet in singulis casibus ea animi deliberati firmitas, quae sola potest hanc gravem obligationem sponsalium inducere. Huiusmodi enim sponsalia facile reducuntur ad *votum* sive *desiderium* contrahentium ineundi coniugium, si habiles fient.

Sed praeter haec etiamsi fiat casus de sponsalibus contractis sub explicita conditione *si Pontifex di-*

(1) Si aliqua causa quae exponi deberet *in folio* exponatur a D. Secretario inter supplices libellos qui modo dicuntur *Summaria precum*, Sacra Congregatio mandat ut *ponatur in folio*, prout in praesenti casu contigit. Vid. pag. 13 in nota.

spensaverit, ita ut firmiter cogitent contrahentes de obligatione inducenda, qua quilibet eorum altero invito resilire a fide data non possit, sive ante, sive post conditionem impletam, sponsalia non sustinentur.

Ratio est quia illi qui sunt inhabiles iure ad contrahendum matrimonium, censentur etiam inhabiles ad contrahenda sponsalia, sive absolute sive conditionate haec celebrentur. Si enim sponsalia, licet sub conditione celebrata, valerent, tunc inciperet obligatio, cum haec contrahuntur. Apposita enim conditio nihil aliud adiungit quam temporis determinationem ab eventu dispensationis dependentem, qua adveniente, quis alterum cogere possit ad nuptias ineundas si reluctaverit; et hoc non ex vi dispensationis obtentae, sed ex vi promissionis antea factae. Radix itaque totius obligationis repetenda esset ex tempore quo sponsalia, licet conditionata, inita sunt.

Atqui tempore quo contrahentes sponsalia inierunt, erant inhabiles et inidonei ob impedimentum ad contrahendum. Vitiosum est itaque obligationis initium, ideoque concidat necesse est obligatio.

Neque dicas Romanum Pontificem dispensando, eos habiles reddidisse. Etenim tum Romanus Pontifex habiles reddit contrahentes, quando cum eis dispensatum est, et non antea; neque ratum habet quod gestum inter eos est.

Haec illustrari possent ulterius, ex placitis iuris Romanorum; sufficiat hac in re indicare legem 26 *ff. de stipulatione servor.* In ea porro habetur; « Ususfructus sine persona » *(quae idonea sit ex iure ad usufru-* » *endum)* esse non potest: et ideo ser- » vus haereditarius inutiliter usum- » fructum stipulatur. Legari autem » ei posse usumfructum dicitur, quia » dies non cedit statim; stipulatio » autem pura suspendi non potest. » *Quid ergo si sub conditione stipule-* » *tur?* Nec hoc casu valet stipula- » tio; *quia ex praesenti vires accipit* » *stipulatio, quamvis petitio ex ea su-* » *spensa sit.* »

Accedit et altera gravis ratio ex iure publico petita. Quod enim pendet a Principis potestate, ignominiosum videtur illud in pactum deducere. Quamvis enim Princeps immutationem aliquam publici iuris per dispensationem iustis de causis, indulgeat, huiusmodi iuris immutatio est semper aliquid extraordinarium, quod ferit publicum ius, secundum quod societas regitur, ideoque huiusmodi iuris immutatio, sive principis actus, quo in particulari casu, subditi a regula eximuntur, si veluti conditio in contractum adiiciatur, conditioni impossibili merito aequiparatur, proindeque legitur in *l.* 137 *ff.* §. 6 *de verb. oblig.* «Ubi omnino conditio *iure* impleri » non potest, vel id facere ei non li- » ceat; nullius momenti fore sti- » pulationem, *perinde ac si ea con-* » *ditio quae natura impossibilis est*

» *inserta esset*. Nec ad rem pertinet, » quod ius mutari potest : et id quod » impossibile est, postea possibile » fieri. Non enim secundum futuri » temporis ius, sed secundum praesentis, aestimari debet stipulatio. »

Neque solido videtur inniti fundamento ea distinctio quae a nonnullis auctoribus fieri solet ; scilicet inter impedimenta super quibus difficile dispensatur, et ea super quibus dispensari solet. Liberalitas enim Principis, per repetitas dispensationes, neque naturam contractuum immutat, neque ius abrogat. Quare si quis fateatur nulla esse sponsalia sub dicta conditione celebrata, in casu impedimenti super quo difficile dispensatio conceditur, non apparet solida ratio, quare idem dici non debeat de iis impedimentis super quibus facilius concedi soleat dispensatio.

APPENDIX V.

CIRCA IUS FUNERANDI.

Iuverit ulterius illationes enunciatas in causa iuris funerandi sic illustrare. Animadverti enim potest impedimentum per legem inductum quo tumulari non possunt fidelium cadavera intra habitationis loca, esse posse, vel legitimum vel illegitimum. Illegitimum est illud quod inducitur ab arbitrio solius laicae potestatis, eo quod laica potestas sine interventu competentis Ecclesiae auctoritatis impedire non potest, neque indirecte, cadaverum depositionem in locis sacris. Non potest enim impedire exercitium iuris quod habent fideles ex canonum dispositione : neque indirecte iuris exercitium impedire potest quo gaudent Ecclesiae, utpote omnino exemptae a laica iurisdictione. Proindeque hoc in casu locum obtineret regula iuris 52 in 6 *non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum*. Quod si huiusmodi impedimentum a legitima auctoritate proveniat, cum sit inductum causa *publicae valetudinis* non operatur ultra id quod impedire intendit : unice autem impedit permanentem cadaveris collocationem in ecclesiis civitatis: remanet itaque quoad caetera ius sepulchri omnino illaesum.

Et reapse lex edictalis anni 1817 a S. Congregatione Consultationis Romae edita, et per circulares literas promulgata, disposuit quidem ut omnia fidelium cadavera deponerentur in coemeteriis extra habitationem erectis, quamvis decedentes fideles gentilitia sepulchra

possiderent; tamen adiunxit in iisdem literis circularibus « *Restino salvi gli emolumenti Parrocchiali che sono o di stabilimento, o di legittima consuetudine, sulle quali colle enunciate providenze non intende che sia fatta alcuna innovazione* » seu latine vertitur « Salva maneant emolumenta parochialia quae sunt vel dispositionis vel legitimae consuetudinis, super quibus ex enunciatis providentiis non intendit, ullam fieri innovationem. » Post hanc legem nonnullae exortae fuerunt quaestiones, quarum una est quae exponitur in *Camerinen. Funeris* pluries discussa in S. Concilii Congregatione, et tandem definita *die* 24 *Novembris* 1821. In ea porro habetur quod Parochus S. Martini ad propriam parochialem ecclesiam cadaver Veronicae deferri curaverat, ibique funus peregit, antequam in publico coemeterio conderetur, ac omnia sibi deberi emolumenta contendebat propter praefatam edictalem legem 1817, qua non poterant amplius decedentium cadavera in sepulchro gentilitio recondi. Attamen S. Cong. C. spectare decrevit *expositionem cadaveris, et funeris* ad Ecclesiam S. Gregorii in qua gentilitium aderat sepulchrum defunctae, eidemque proinde ecclesiae restitui mandavit funeris emolumenta a Parocho percepta, dempta quarta.

Similiter, aliis omissis, cum fuisset propositum dubium S. Cong. C. in *Derthonen.* 24 *Maii* 1821. « *An Capitulo Collegiatae Novi sit concedenda manutentio in possessione iuris peragendi exequias in propria Ecclesia et percipiendi emolumenta iuxta solitum, non obstante constructione publici coemeterii in casu;* respondit: *affirmative in omnibus.*

Quid vero parentes vel haeredes defunctorum possint, relate ad sepulturae et funerum electionem, quando ecclesia electa a decedentibus non sit, eruitur *ex. c.* IV. de sepulturis in 6. In quo sancitur: « Licet pater minores filios qui » nequeant, antequam ad annos » pubertatis perveniant, eligere se- » pulturam, possit (si consuetudo » terrae id habeat) quo voluerit se- » pelire, hoc tamen non potest, ubi » consuetudo huiusmodi non habe- » tur, sed sunt cum suis maiori- » bus vel in parochiali ecclesia tu- » mulandi. . . . »

Cum itaque parentes pro filiis suis, etiam impuberibus, sepulturam eligere nequeant regulariter, colliges etiam, erectis modo publicis coemeteriis, non esse regulariter in eorum arbitrio determinare ecclesiam in qua funera peragi debeant. Dixi regulariter, quia excipitur casus consuetudinis, quae in hac materia funerum multum operatur, argumento sumpto *ex cap. Certificari De Sepult.* et alibi.

Secundum autem hoc ius, S. C. Concilii respondit in *Ariminen. iuris tumulandi et funeris, die* 14 *Maii* 1825. In qua cum Pater filio suo demortuo aetate 20 annorum qui, nec sibi statuerat funerum ecclesiam, neque

sepulchrum gentilitium habebat, elegerit ecclesiam sepulturae et funerum non parochialem, obtenta ab auctoritate speciali venia ad effectum sepulturae, cum lex edictalis praefata, eo loco vigeret, mota deinde quaestione super emolumentis, propositum etiam fuit S. C. C. dubium: *An Pater legitime elegerit sepulturam in casu.* Responsum prodiit « *negative.* »

Item in una *Civitatis Castellanae Funerum* 28 *Ianuarii* 1764 peracto funere cuiusdam Silviae in Cathedrali Ecclesia, etsi in Ecclesia S. Francisci adesset familiae sepulchrum, et exorta hinc lite, capitulum se defendi posse arbitrabatur ex consensu superstitis viri qui etiam consentientibus filiis et haeredibus, funus capitulo ordinaverat et proposito dubio: *An cadaver...potuerit adsportari ad Ecclesiam cathedralem . . . . ad effectum peragendi funus:* rescriptum fuit: *negative: et amplius.*

Non possunt enim privati sive parentes sive haeredes generalem sanctionem iuris eludere. Quae sanctio innititur praesumptioni voluntatis defuncti, qui si nihil statuerit de eo quod post suam mortem circa sepulchrum et funerum locum fieri debeat, censetur se voluisse placitis iuris communis accomodare.

APPENDIX VI.

CIRCA PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE.

Inter caeteras utiliores proprietates S. Poenitentiariae, illa recenseri debet, qua hoc Tribunal adiri potest a quolibet, et singulis diebus, (1) sive per Agentes idest eos qui negotia ex aliorum mandato Romae pertractant, sive directe, ut saepius contingit, per literas. Etenim non habentur Agentes, peculiariter huic Tribunali addicti, per quos necessario debeant negotia expediri; sed quisquis sit, qui indigeat ope S. Poenitentiariae, per se agere potest, sive ut diximus per literas, (2) sive etiam personaliter accedendo ad S. Poenitentiariae Officium. Quocumque autem modo quis interpellet S. P. certus esse potest se aliqua opportuna responsione dimitti.

Hoc in Tribunali constanter ha-

(1) Officium S. Poenitentiariae licet diebus dominicis et festis de praecepto non pateat, tamen si urgeat alicuius dispensationis necessitas, Officiales adiri possunt privatim, in suis domibus, qui Postulantium preces excipiunt, eosdemque dirigunt ut quatenus opus sit pro opportunitate negotia expediantur.

(2) Excipi debet casus in quo agatur de dispensationibus matrimonialibus *in foro externo* de quibus suo loco redibit sermo.

bentur peculiares ecclesiastici viri (omnes enim officiales S. Poenitentiariae ecclesiastici esse debent) in quos officium incumbit excipiendi Supplicantes, qui si indigeant supplici libello in scriptis exhibendo, ab iisdem officialibus gratis omnino exaratur. Imo si de pauperibus illiteratis agatur, qui personaliter S. Poenitentiariam adeant, tam benigne excipiuntur, ut maxima solicitudine et facilitate eorum negotia, uti par est, expediantur.

Interim ab omnibus sancte servatur iuramenti fides quod quisquis ex dictis Officialibus emittere tenetur singulis annis sub hac vetusta verborum formula: « *Ego N. regens* » (sive alter titulus secundum offi- » cium quo iurans fungitur) *ab hora* » *in antea* (idest a praesenti hora et » deinceps) *ero fidelis et obediens* » *B. Petro et D. N. Papae, eiusque* » *Successoribus canonice intrantibus:* » *officium meum fideliter exercebo, et* » *gratis; eiusque ratione nihil ab ali-* » *quibus, etiam sponte oblatum vel do-* » *natum, accipiam praeterquam Sa-* » *larium mihi constitutum : secreta* » *S. Poenitentiariae et occultos casus* » *ac Personas, de quibus in ea tracta-* » *bitur, nunquam cuiquam extra Of-* » *ficium* (Poenitentiariae) *revelabo,* » *et ita iuro ad sacrosancta Dei Evan-* » *gelia.* »Benedict. XIV. in Const. *In apostolicae.*

Quod ad modum supplicandi attinet per literas, illud est maxime attendendum ne literae Romae receptae in S. Poenitentiariae Officio otiosae maneant; videlicet, ad praecisam et accuratam directionem indicandam, qua possint literae responsionis inscribi.

Item attendendum generatim est, ne propria locorum nomina latino idiomate scribantur. Persaepe enim aliter sonant propria locorum nomina latine prolata, ac non sonent vernaculo idiomate; neque lexicon ita perfectum habetur, quod omnium horum nominum significationes exhibeat.

Neque desunt qui aliquod obscurum ignotumque oppidulum vel castrum indicent, quin dioecesim vel provinciam notam, in qua illa loca reperiuntur, nominent, et maximam molestiam interdum Officialibus creant, qui, ceteroquin soliciti ut literae responsionis accurate inscribantur, susdeque, in receptis literis saepe copiosis inquirere de provincia, de dioecesi debent ut verba directionis simul concinnare possint.

Hinc ne literae propter has causas sine effectu in S. P. remaneant, curandum est quam maxime, ut eiusmodi directiones scribantur in propria locorum lingua, distinctis et perspicuis caracteribus, caeterisque, quatenus opus sit, nominibus dioecesis et provinciae indicatis, quin aliquid inter haec intromittatur, quod aequivocationi occasionem praebeat.

Debent autem Supplicantes suas dirigere epistolas *ad Eminentissimum Cardinalem Poenitentiarium maiorem,* vel, si placet, inscribi literae possunt *S. Tribunali Poenitentiariae Aposto-*

licae. Si quis autem easdem dirigere malit ad aliquem Officialem eiusdem Tribunalis potest quidem; attamen hoc in casu subiiciuntur literae vectigalis solutioni, sive taxationi vulgo *postali;* dum illae e contra ab hoc onere liberae perveniunt. Haec quidem respiciunt Ditionem R. Pontificis. Optandum quidem esset ut catholica Gubernia idem in suis Ditionibus indulgerent, ut alias in usu erat, sed cum aliter res se habeant, necesse est ut Postulantes remotiores a Pontificia Ditione literas suas mittant ab hac taxatione liberas vulgo *franche* usque ad fines Pontificiae Ditionis.

Neque interest si literae exaratae sint latino , vel propriae Nationis idiomate, suppetunt enim S. Poenitentiariae pro cuiuslibet Nationis idiomate interpretes multiplices.

IMPRIMATUR
Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

NULLITATIS MATRIMONII.

Die 28 *Augusti* 1864. *Sess.* 24 *c.* 6 *de Ref. matr.*

Compendium facti. Omnia parata erant ad matrimonium contrahendum inter Titium, et Caiam secundum Tridentinam legem, cum in episcopali curia obstitit quaedam mulier, quominus ad nuptiarum celebrationem ulterius procederetur, contendens « ex fide antecedentium sponsalium cum defloratione coniuncta, ex qua filium quoque pepererat, sibi Titium obligatum esse.» Mota itaque lite, et causa tandem pro existentia sponsalium in curia definita, nihil Titius intentatum reliquit ut matrimonium, iam cum Caia paratum, in exitum, per celebrationem coram Ecclesia, deduceret. At renuente constanter praefata muliere, quae cedere noluit ius sponsalium, renuentibus Parochis, qui de sponsalium impedimento per Episcopum admoniti, celebrationi matrimonii assistere firmiter detrectarunt, omnes Titii et Caiae curae in irritum cessere.

Verum, animo haud fractus Titius, ope obsequentis amici, oppidanum parochum, in alto asperoque loco extantem, valuit reperire, qui impedimentum sponsalium ignorans, paratum semet exhibuit ad optatas nuptias benedicendas, dummodo eidem exhiberentur *documenta status liberi utriusque sponsi, et delegatio proprii parochi.*

Sine mora transmissa fuerunt documenta quaedam, quae tamen solummodo fidem faciebat *de matrimonio adhuc non contracto inter Titium et Caiam.* Deerat insuper delegatio proprii alterutrius sponsi parochi. Sed hanc delegationis deficientiam Parochus ille censuit, vel negligi posse, vel suppleri per inscriptionem sponsorum in albo oppidanorum illius loci, cuius inscriptionis recipiendae curam in se suscepit. Reapse, iuxta civiles leges illius provinciae in qua oppidum existebat, per huiusmodi inscriptionem suppleri posse videbatur realis domicilii

defectus. Praemissis itaque a praefato Parocho requisitis denunciationibus, statuta die, coram testibus, nuptiis illis benedixit; et deinceps coniuges unam vix horam ibi manentes, parochiam illam deseruerunt, quam forsan nunquam viderant, vel erant revisuri.

Celebrati connubii notitia, statim ac ad curiam episcopalem devenit, summaria inquisitione praemissa, Episcopus Parochum debita poena mulctavit et praefatum matrimonium irritum declaravit. Quod nullitatis Decretum quamvis in sponsorum notitiam devenisse videatur; tamen authentice eisdem denunciatum non fuit, nisi sex post annos, attenta eorumdem domicilii ignorantia. Tandem mulier, noscens hoc decreto posse se suam defendere libertatem et alteri viro nubere, maritalem Titii domum reliquit. At contra, Titius, mulierem uti legitimam uxorem sibi vindicans, litem acriter movit in episcopali curia.

Incepto itaque regulari processu, sed per nefas intercepta iudicii tela a laica potestate, causa in civili foro ventilata fuit, et Titius victoriam consequutus est. Sed muliere haud acquiescente sententiae ab incompetenti tribunali contra se latae, et causam deferente ad Apostolicam Sedem, SSmus eam ex integro iudicandam remisit S. Congregationi Concilii cum omnibus facultatibus opportunis et necessariis, et huiusmodi Decretum notificari mandavit Ordinario eum in finem ut Virum moneret ad deducendum iura sua coram S. C. C.

Sanatis itaque processus irregularitatibus, dubium in calce scriptum propositum fuit per litigantium procuratores, et vinculi matrimonialis defensorem.

Disceptatio synoptica.

Praelibamus solummodo praecipua, quae in repetitis defensionibus, Patrocinatores copiose disputarunt.

Argumenta allata pro validitate matrimonii. — Cardo quaestionis in eo erat, an necessaria in casu esset delegatio proprii Parochi quae obtenta non fuerat. Quare favore Titii, qui acriter Matrimonii validitatem propugnabat, innuebatur initio, in eà oppidana Paroecia non fuisse promulgatum Tridentinum Concilium, quo in casu cessabat necessitas delegationis proprii Parochi. Sanchez *De matrim. l.* 3 *disp.* 18 *n.* 28 et alii. Praesertim cum obser-

vatae fuissent, prouti contendebatur, dispositiones legum civilium provinciae illius, editae pro legitimo exterorum matrimonio. Disputabatur enim reapse praefatos sponsos adscriptos fuisse, prouti Parochus promiserat, in albo oppidanorum; et sufficientem fuisse hanc adscriptionem absque delegatione proprii Parochi ad matrimonii validitatem.

Sed praeter haec insistebatur alteri argumento, contendendo, praefatos sponsos non indiguisse dicta delegatione; quia ius parochialitatis, sive domicilium sufficiens eo in oppido ad matrimonium contrahendum, ipsimet sponsi acquisierant. Hinc disputatio orta est super domicilii natura. Dicebatur itaque favore Titii, domicilium acquiri statim ac voluntas patefiat illud figendi aliquo in loco, in ordine ad matrimonium contrahendum. Legitur enim in *l.* 31 *ff. ad Municip.* « Nihil enim est impedimento quominus quis ubi velit domicilium habeat quod ei non est interdictum.» Hinc contendebatur factum habitationis non esse necessarium; hoc enim requiritur ad voluntatem demonstrandam: quare si aliunde constet haec voluntas, factum habitationis inutile censetur. Ad hanc doctrinam demonstrandam allegabantur nonnullae auctoritates scilicet Olivae *de for. eccles. p.* 3 *q.* 18 *v.* 5. Ursayae *tom.* 7 *p.* 2 *discep.* 25 *n.* 32 *etc.*, et praecipue insistebatur auctoritati S. C. C. in causa *Caesenaten. seu Forolivien.* ventilata diebus 20 Februarii et 25 Iunii 1723, in qua vir et mulier qui Caesenae habitaverant, cum se transtulissent in urbem Forolivii, et matrimonium ibi contraxissent, illud validum censuit S. C. C. quamvis ut refert Ursaya *loc. cit. n.* 42. « concur» rebant omnes circumstantiae quae evidenter ostendebant volun» tatem fraudandi proprium Parochum: in summario viri (qui » pro nullitate matrimonii agebat) adducebantur probationes quod » sponsi *discesserant cum animo redeundi Caesenam eorum patriam,* » *statim ac celebratum fuisset matrimonium etc.* et quod non erat » eorum intentio permanendi ad habitandum Forolivii, sed quod » cogitabant, peracto matrimonio, redire Caesenam post paucos » dies. Quod sponsa declaraverat *se redire propriam domum Cae*» *senae suae patriae ubi reliquerat Matrem et sororem etc.*»(1).

(1) Ne decipiaris ex hac allegata auctoritate, quasi S. C. C. iudicaverit non requiri saltem quasi-domicilium ad rite contrahendum matrimonium extra pro-

Hinc cum Sponsi in causa de qua agimus manifestaverint voluntatem acquirendi ius parochialitatis in praefato oppido, per adscriptionem in albo oppidanorum, nihil intererat, concludebatur, si ibidem non habitaverint ante matrimonium, et statim post celebrationem illius ab oppido discesserint.

Praesertim cum mens Concilii Tridentini inducentis clamdestinitatis impedimentum ea fuerit, ut obviaretur fraudibus quae ex occulta matrimoniorum celebratione in dies obveniebant, cum alienus Parochus conscius esse nequeat impedimentorum. Barbosa *vot. decis.* 19 *n.* 25. Hinc ex hac Concilii Tridentini mente concludebatur sufficere, ut parochus contrahentes noscat, et non necessario exigi, ut contrahentes in loco ubi contrahunt, habitaverint. In praesenti vero causa non solum Parochus oppidanus contrahentes novit, utpote qui non clamdestine contraxerant, sed imo integrum celebrandi matrimonii negotium ipsi parocho fuit commissum.

Nec obstare insuper dicebatur huius matrimonii validitati Constitutionem Benedicti XIV. *Paucis ab hinc.* In ea enim, licet veluti quaedam norma, statuatur habitatio saltem unius mensis ad rite contrahendum in aliqua nova paroecia, tamen hoc mensis spatium accipiendum non est sensu *praescriptivo*, sed omnino sensu *praesumtivo*, quatenus habitatio unius mensis praesu-

priam paroeciam, cum deest proprii parochi delegatio, animadvertere debes: 1 Ursayam hoc uti exemplo ut suam quam defendebat causam in ea disceptatione iuvaret, et cum dumtaxat obiter de hac loquatur, quantum ad suum scopum obtinendum sufficiebat, non omnia referre. 2 Animadverte quod licet modo ignoretur numerus dierum quibus sponsi Forolivii permanserant, tamen non defuit plurium dierum habitatio, tum ante, tum post matrimonii celebrationem. 3 Animadverte Mulierem ideo ivisse Forolivium, quia in ea civitate degebat eius Avia materna, quam suam tutricem, et curatricem praedicabat, et ad eam sese receperat ut effugeret parentum molestias, et coram testibus sub iuramenti fide antea declaraverat, se venisse Forolivium ut ibi domicilium figeret, protestando se velle in futurum vivere sub tutela et cura Aviae maternae. Et circa hanc peculiarem circumstantiam, qua se recepit domum Aviae Maternae, haec refert ipsemet Ursaya *loc. cit.* « con- » cordabant innumeri testes.... unice at- » tribuentes validitatem dicti matrimonii » illi circumstantiae, quod Mulier acce- » dendo ad Civitatem Forolivii in domo » eius Aviae quae fuerat etiam tutrix, sta- » tim effecta fuerat Parochiana et subdita » Parocho Forolivii. » De hac causa consulendus est etiam Benedictus XIV qui eo tempore Secretarii munere fungebatur penes S. C. C. hanc quaestionem breviter indicans tum in Constit. *Paucis ab hinc* tum in Instit. 33 de quibus redit sermo in disceptatione nostra favore Caiae.

mere facit animum domicilii adipiscendi. Hinc quando de animo constat, neque mensis censendus est necessarius, sicuti e contra neque mensis spatium esset sufficiens si de animo non constaret; et exempla afferebantur S. C. C. per Fagnanum allegata in capite *significavit n.* 37 *et seqq.* ibi « Traiectenses vir et mu» lier timentes impedimentum a parentibus cum ad vicinam ur» bem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati, » matrimonium contraxissent, S. Congr. Consulta super validi» tate, censuit exprimendum tempus quo contrahentes Aquisgra» nae manserunt. Quod si fuerit saltem unius mensis dandam » esse decisionem pro validitate, *alias de novo referendum in* » *Congregatione.*»

Neque pariter obstare, contendebatur, matrimonii praefati validitati, fraudem, qua, ut declinaretur sponsalium impedimentum, in aliam paroeciam domicilium electum fuerat: cuilibet enim permissum est, sese conferre ad habitandum ubi, et quando ei placeat. Ursaya *loc. cit.*

Postremo, subiungebatur, etiam in hypotesi qua praefati sponsi ius parochialitatis eo in oppido non acquisivissent, non ideo matrimonium irritum declarari deberet. Adducebatur enim veluti factum, Titium iam a pluribus annis deseruisse originis domicilium, nullumque deinceps aliud, ne post coniugium quidem, acquisivisse. Unde more vagorum, absque domicilio matrimonium contrahere poterat, coram quolibet orbis parocho.

Quibus aliisque cumulate disputatis in auxilium invocabatur a Titii defensoribus sanatio matrimonii in radice si pro matrimonii nullitate S. Congregatio decernere censuisset. De qua vide Appendicem VII.

Defensio mulieris, pro matrimonii nullitate. — Multo profecto graviora pro nullitate matrimonii militabant rationum momenta, quae allata sunt per Caiae defensores. Allegato enim in primis Conc. Tridentini decreto *sess.* 24 *c.* 6 *de Reform. Matrim.* quo sancitur: « qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius » parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, » matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad » sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi con» tractus irritos et nullos esse decernit...» praemisso, quod hic parochus debeat esse parochus alterutrius sponsi, prout pluries a

S. Sede declaratum est, subiungebatur, eum esse proprium parochum, ad effectum matrimonii valide contrahendi, in cuius paroecia alteruter ex sponsis domicilium contraxit, nisi nullum alteruter habeat, vagus scilicet sit; quae extrema in facto sic ostendebatur non verificari.

Ostendebatur primum scilicet, nullum domicilium a sponsis in oppido saepe memorato initum fuisse ex ipsa domicilii notione. Hoc enim non consistit in sola animi electione sed in animo, et facto, allegata *l.* 20 *ff. ad municip.* -ibi- « domicilium re et » facto transfertur, non nuda contestatione.»

Et docet inter caeteros Reiffenstuel *Ius canon. l.* 2 *tit.* 2 §. 2 *n.* 17. « verum domicilium non nuda voluntate, et assertione, sed » animo et facto simul constituitur.» Discrimen porro inter domicilium, et quasi-domicilium in eo est ponendum, quod illud praeter factum habitationis requirat animum perpetuo manendi; hoc vero animum manendi longo tempore prouti inter alios docet Zallinger *Instit. Eccles. l.* 1 *tit.* 2 §. 148. Animadvertebatur insuper, posse quidem quasi-domicilium acquiri statim ac sponsi ad aliquem locum sese contulerint animo etiam contrahendi matrimonium, sed hoc tunc tantum obtinere, cum sponsi revera habitare inceperint aliquot saltem diebus, simulque de animo manendi longiori tempore haud sit ambigendum Reiffenstuel *lib.* 4 *tit.* 3 §. 2 *n.* 60. Barbosa *De offic. et potestat. parochi part.* 2 *c.* 21. Sanchez aliique plures. Et docuit S. Rota, *Matrim.* 10 *Decemb.* 1625 *coram Merlino*. Scilicet ut quis efficiatur parochianus in ordine ad contrahendum matrimonium non sufficit, ut habitare incipiat in loco etc. « Quia ista conclusio procedit, » quando cum habitatione constat de animo habitandi per expres» sam declarationem seu per coniecturas etc. *Decis.* 451 *coram* » *Dunozzetto.*»

Quare si huiusmodi animus contrahendi domicilium non habeatur, aliqua mora sive habitatio, non sufficit ut S. Congr. C. *in Abulen.* 1 *Decem.* 1640 declaravit: *Non valere matrimonium contractum coram parocho loci ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi lib.* 16 *decret. pag.* 470 *et* 471.

Ex hoc itaque defectu voluntatis fit ut matrimonium valide non contrahatur in loco temporariae reclusionis pro simplici custodia; vel in loco recreationis, vel rusticationis, unde brevi sit

discedendum et ad verum domicilium redeundum. Benedictus XIV. *instit.* 33 *n.* 7 et 12.

Animus autem manendi in loco novae habitationis quandoque est expressus, cuiusmodi dicebatur fuisse casus allegatus favore Titii in *Caesenat. seu Forolivien.* 22 *Februarii* 1623; de qua loquens Benedictus XIV. *instit.* 33 *n.* 9 ait: « Validum probatum fuit quod-» dam matrimonium, licet per duos Caesenae incolas contra-» ctum, qui ut parentum se molestiis eriperent, illud Forolivii » celebrarunt, cum puella ante discessum *palam fecisset*, se do-» micilium in illa civitate deligere, ubi materna avia vitam du-» cebat, quam tutricem suique curatricem praedicabat.» Et de eodem casu loquens idem Benedictus in Const. *Paucis ab hinc...* ait: « Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum » qui discesserat a loco domicilii, ut difficultates aufugeret in quas » offendisset, si matrimonium coram eiusdem loci parocho inire » voluisset, atque illud inierat coram parocho alterius loci post-» quam tamen legitimum ibidem *quasi-domicilium* adeptus fuerat, » eodemque in loco etiam post matrimonium contractum ad » aliquod tempus permanserat.»

Quandoque vero hic animus ex actu ipso quo quis transfertur ex uno loco in alium, fit manifestus, nimirum si pristinum omnino deserat domicilium et summam rerum fortunarum et familiam etc. ad aliam transferat paroeciam, ceu etiam habetur in *Statuto cleri Romani cap.* 3 § 12 et docet Ursaya *tom.* 2 p. 1 *discept.* 10 *etc.* Imo ipsum habitationis factum ad mensis spatium protractum, hunc animum praesumere facit, illudque censetur sufficiens ad matrimonium rite contrahendum ceu ex Const. *Paucis ab hinc.*

Hac porro exposita doctrina observabatur in facto, praefatos sponsos, nullimode constituisse aliquod domicilium in dicta oppidana Paroecia, neque ibi habitasse, sed vix horam mansisse solo animo ut matrimonium contraherent.

Neque valet obiicere, praefatos sponsos mentem Concilii Trid. observasse. Non enim satisfacit legi, qui de fine legis solummodo sollicitus, praecepta spernit, quae observanda a legislatore praecipiuntur.

Hinc subiungebatur, S. Congregationem constanter definivisse huiusmodi matrimonia sic contracta, irrita esse, cuius doctrinae peculiaris declaratio facta fuit die 22 Februarii 1631 quam con-

firmavit Urbanus VIII. Nempe « Sacra etc. censuit dandam esse » declarationem in abstracto in forma sequenti: vir et mulier a » loco suae habitationis *absque animo illam relinquendi* discedentes et ad locum alterius paroeciae solo animo illic matrimonium » celebrandi, non autem *domicilium contrahendi*, se transferentes ibi » coram parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. » Supplicatur per S. Congreg. declarari an huiusmodi matrimo- » nium sit nullum vel validum. Sacra etc. *secundum ea quae pro- » ponuntur censuit esse nullum.*»

Ostendebatur vero secundum, nempe, quod Titius appellari vagus non poterat ex eo quod deerant conditiones ob quas vagus quisquis dici possit. Ulpianus enim in *leg.* 27 *ff. ad Municipal.* praemittens difficile esse, sine domicilio esse quemquam, subdit: « puto autem et hoc procedere posse, si quis domicilio relicto » naviget, vel iter faciat, quaerens quo se conferat, atque ubi con- » sistat: nam hunc puto sine domicilio esse » cui doctrinae auctores communiter consentiunt. Porro subiungebatur licet Titius variis in locis more nobilium resedisset, non tamen verificari dictas conditiones, scilicet et proprium domicilium ab eo desertum, et novum non constitutum, sed adhuc illud quaeri. In facto enim sufficienter constare videbatur, *saltem* Titium quasi-domicilium habuisse ante matrimonium apud fratrem suum.

Relate vero ad adscriptionem in albo oppidanorum observabatur, quod quamvis haec adscriptio facta fuisset (de qua non satis in facto constabat) eam solam ex sese nunquam constituere potuisset illud domicilium quod a iure canonico est praescriptum ad rite matrimonium contrahendum. Quidquid autem leges civiles statuerint circa valorem huius adscriptionis in ordine ad contrahendum coniugium, eiusmodi leges derogare non poterant illis, quas Ecclesia sub nullitatis poena exigit observandas.

Validis insuper coniecturis dubio disiecto quod ex adverso fiebat circa publicationem Tridentini Concilii, animadvertebatur insuper, etiamsi non constaret de hac publicatione in oppido indicta, cum tamen constanter hoc Decretum observatum ibi esset ut Concilii Tridentini Decretum, praesumi publicationem hanc debuisse. *Instr. Pii VI. ad Episc. Lucinen.* 28 *Maii* 1793. In hac enim legitur « publicationem praesumi ubi Decretum fuerit ali-

» quo tempore in parochia tanquam Decretum Concilii observa-» tum.» Hoc ipsum iam definitum fuerat a S. C. C.

Quod si per hypotesim etiam concederetur factam non fuisse » eiusmodi publicationem in paroecia de qua agimus, cum nullum praefati sponsi domicilium in ea fixerint, irrite eodem modo contraxissent. Etenim Urbanus VIII. in literis diei 14 Augusti 1627 eiusmodi confirmavit resolutiones S. C. C. nempe propositis dubiis I. « An incolae tam masculi quam foeminae loci in quo Con-» cilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, » transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est pro-» mulgatum retinentes idem domicilium, valide possint in isto » loco matrimonium sine Parocho et testibus contrahere. II. Quid » si eo praedicti incolae tam masculi tam foeminae solo animo, » sine parocho et testibus, contrahendi se transferant, habita-» tionem non mutantes...? Iidem Cardinales ad I. et II. non esse » legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac transeun-» tes cum fraude.... responderunt.» Benedict. XIV. *Inst. eccles.* 33 *n.* 9 *et in epist. ad Arch. Goan.* 17 *Martii* 1758.

Dubium.

« An constet de nullitate Matrimonii in casu.»

Resolutio dubii.— Pluries causa proposita ex Viri instantia ac discussa, S. Congregatio Concilii constanter censuit matrimonium esse nullum; et tandem reproposito dubio sub formula: « An sit » standum vel recedendum a decisis in casu » S. Congr. die 28 Augusti 1864 respondit: *in decisis et amplius.*

Ex quibus omnibus accurate perpensis colligere potes

I. Matrimonium contractum coram Parocho non proprio nulla interveniente delegatione, in locis in quibus publicatum est Concilium Tridentinum, irritum esse quamvis hic Parochus caeteras solemnitates praescriptas adimpleat.

II. Matrimonium sic contractum quamvis initum bona fide circa eiusdem validitatem, irritum tamen manere, nec per longam pacificamque sponsorum cohabitationem convalidari.

III. Parochum autem proprium illum dici in cuius paroecia alteruter ex sponsis saltem quasi-domicilium contraxit, et hoc

domicilium suppleri non posse per nudam adscriptionem inter loci municipes, quidquid statuant quoad hoc civiles leges.

IV. Nec sola voluntate, quasi-domicilium contrahi, sed praeter voluntatem ad longum tempus permanendi, exigi factum habitationis.

V. Quod habitationis factum ad effectum matrimonium contrahendi, si per mensem perseveret nihilque grave opponatur (1) eo ipso quasi domicilium praesumi acquisitum.

VI. Imo etiamsi ad mensis spatium habitatio protracta non fuerit, si evinci possit vera et determinata voluntas novi domicilii contrahendi ex variis adiunctis, quae novam habitationem concomitantur, domicilium etiam contractum censeri.

VII. Hinc valide eos contrahere qui causa vitandi molestias ex propria in aliam transeunt paroeciam si prius in hac nova paroecia saltem quasi-domicilium contraxerint, et postea matrimonium celebrent.

VIII. Minime vero eos valide contrahere, qui solo animo proprium parochum fraudandi, ex una in aliam transeant paroeciam quin in hac quasi-domicilium saltem figant.

IX. Et hoc ipsum etiam verificari in casu in quo sponsi e propria paroecia quae tridentinis legibus subiicitur, transeuntes in aliam, ab iis legibus solutam, ibi contrahant quin acquisiverint aliquod domicilium.

X. Haud tamen hoc quasi-domicilio indigere sponsos quorum unus nullum domicilium habeat, vagus scilicet sit.

XI. Vagum nihilominus eum non esse qui more nobilium modo in uno, modo altero in loco moratur, retento alibi saltem quasi-domicilio, si forte in morae locis novum domicilium non contraxerit.

(1) Dixi si nihil grave opponatur; nam si quis per mensem perseveret aliquo in loco, animo puta recreationis, vel sit coactus habitare in dómo, ratione custodiae etc. non censetur domicilium ad hunc effectum de quo agimus contractum. De qua re vid. Benedic. XIV. in celebri *Insti.* 33 et in Const. *Paucis.*

SERVITII CHORALIS.

Die 9 *Augusti* 1862. *Sess.* 24 *c.* 13 *de Reform.*

Capitulum Cathedralis A. ad S. C. C. literas transmisit, in quibus lamentabatur modum agendi Canonici Decani N.; *quod* fere nunquam ad chorum accederet; *quod* arbores illegitime exciderat in terrulis sui Beneficii. Insuper memorabat huiusmodi querimonias se pluries exhibuisse Ordinario at sine effectu; quare expostulabat a S. C. C. hisce abusibus opportunum remedium.

De more S. C. C. rescripsit Vicario Capitulari (vacabat enim episcopalis sedes) pro informatione et voto, et ut ipse auditis in scriptis tum Capitulo tum Decano N., referret praesertim super asserta arborum caesione.

Omittimus ea quae relata sunt a Vicario Capitulari circa arborum caesionem, quoniam haec quaestio non fuit formiter resoluta. Quod spectat ad chori absentiam, Vicarius Capitularis retulit, constare de habituali absentia Decani N. a choro, qua ecclesiae praeiudicium obveniebat; eumdemque horis divini officii saepe deambulatum ire, et frequenter ad missam celebrandam accedere ad quandam ecclesiam non longe ab ipsa Cathedrali. Adiungebat insuper, tempore quo Decanus N. erat simplex Canonicus, obtinuisse, ex Medici fide de eiusdem infirmitate, coadiutorem canonicum, quo prospiciebatur in eiusdem absentia, chori servitio, sed hisce in adiunctis, vacante praebenda Decani, hanc praebendam optavisse, eamque per iudicium obtinuisse, et ideo onus iterum in eumdem incumbere servitii choralis.

Ab his diversa non sunt, quae exposuit Capitulum S. C. C. quod ex libris fallentiarum deprehendit habitualem a choro absentiam Canonici Decani N. praesertim diebus solemnioribus.

Decanus N. censuit per se ipsum literas mittere ad Emum Praefectum S. C. C., in quibus a choro absentiam fatebatur, sed causam adducebat; nempe se diuturno morbo heparario laborare, et nervorum perturbationibus agi, adeo ut saepe eidem obveniret ut neque Missam celebrare posset. Addebat praeterea se constanter fallentias solvisse, et laetanter inter collegas chorum esse frequentaturum, si pristinam valetudinem recuperaret.

Post haec, unus ex Canonicis scripto protulit, se noscere conditionem valetudinis habitualem Canonici N., cuius antecedentem vivendi modum commendabat, et testabatur ex propria scientia Canonicum N. per integras hebdomadas et menses e propria domo non exire, et eiusdem defensione assumpta, Capitulum denique redarguebat utpote quod ad ipsum contra Capitularem inquirere non spectabat.

Hisce super literis iterum Capitulum audiri oportuit, quod respondit, se nunquam documentum vidisse assertae infirmitatis: neque deesse rationes quae suadeant assertas infirmitates non esse magni momenti, ex eo quod Decanus N. per urbem saepe vagabatur et ad Missam celebrandam se conferebat ad ecclesiam a Cathedrali non dissitam, et tamen eo ipso anno a prima die Ianuarii usque ad diem quintam Maii, qua haec Capitulum scribebat, nunquam Decanus N. choro interfuerat.

Praeter haec ex habitis literis constabat tenues omnino esse distributiones quotidianas in comparatione fructuum. Decanus enim, ex praebenda et proventibus, scutata quotannis 350 percipiebat, et solummodo titulo punctaturarum vix scutata 40 annua persolvebat. Hinc *ex officio* observabatur distributionum massam non pertingere ad tertiam fructuum et proventuum partem iuxta praescriptum a Tridentino Concilio *sess.* 22 *cap.* 3 *de Reform.* Quare iuxta S. C. praxim, qua hisce in casibus Episcopis iniungitur ut curent satisfieri Concilii decreto, aliud dubium duobus infrascriptis super hac re additum est.

Disceptatio synoptica.

Animadvertebatur *ex officio* non posse in dubium revocari, memoratum Canonicum Decanum per maiorem anni partem chori servitio deesse; imo ultimis temporibus et praesertim eo anno, quo quaestio agebatur, penitus abfuerat, cum a primo Ianuarii die usque ad diem quintam Maii ne una quidem vice choro praesens adstiterit. Qua super re nec ipse Decanus vel alter Canonicus aliquid in contrarium deduxerunt; ea vero quae iidem responderant, unice causas absentiae et excusationes respiciebant.

Adfuisse videbatur legitima causa abessendi a choro, eo tempore quo Decanus uti simplex Canonicus obtinuerat coadiutorem,

testante Vicario capitulari *rationem infirmitatis recognitam fuisse legitimam ex medici fide.*

Item de nulla negligentia in chorali servitio incusandus videbatur a die 5 Septembris 1857, ad 31 Maii 1860, quo coadiutor ipsius tenebatur ad chori servitium.

Verum a die assumpti Decanatus qua Coadiutore in chorali servitio caruit, non videbantur adesse eiusdem valoris absentiae causae et excusationes. Nullum enim afferebatur documentum quod fidem faceret de gravis existentia morbi, imo in contrarium habebantur gravia indicia quibus sin minus existentiam alicuius infirmitatis excluderent, saltem videbantur excludere ipsius gravitatem, et diuturnitatem.

At, subiungebatur, beneficium datur propter officium *cap. ult. de rescript. in* 6, et ideo omnes Canonici tenentur ad chori servitium *cap. un. de cleric. non resident. in* 6 *Conc. Trid. sess.* 24 *cap.* 12 *de Reform.* Cui obligationi si Clerici non satisfaciant, ut si choro psallentes non adsint, vel quod maius est si in loco non resideant, poenis mulctandi sunt per Sacros Canones statutis in eorumdem socordiam, et pervicaciam. Nempe praeter distributionum amissionem, primo anno privandus est, unusquisque absens ultra tres menses, dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos; quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privandus est omnibus fructibus eiusdem anni: crescente vero contumacia, contra eos iuxta SS. Canonum constitutiones procedi debet *Conc. Trid. loc. cit.* ita ut privari possit, et debeat ipso beneficio, seu praebenda. Giraldi *in part. pr. lib.* 3 *Decretal. ad cap.* 11. Haec contra eos qui non resident.

At subdebatur, cum *residere* in hac materia ut notat Fagnanus *in cap. relatum* 4 *t. de Cleric. non resid.* et cap. *licet num.* 23 *de praebend.* nihil aliud sit quam deservire in officiis divinis, et iuxta Reiffenst. cum communi *lib.* 3 *tit.* 4 *num.* 1 is dicatur residere, qui ferme continue commoratur in loco beneficii sui, causa officii seu servitii ecclesiastici personaliter praestandi; hinc ut idem tradit Reiffenst. *loc. cit. n.* 3. Si Clericus personaliter quidem existat in loco beneficii, sed officium suum nunquam praestet, vel non censetur residere: vel, cum Barbosa *ad Rubric. de Cler. non resid. n.* 8 huiusmodi Canonicus diceretur residere dumtaxat *materialiter* non *formaliter*, cum non maneat in loco beneficii

cum effectu, hoc est cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur.

Nec aliter censuit S. Congregatio Concilii, ut videre est in una *Lucen.* 1. Febr. 1766. Et anno 1573 proposito dubio S. C. C. ab Episcopo Mutinensi, an censendi forent absentes qui non absunt ab ecclesia vel civitate, sed ab ecclesiae servitio tot vicibus, ut trium mensium spatium excedant, respondit: istos haberi pro absentibus *lib.* 1 *Decret.* p. 178 apud Benedict. XIV. *Instit.* 107 §. 6 n. 32 qui insuper ex alia responsione data a S. C. ad eumdem Episcopum Mutinensem eod. an. 1573 declaravit ad absentiam ultra tres menses necessarium non esse quod *continua* trium mensium absentia procedat, sed *satis* esse ut dies absentiae, quamquam interpolati, superent trimestre. Nec aliter resolutum fuisse legimus in una *Terracinen. diei* 29 *Novem.* 1853. In qua agebatur de Canonico qui choro intervenire detrectabat, eo quod induere nolebat cappam a Pontifice Gregorio XVI. fel. r. Capitulo concessam, et ob hanc absentiam Episcopus privationem medietatis fructuum decreverat; deveniente deinde causa ad S. C. C. proposito II dubio « An Decreta Episcopalia sustine» antur in casu.» III. « An et quomodo procedendum sit contra » eumdem Canonicum in casu.» responsum fuit ad II *Affirmative.* Ad III *provisum in secundo.* Et iterum proposita causa die 31 Martii 1860 Sacra Congregatio stetit in decisis.

Dubia.

I. « An constet de legitima absentiae causa Decani N. a chori » servitio in casu.»

« Et quatenus negative.»

II. « An Decanus ita absens censendus sit a chori servitio, ut » contra eum procedi valeat ad formam Concilii Tridentini contra » non residentes.»

III. « An et quomodo providendum sit quoad futurum circa » quantitatem fallentiarum seu distributionum a Dignitatibus et » Canonicis Capituli cathedralis A. solvendarum in casu.»

Resolutio dubiorum. Sacra Congregatio Concilii die 9 Augusti 1862 respondere censuit ad I. *negative.* Ad II. *affirmative.* Ad III. *dilata et Vicarius capitularis, audito Capitulo referat quare non*

serventur regulae a S. Concilio Tridentino et a S. Congregatione interprete praescriptae circa distributiones et fallentias.

Ex quibus deprehendes:

I. Canonicum absentem in eiusmodi quaestionibus illum dici, qui chori servitio non intervenit, sive in eadem choralis Ecclesiae urbe resideat, sive longe absit.

II. Imo Canonicum censeri absentem etiamsi interdum chori servitio satisfaciat.

III. Quare si ultra tres menses, sive continuos, sive intra annum interruptos, debito chori servitio non satisfaciat, nisi legitimam absentiae causam aperte demonstret, praeter distributionum amissionem pro rata absentiae, privari successive posse per iudicis sententiam fructibus beneficii, ad normam Tridentini Decreti.

RESIDENTIAE ET PRIVATIONIS FRUCTUUM.

Die 6 *Iunii* 1863. *Sess.* 24 *c.* 12 *de reform.*

Compendium facti. Canonicus A. conciliaribus trium mensium vacationibus usus, Romam tres successivos annos venerat suam valetudinem curaturus. Cum vero a medicae artis perito longior ad id in Urbe commemoratio necessaria diiudicaretur, S. Congregationem Concilii supplex adivit, et die 2 Augusti 1859 indultum absentiae obtinuit *a die discessus usque ad totum mensem Septembris proximi futuri*, quod indultum deinde ad alios sex menses prorogatum fuit. Elapso semestri pro ulteriori prorogatione tertio institit, sed revocante Episcopo eiusdem praesentiam in Dioecesi et in choro, die 16 Iunii 1860, rescriptum a S. C. C. fuit *gaudeat impetratis*. Nec spe tamen omnino decidit Canonicus: novum enim tunc obtulit supplicem libellum, quo a Beatissimo Patre efflagitavit anni spatium ad deliberandum an sibi magis expediret canonicali praebendae renunciare, vel potius in suam urbem redire. At die 28 Septembris 1860 responsum

obtinuit - *Relatum* - (1). Cum vero praedictus Canonicus in sua absentia perseveraret, Capitulum apud Curiam episcopalem instituit die 29 Maii 1861 ut ille *privaretur omnibus, vel medietate fructuum sui canonicatus, iuxta dispositiones Tridentini Concilii etc.* Favorabilem sententiam Capitulo emisit episcopalis Curia, qua decretum fuit : *ut reus conventus privatus maneret medietate fructuum sui canonicatus.*

Ab hac sententia appellavit Canonicus ad S. C. C. quae iuxta morem Episcopum rogavit pro informatione et voto. In Episcopi responsione duo accurate distinguebantur, nempe meritum causae, et procedendi forma. *Quoad meritum causae* dicebatur, constare, ex facto et ex actis, Canonicum A. per annum a choro abfuisse, et apertam esse dispositionem synodi Tridentinae qua Canonicus pro primo anno non residens privatur medietate fructuum, praesertim cum nulla data fuerit a Canonico A. dilatoria, vel peremptoria exceptio. *Quoad formam* in iisdem responsionis literis adnotabatur verum quidem esse iuxta resolutionem S. C. C. in causa *Vercellen.* relata a Benedicto XIV. *in Inst.* 107 *n.* 37, citari debere Canonicum sic absentem *ad allegandam causam quare non debeat privari,* iuxta Concilii decretum fructibus beneficii. At praeterquamquod haec in substantia observata fuerunt, eo quod Canonicus A. citatus seu vocatus fuerat in iudicio, ut audiret decretum super privatione medietatis fructuum, nisi legitimam iustamque adduceret absentiae causam, et contumax extitit; has tamen formas iudiciarias in praesenti causa, aiebat, locum sibi non vindicare. Etenim duobus negativis rescriptis preces Canonici A. reiectae fuerant a S. C. C. in qua ad trutinam causae legitimae abessendi a choro revocantur. Praesertim cum non agebatur de privatione beneficii in qua formae iudiciales praescriptae adamussim et sub nullitatis poena sunt observandae, sed tantum de prima fructuum privatione. Haec ex Episcopi literis.

Proposita itaque Sacrae Congregationi fuit causa sub dubio quod infra scribitur, scilicet, an confirmanda esset vel infirmanda Episcopi sententia.

(1) Quando supplex libellus relatus R. Pontifici nullum sortitur effectum, responsio quae datur ex stylo Curiae est - *relatum* - qua significatur libellum relatum quidem fuisse R. Pontifici, preces tamen exaudiri non meruisse.

Disceptatio synoptica.

Defensio Canonici absentis.— Tum Canonicus A, tum Capitulum, defensorem in Urbe pro hac causa constituerunt. Defensor Canonici contendebat primo, nullam censeri debere fructuum privationem ab Episcopo decretam, eo quod observatae non fuerant formae praescriptae, quae praeteriri nequeunt. Observabat enim poenam privationis non esse latae, sed ferendae sententiae, ut apparet ex verbo *privetur* in decreto Concilii Trid. adhibito *sess. 24 cap. 12 de Reform.* « *obtinentibus dignitates canonicatus... non liceat ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse... Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum.* »

Porro subiungebat, omnem poenam, quae irrogari debet per sententiam iudicis, secumferre necessario praefixionem termini, quo reus iustam causam iudici exhibere possit ad poenam evitandam, et in re de qua agebatur, requiri citationem *ad allegandam in termino causam quare non debeat Canonicus absens puniri secundum hoc Tridentini decretum;* ceu decisum fuisse a S. C. C. refert Garzias *de Benefic. p. 3 c. 2 n. 152.* Hinc Monacellius *in Supplem. formul. Eccles. t. 2 tit. 13* hanc tradit in huiusmodi iudiciis formulam citationis. *Citetur et moneatur N. Canonicus nostrae Cathedralis sive Collegiatae, ad allegandum in termino causam, quare ob suam absentiam non debeat puniri ad formam decreti Concilii Tridentini etc. Instante Promotore Fiscali.*

Atqui, prosequebatur, huiusmodi forma neglecta fuit omnino in casu, quapropter nullam fuisse fructuum privationem concludebat ex auctoritate De Nigris *De vacatione benefic. lib. 2 n. 37.* Formam enim a Concil. Tridentino praestitutam, praeteriri non posse tradit Pius IV. in Constit. *In Principis* 109 *in Bullar. magno.*

Insuper cum contra Canonicum A., non Procurator fiscalis instaret, sed Capitulum ipsum, contendebat Defensor ostendere, hanc actionem contra Capitularem absentem, non competere Capitulo. Iure enim Decretalium inspecto, uni Episcopo concessum fuit ius revocandi Canonicos ad residentiam, eosque contumaces poenis mulctandi, prout innuunt textus *in cap. 5 de Cleric. non resident. et in cap. 10, et sequent.* Concilium vero Tridentinum hoc

ius non immutavit, sed solummodo absentiae tempus determinavit, quo praeterlapso, Canonicus puniri debeat. Hinc Barbosa *De Potestate Episc. alleg.* 53. Ugulin. *de offic. Episc. c.* 12. De Nigris *loc. cit. cap.* 6 *n.* 45 tradidere, contumacem nec a Vicario quidem generali, sed a solo Episcopo esse beneficio privandum. Quare, concludebat, citare absentem eiusque poenam expetere, solius esse Promotoris fiscalis. Quandoquidem fructus ab absente amissi in pios usus erogari debent, ceu docent Pax Iordanus *lib.* 10 *tit.* 40 *n.* 105. Garzias *loc. cit. n.* 105. Novar. *de Cler. non resid. consil.* 3 aliique. Haec quidem praeiudicialiter.

Gradum deinde faciens, ad Causae meritum, contendebat Defensor ostendere non defuisse causam legitimam abessendi. Medicus enim B. anno 1848 iam testabatur, eumdem Canonicum morbo rehumatico laborasse, ob quem, iniunctum ei fuerat *ne se exponeret caeli inclementiae, et vociferationi cantus coactae.* Medicus C. anno 1859 referebat Canonicum subiectum fuisse *morbo herpetico*, aliisque morbis laborasse, quare eidem moram Romae suggerebat. Id alter medicus affirmaverat 1860. Alii duo insuper periti anno 1861 iudicabant necessariam moram Canonici A. in Urbe, ne morbi conditio invalesceret.

Neque obstare, subiungebat Orator, quod Episcopus de morbi gravitate dubium moveat, eo quia Canonicus A. per Urbem iret et ageret, cum ipsa rubrica textus Decretalium de aegrotante, ac *debilitato* pariter loquatur, et sub eodem titulo *cap.* 1 monetur: *diversis in Ecclesia militantibus varia... saepe contingit infirmitas.*

Quare, concludebat, in casu adfuisse veram gravemque infirmitatem, quae absentiam a propria ecclesia exegit.

Defensio Capituli.— Defensor Capituli e contra legem Tridentinam proferebat *ex citato capite* 12 *sess.* 24 *de Reform.*, et ultro concedens poenam ibi sancitam, non esse *latae* sed *ferendae* sententiae, contendebat deesse legitimam abessendi causam. Ad poenam enim in hoc decreto sancitam evitandam, aiebat, requiri tum iustam necessariamque causam, tum Superioris licentiam, adeo ut si alterutra desit, quamvis excusationem a residentia exulare, ceu tradunt Card. Petra *Comment. tit.* 3 *n.* 7. Fagnanus *De cler. non resid. cap. Relatum n.* 10 aliique.

Atqui, subsumebat, a die prima Aprilis 1860 qua indultum a S. C. C. concessum cessaverat, ad diem usque motae litis non so-

lum deerat quaevis legitima Superioris licentia, sed aderat etiam expressa voluntas Episcopi, Canonicum ad residentiam, revocantis.

Deerat insuper quaevis legitima abessendi causa, siquidem ea quae a Canonico A. proferebantur, semel iterumque reiecta iam fuerant a S. C. C. Ea vero quae forte Canonicus A. esset deinde prolaturus, fide destituebantur, utpote in aestu litis ad opportunitatem conquisita.

Neque praetermittebat Orator animadvertere, non quamvis infirmitatem, legitimam esse absentiae causam, sed gravem requiri Benedict. XIV. *Instit.* 107 *c.* 8 *n.* 47. Passerin. *ad cap. de Cleric. non resid. concl.* 5 *n.* 9. Moneta Giraldi aliique. Et propter hanc rationem praescribi, ut causa absentiae sit prius a Superiore cognita et probata, ceu docuit Rota *in decis.* 608 *n.* 4 *p.* 1 *recent.*

Neque requiritur, prosequebatur, ut absens moneatur ut redeat et resideat, quasi ita absens puniri non possit nisi constituatur in mora. Giraldi *de poenis eccles. p.* 2 *cap.* 3 *n.* 4. Ferraris *Bibliot. Can.* verbo *Canonici art.* 5 *n.* 18. Benedict. XIV. *in Instit. eccles.* 107 *n.* 37 qui refert anno 1573 quaesitum a S. C. C. fuisse « *an huiusmodi contumaces et absentes sint prius monendi ad residendum antequam puniantur.... et S. Congregatio censuit non esse monendos aut citandos ad residendum...*»

Relate vero ad illud quod ex adverso dicebatur, de Capitulo quod actionem non habet contra capitularem absentem, reponebat, allatos textus ad rem non posse recitari, ex eo quod ibi non de fructuum, sed de beneficii privatione agatur. Et ideo quae ibidem sancita sunt, trahi non posse ad fructuum privationem.

Porro, prosequebatur, eos omnes in iudicio agere posse qui, vel ex lege, vel ex conventione, ius aliquod sibi quaesitum habent. Fructus autem quibus privandus erat Canonicus A. in utilitatem ecclesiae capitularis cedere debebant. Proindeque ius Capitulo in praesenti casu, agendi contra Canonicum absentem denegari non poterat.

Circa formam vero, quae, ex adverso, neglecta dicebatur, animadvertebat Defensor, aequivalentem fuisse adhibitam. Capitulum enim Canonicum absentem in iudicium vocaverat *ut privaretur omnibus, vel medietate fructuum iuxta dispositionem Tridentini Concilii.* Quam citationem esse aequivalentem contendebat illi, quae exprimitur verbis supra relatis, nempe *ad allegandam*

in termino causam, quare ob suam absentiam a residentia, non debeat puniri.

Dubium.

« An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel in-» firmanda in casu.»

Solutio dubii. — Sacra Congregatio Concilii, re discussa die 6 Iunii 1863, censuit confirmandam esse Episcopi sententiam respondendo - *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* -

---

Ex supra disputatis colliges :

I. Decurso trium mensium spatio, si Canonicus ulterius a choro absit, citari a Curia eumdem posse ad allegandam in termino causam, quare non debeat fructibus privari etc.

II. Neque esse necessarium ut Canonicus absens moneatur, vel citetur ad residendum, ac si non possit puniri nisi constituatur in mora. Probata enim absentia, militat adversus eum iuris praesumptio, qua censetur illegitime a choro abfuisse.

III. Quare onus in talem absentem incumbit, destruendi per allegationem et probationem legitimae causae, hanc iuris praesumptionem, si nolit fructibus privari.

IV. In praesenti autem causa supradictas iudiciales formas, licet non in terminis, saltem aequivalenter observatas fuisse. Neque admodum iis insistendum videbatur, post preces iterato a Sancta Sede reiectas.

CAPELLAE QUOAD SACRA UTENSILIA.

Die 28 *Maii* 1864. *Sess.* 21 *c.* 7 *de Reform.*

Compendium facti. Titius fideicommissum instituerat in suo testamento favore Primogeniti familiae A., imposita, inter caeteras, hac lege, ut « propria redderetur haeredis fideicommissarii Capella SS. Conceptionis existentis in quadam Regularium » ecclesia, ornaretur, et si opus esset reaedificaretur, detractis ad » hunc effectum ex Asse haereditario scutatis viginti millibus » addens, praedictam pecuniae vim « posse etiam impendi in sacra » utensilia, pro usu capellae eiusdem, quoties haeres id consentaneum existimaverit.»

Executores itaque testamentarii (qui per annos 12 ad augenda ex reditibus haereditaria bona, administratores etiam constituti erant) secundum hanc Titii voluntatem ab indicatis Regularibus postularunt, ut praefato haeredi in perpetuum concederetur iuspatronatus dictae Capellae cum iuribus et honorificientiis ad praescriptum SS. Canonum, legitimaeque consuetudinis ad patronos spectantibus.

Huiusmodi petitione a Religiosis favorabiliter excepta, ad eumdem effectum, exquisitum, obtentumque fuit Apostolicum Beneplacitum (1) quo «SS̃mus benigne annuit ac propterea committi » mandavit P. Ministro generali ordinis, ut veris existentibus » narratis, petitam facultatem suo arbitrio, et conscientia concederet, ita tamen ut Patronus ad manutentionem dictae Capellae ad praescriptum SS. Canonum teneretur.....»

Hac obtenta facultate, Regulares iuspatronatus in perpetuum haeredibus vocatis concesserunt cum iure sepulchri gentilitii in eadem Capella.

Itaque testamentarii Executores illico instaurandae capellae manus apposuerunt: sed opere absoluto, cum integram summam scut. 20,000 opus illud absumpserit, opinati sunt praefatam hae-

(1) Cum ecclesia vel capella libera, iuripatronatus est subiicienda, ex libera fit serva, ut dici solet, et hic transitus, est quaedam alienationis species; proindeque ex iure exigitur R. Pontificis auctoritas. Eo vel magis quod in casu exposito agebatur de subiectione et servitute in favorem laicorum. *Cap.* 2. *de rebus Eccles. non alienan. in* 6 *et Decis. Rot.* 318 *n.* 8 *et* 9 *part.* 5 ibique auctores.

reditatem non teneri ad utensilia suppeditanda: cui opinioni refragantibus Regularibus, infrascriptum dubium S. C. C. propositum fuit.

Disceptatio synoptica.

Defensio Patroni. — Aiebant Executores testamentarii favore Haeredis Patroni, summam a testatore praefinitam, in opere conficiendo insumptam integre fuisse: unde facultas a Testatore concessa erogandi partem ex scut. 20,000 in sacra utensilia pro usu Capellae *si haeres id consentaneum existimaverit*, cessavit omnino. Idcirco haereditas quae in augmentum administrabatur, non poterat ulterius gravari. Praesertim cum ipsimet Regulares ius illud, scilicet elargiendi utensilia recognoverant in haerede facultativum, ad testamenti formam, quod obligationem excludit.

Defensio Regularium. — E contra vero contendebant Regulares, ex iure communi, Patronum ad utensilia suppeditanda teneri. Aequiparantur enim in iure aedificatio ecclesiae, et eiusdem ornamenta, ad tradita per Pignatt. *tom.* 6 *consult.* 15. Ferraris *Biblioth. v. Capella.* Nec hanc iuris dispositionem elidi, subiungebant, per facultatem praedictam haeredi a testatore concessam. Haec enim facultas respiciebat solummodo media ex quibus, utensilia Capellae suppeditanda, erui deberent; minime vero facultas concessa est utensilia suppeditandi, vel non; quam facultatem haud poterat concedere testator, quin sibi contradiceret. Capella enim *ut ornaretur* absolute mandaverat, et ab hac dispositione, excludere non poterat sacra utensilia, quae sunt praecipua et necessaria Capellae cuiuslibet ornamenta. Poterat itaque haeres partem taxatae summae in sacra impendere utensilia, at cum hoc non fecerit, permanet eorumdem praestandorum obligatio. *Ex officio* vero inter caetera adiugebatur responsio S. C. C. in *Urbinaten.* 28 *Feb.* 1665. *lib.* 24 *Decret. pag.* 120, in qua declaratum est « *Ornamenta Altarium, et Capellarum instrumenta ad cultum divinum, ita parari a Patronis debere, si ab iis sufficiens dotis reditus, etiam pro conservatione cultus divini, assignatus non fuerit.*

Dubium.

« An et quae sacra utensilia a Patrono praestanda sint in casu. »

Solutio dubii. — S. C. C. re discussa die 28 Maii 1864, ad pro-

positum dubium respondit: *Affirmative quoad omnia utensilia ad Altaris et Capellae ornatum necessaria.*

Ex iis colliges:

I. Iuspatronatus liberae Capellae in ecclesia Regularium extantis, consistens solummodo, in praefatis iuribus honorificis, obtineri per Regularium consensum, accedente Apostolico Beneplacito.

II. Quod quidem Beneplacitum sperari utiliter potest ab eo qui patronatum quaerit, si vim pecuniae impendat pro redigenda Capella in formam elegantiorem, et iuxta praescriptum Sacr. Canonum, onera quibus patroni ex iure gravantur in se suscipiat.

III. Proindeque hoc iure obtento, huiusmodi Patronus praeter impensas erogatas in Capellae instaurationem, tenetur ad utensilia Altaris et Capellae necessaria suppeditanda, sicuti etiam ad eorumdem, et Capellae manutentionem, nisi sufficiens dotis reditus ad hunc effectum assignatus fuerit.

PAROECIAE

Die 31 *Martii* 1860.

Summaria precum. — Episcopus A. exposuit: « quod in Dioecesi » sua Parochus est, qui licet aliis officii sui partibus non desit, » magna tamen animi levitate, tantum aes alienum contraxit huc- » usque, atque contrahere pergit, ut, sententia iudicis saecularis, » tertia redituum ipsius pars a creditoribus iam occupetur, quo » fit ut, tam parochiani sui, quam exteri, quibus pecuniam debet, » scandalizentur, et in ipsius persona minime sistendo, totum Cle- » ricorum statum conviciis suis consectentur. Accedit quod in » aere alieno faciendo, eo iam sit progressus, ut non mediocrem » pecuniae summam, e fabrica ecclesiae parochialis desumptam, in » suos usus converterit, ea utique intentione, ut deinceps resti- » tueret, sed eo etiam periculo, ne postea restituendo sit impar.

» Iam vero, cum saepe serioque monitus iste parochus hacte- » nus non resipuerit, nec iuxta indolem ipsius spes sit, fore ut » resipiscat in posterum, propter egestatem autem ipsius poena

» pecuniaria multari non possit, neque sperandum sit, poenas ec-
» clesiasticas, privatione beneficii minores, ad meliorem frugem
» eum esse reducturas, Episcopus orator humillime petit respon-
» sum dari sequenti quaestioni: an ad dictum Parochum, si, quod
» Orator tenet, non emendetur, propter memoratam profusionem
» ipsius, aliosque huic forte similes Beneficiatos applicari quod
» S. Conc. Tridentinum *sess.* 21 *cap.* 6 *de reform.* de iis qui tur-
» piter et scandalose vivunt constituit, indeque in eos beneficii
» privatio statui possit? Sin minus quibus aliis iuris remediis,
» scandalis, quae tales Parochi vel Beneficiati sua culpa oboerati
» publice praebent, ac periculo ex parte illorum imminenti ab
» Episcopo sit occurrendum? »

Hisce expositis precibus *ex officio* eiusmodi observationes adiungebantur.

Poenam privationis beneficii irrogandam in casu suaderent fortasse Tridentini verba in *cit. cap.* ubi Clericos scandalose viventes, et in scandalo post monitiones perseverantes, posse per Episcopum beneficio privari, edicitur; et Parochum, de quo agitur, revera prodigalitate sua, aliis scandalo esse Episcopus testatur. Idque eo vel magis si perpendatur aliam nullam poenam privatione beneficii minorem, ad Parochi emendationem efficacem existimari.

Sed e contra observabatur gravissimam hanc poenam, neque iure SS. Canonum, neque ex Concilii Tridentini sanctione, ad expositae culpae coercitionem merito infligi posse. Canones enim Clericos apostatas, homicidas aliis gravioris notae criminibus reos, privatione beneficii puniendos decernunt, minime vero alieno aere obaeratos. Tridentina vero Synodus *cit. loc.* de Clericis concubinariis et libidinis vitio inquinatis loquitur, qui nempe turpiter et scandalose vivunt, ceu se habent verba a Concilio adhibita iuxta communem DD. sententiam, Pichler *cap.* 2 *de cohab. cler. et mul.*

Neque efficacem subiungebatur propositam poenam videri; quin imo Parochus ille beneficio privatus, adeoque ad egestatem redactus, aere alieno magis magisque gravaretur, vel mendicato victitare magno cum ordinis clericalis dedecore cogeretur.

Caeterum ad occurrendum malis ex nimia illius Parochi profusione exortis, et ad maiora fabricae ecclesiae damna praecavenda, cum spes non esset, fore ut levioris momenti poenis multatus, resipisceret, remittebatur EE. Patribus expendendum: an

expediret potius eidem Parocho, bonorum ecclesiae ac beneficii parochialis administrationem interdicere. Hoc enim iuris remedium quod in prodigos adhibendum dictat lex civilis, iusta de causa adhibetur, in casu quo Parochus prodigorum more, neque modum neque finem in contrahendis nominibus agnoscit. Administratori vero ab Episcopo deputando committi posset ut reditus qui, subductis necessariis ad decentem Parochi exhibitionem, supererint, in distrahendis nominibus, et in ecclesiae fabrica redintegranda rependeret.

Rescriptum. — Sacra Congregatio Concilii die 31 Martii 1860 rescribendum censuit huic quaestioni *per summ. precum* expositae: *non esse locum privationi beneficii, sed potius deputationi ecclesiastici viri Administratoris super bonis tam paroeciae quam fabricae, qui subductis necessariis ad decentem Parochi exhibitionem, superextantes reditus eroget in dimissionem aeris alieni.*

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SUPER DELIBERATIONE CAPITULARI AC NOMINATIONE.

28 *Iulii* 1865.

Compendium facti. Canonicus Ecclesiae Cathedralis civitatis A., qua Executor testamentarius ultimae voluntatis Caroli, die 3 Aprilis 1843 Capellaniam ecclesiasticam ab hoc in eadem ecclesia praescriptam, canonice erigendam curavit, praehabito rite Capituli consensu, additisque conditionibus, ut Capellanus choro inserviret, pro Capellanis absentibus sese pararet (idest Sacerdoti celebranti ministerium ad altare praeberet), Cantoribus in cantu Gregoriano suppetias ferret (idque onus non a Testatore sed a

Capitulo impositum fuerat) ac denique certum quemdam missarum numerum, per se vel per alium, celebraret. Quod pertinet ad passivum eiusdem Capellaniae patronatum, seu Capellani nominationem, cautum fuit ex voluntate Caroli, ut idem ius Canonico executori testamentario competeret, quoad ipse vita viveret, quin ullo hic vinculo teneretur observandi conditiones Capellano imponendas. Posteaquam vero Canonicus executor testamentarius e vita migravisset, statutum fuit, ut ius nominandi Capellanum ad universum praedictae cathedralis Capitulum recideret, adiecta lege, ut Canonici Clericum eligerent in ea civitate natum, ac domicilium habentem, Sacris Ordinibus proximum, bonis moribus praeditum, pauperem, ac patrimonio sacro destitutum; qui, si quando patrimonio proprio, beneficio, vel pensione auctus foret, nulla interpellatione morae, e Capellania decideret, et alter in eius locum subrogaretur.

Testatoris voluntate cumulatissime sic executioni demandata, primus ad eam Capellaniam renunciatus est Angelus, qui cum alia duo congrua beneficia anno 1864 consecutus esset, sponte Capellaniae nuncium misit. Loco vacationi facto, Canonicus executor testamentarius, vitae adhuc usura fruens, ac metuens ne in electione forsan erraret, renunciavit ac cessit iam tunc nominationis exercendae ius – *ipsi Rmo Capitulo, ut Candidati nominatio semper et maiori cum consilio ac ponderatione in virum idoneum ad uberiorem ecclesiae utilitatem cadere possit.* – Quae renunciatio cum a Capitulo accepto habita fuisset, die 12 Maii 1864 Canonici in aula capitulari coaluerunt, quin tamen conventum absolverent ex eo quod nullus ex competitoribus, qui Capellaniam inhiabant, testimonium de cantus Gregoriani scientia exhibuisset. Iterum igitur die 9 sequentis Iunii Canonici coiverunt, iterumque iidem adstitere Competitores, testimonio de cantus Gregoriani peritia omnes communiti, praeter unum Fridericum, prout asserebatur. Sex hi numerabantur; duo scilicet Sacerdotes, alii Clerici. Cum iam quinque ex his scrutinio suppositi fuissent, et sextus excutiendus reliquus foret, unus ex Canonicis vocalibus adsurrexit, edixitque, Aegidium, sextum illum competitorem, nepotem esse ex sorore alterius Canonici vocalis B., adeoque hunc prohibitum esse, ne pro nepote suffragium ferret; quippe in Synodo dioecesana praescriptum est, quod – *si alicuius Canonici aut*

eius consanguinei et cognati intra secundum gradum res agatur, is a Capitulo recedat, et nonnisi re peracta admittatur. – Canonicus B. aegre ab aula capitulari recessit – *protestans et declarans* (ita legitur in deliberatione capitulari) *quod, si facultatem ferendi suffragii, quae sibi intercipiebatur, sibi inhaerere demonstretur, sua mens est suffragium Clerico Aegidio* (suo nempe nepoti) *propitium deferendi.* –

Canonico B. ab aula capitulari profecto, Canonici deliberaverunt, eumdem a ferendo suffragio pro suo nepote esse interdictum, adeoque ea, quae habita iam erant, scrutinia, utpote vitio nullitatis infecta, repetenda esse; unde factum est, ut eadem irrita omnino cederent, quin ulla de ipsorum exitu notitia haberetur. Huiusmodi deliberatio Canonico B. significata fuit, qui suam protestationem iteravit, *addens, quod in omni casu, quomodo sua mens erat suum praebendi votum favore Aegidii, ita animus foret votum ceteris plane adversum tribuendi, et exinde recessit.* – Repetito certamine, quatuor e sex competitorum, minimum suffragiorum numerum retulerunt. At Clericus Aegidius, nepos Canonici B., quatuor propitia, tria adsecutus est adversa suffragia e septem, qui intererant, vocalibus; Clericus vero Fridericus sex propitia, unum infensum sortitus est. Itaque Fridericus vocum maioritatem adeptus, ad Capellaniam vacantem nominatus fuisse in ipsius coetus contextu renunciabatur. Biduo post Canonicus B. protestationem formiter in Cancellaria Episcopali edidit, qua capitularem deliberationem rescindi contendebat ob plures, quas exponebat, causas, unaque instabat, *ne Friderico institutio canonica impertiretur, utpote qui ex actu nullo ac nullius effectus fuerat nominatus.*

Quocirca Fridericus maiori vocum numero fretus, nominationis reportatae iuri insistens, suas S. C. Ep. et Reg. preces obtulit, expostulans, ut in possessionem Capellaniae immitteretur. Sacer Ordo, prout in more positum est, has preces Ordinario remisit, eidem iniungens, ut Partes, quarum ea de re intererat, audiret, suam sententiam panderet, ac Constitutionum capitularium particulam, quae ad eam materiam referretur, scripto suppeditaret. Huic iniunctioni obsecutus est Ordinarius, at capitulares Constitutiones sese exhibere non posse renunciavit: namque Capitulum eas quidem confecerat, sed nondum definitiva san-

ctione approbaverat, adeoque nec Ordinarius ipsas confirmare potuerat (1).

Auditis semel iterumque partibus, causa in plenario S. C. conventu proposita fuit. Itaque in Consultatione de more typis edita, in primis illud statuebatur, validitatem nominationis, qua fretus Fridericus ad Capellaniam sese canonice institui flagitabat, pendere potissimum ex validitate deliberationis capitularis diei 9 Iunii 1864, in qua pluribus suffragiis ad Capellaniam eamdem idem renunciatus fuerat. Quae cum ita essent, plurimum interesse animadvertebatur inquisitio, an ipsa deliberatio sustineretur, eoque magis, quod Canonicus B. eamdem mordicus impugnaret, ac uti nullam declarandam esse contenderet.

Disceptatio synoptica.

Plures rationes pro una alterave contendentium parte *ex officio* adductae sunt ex quibus sequentes praelibamus.

Deliberatio capitularis et Friderici nominatio impugnatur. — Praemittebatur, solemnitates, quae in electione proprie dicta iure pontificio praescribuntur duplicis generis esse ; unum earum, quae a iure positivo profluunt, alterum earum, quae ab ipso iure naturali ortum habent, veluti constituit ipsemet Pitonius *Discept. eccles.* 24 *n.* 4 *et* 16. In hoc secundo genere connumerari ex. gr. hae possunt, videlicet ut vota eligentium sint libera, non coacta, ut praevaleat maior seu sanior, non minor et insanior pars, aliaque eiusmodi elementa quae naturaliter cuilibet electioni cohaerent quae a certo personarum genere peragi debeat. Huc pertinet alia illa conditio, ut nominatio in coetu collegialiter convocato, absolutoque perficiatur: aliter enim electio

(1) Synodus Romana habita anno 1725 *Tit.* 2 *cap.* 4 *et* 5 statuit, ut Capitula Cathedralium et Collegiatarum peculiares suas Constitutiones intra sex menses conficiant, easque Ordinario comprobandas exhibeant. Huiusmodi Decretum, ex verbis ibidem adhibitis, ad Capitula omnia totius catholici orbis extensum fuit; adeoque S. C. Conc. non solum in suis responsionibus ad relationes Episcoporum de statu Dioeceseon, sed etiam in generalibus comitiis, quoties occasio datur, solemne habet iniungere et inculcare, ut huic praescriptioni accurate obtemperent ea Capitula, quae fortasse propriis statutis carere innotescat. Itaque demirandum est, unde fiat, ut Capitulum civitatis A. nondum huic Synodi Romanae decreto cumulate paruerit; eoque magis quod dubitari nequeat, quin plura hanc in rem incitamenta a suis Superioribus habuerit.

non esset actus a corpore morali collective elicitus, sed potius resolveretur in tot suffragia seorsim sumpta singulorum vocalium, quae actum moraliter unum constituere nequirent, quemadmodum aperte tradit Gregor. IX. *cap. in Genesi* 55 *de Elect.* Ex qua exposita doctrina consequitur, ut in casu de quo agimus, electio Capellani de necessitate collegialiter absolvenda erat; namque Canonicus executor testamentarius, et Testator ipse ius eligendi Capellanum non singulis Canonicis adtribuit veluti accidit, quando Testator aliquibus familiis iuspatronatus reservat; sed Capitulo veluti uni personae morali, quae suam veluti subsistentiam ac vitam in conventu rite inito sibi comparat. Fagnan. *Cap. Quia propter De Elect. n.* 37. *de For. Ben. tom.* 4 §. *n.* 552. Pignatt. *Cons.* 22 *n.* 7 *et* 8 *tom.* 1. Piton. *Discept. Eccl.* 24 *n.* 16.

Iamvero, subiungebatur, ut quilibet conventus Canonicorum capitulariter celebratus dici vere possit, illud requiri, praeter alias conditiones recensitas a Ferrario *v. Capitulum. Art.* 1 *in Append.*, ut ad eum invitati fuerint vocales *omnes.* Vid. etiam Piton. *Discept. Eccl.* 100. *n.* 40. De Luca *De Canon. Disc.* 27 *n.* 15 *Rota Decis.* 278 *num.* 21 *p.* 12, *et alibi passim.* Quando vero dicimus invitandos esse *omnes,* intelligimus etiam ad votum ferendum insimul necessario esse admittendos. Vocales enim sese uti contemptos reputare merito possunt, non solum si vocati non fuerint, sed etiam, si vocati, a voto emittendo iniuste prohibeantur; quin imo *turpius eiicitur, quam non admittitur hospes.* Et sane, qui suffragium ferre fuerit inhibitus, aequiparatur ei, qui non fuerit invitatus *Cap. In Genesi* 55 *de Elect.* § *nec praemissi.* De Luca *Disc.* 27. *de Canon. n.* 15. Reinffest *L.* 1. *Decr. de Elect. n.* 115. Iamvero nihil facilius accidit, quam illegitimam Canonici B. ab aula Capitulari votique edendo exclusionem demonstrare. Namque in primis ex apertissima civilis iuris dispositione – *prodest suffragium Patris Filio, et Filii Patri, item eorum, qui in eiusdem Patris potestate sunt: quasi Decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona: in iis quippe, quae iuris publici sunt, praesumitur, quod magis ob bonum publicum moveatur quam ex alia causa particulari affectionis – L. Illud et L. Item Dige. Quod cuius. Univers.* Quae nimirum dispositio consentanea est iuri canonico, et declarationibus S. C. Conc. nominatim in *Pisana Elect.*, in qua, cum Canonici iure alter-

nativae fruerentur in electione Canonicorum, et, data vacatione, concurreret unus, cui consanguinitate iunctus erat Canonicus Del Bono, dubium propositum fuit « An Canonicus Del Bono » in electione de qua agitur reiiciendus sit a ferendo suffra- » gio in casu ; » responsum editum est die 19 sept. 1813 – *Negative* –.

Neque vero officere dicebatur dispositio synodalis: in casu enim praesenti nullam ea poterat exserere vim, quoniam testatorum voluntati derogare non valet. Ita enim scribit Piton. *Alleg.* 30. *De Contr. Patron. n.* 1, *et seq.* – *cum lex fundationis longe praecedat Constitutionem synodalem, et ibi caveatur, ius praesentandi spectare debere ad Capitulum et Canonicos nemine excepto, utique praeallegata constitutio locum non habet in electione ad hoc beneficium de iure patronatus.* – Cum Pitonio concordat S. Rota cum Doctoribus: neque dissentit S. C. Conc., veluti videre est in *Ferentina Cappellaniae*, cuius facti speciem hic dare non inopportunum arbitramur.

Cuppinius quidam Capellaniam in Cathedrali Ferentina fundaverat, iurepatronatu activo reservato Canonicis, passivo autem Consanguineis Fundatoris ipsius, ac secundo loco Clericis Ferentinatibus. Cum ista Capellania vacavisset, factum est, ut inter Canonicos tres adnumerarentur consanguinitate iuncti cum uno ex iis, qui ad ipsam Capellaniam adspirabant. Quoniam vero ex dispositione Synodi Ferentinatis, non secus ac accidit in Dioecesi civitatis A., de qua res est, statutum erat, ut Canonici suffragium consanguineis dare nequeant, tribus illis Canonicis significatum fuit, ut ab aede capitulari egrederentur, cum ille conventus haberetur, in quo de Capellano eligendo consultandum erat. Hi profecto abierunt; sed eodem die protestationem contra huiusmodi repulsam formiter ediderunt. Cum itaque res ad S. Conc. delata fuisset, proposito dubio « An et quomodo iure » suffragii gaudere debeant Canonici intra tertium gradum pro- » pinqui concurrentium ad Cappellaniam Cuppini in casu ; » Emi Patres die 1 Martii 1834 rescripserunt – *Affirmative per vota secreta.* –

In tuenda validitate resolutionis capitularis diei 9 Iunii opponebatur, Canonicum B. vero nimis, ac propterea nequidquam agere de contemptu, quem passus est, cum ab con–

clavi capitulari fuit exclusus, ea nempe de causa, quod voluntatem suam in eo, quo excludebatur, satis superque manifestaverit, eamque revocare amplius non valeat. Namque respondebatur eam manifestationem in primis veluti imperfectam reputandam esse, eoque magis quod ex animi praecipitantia ortum habuerat: cum enim iniuria se exclusum videret, utique dolore incensus et placido mentis statu deturbatus, quid faceret aut diceret, animo pendere non potuerat. Itaque ea declaratio perfectionem suam obtinuit per protestationem biduo post in Episcopali Cancellaria editam, in qua Canonicus B. conceptis verbis de nullitate resolutionis institit. Iam vero huic manifestationi conditio apertissime inerat si nempe *facultas, quae sibi intercipiebatur, ferendi voti vere competeret.* Suum itaque suffragium non absolutum et purum, sed conditioni obnoxium erat. Atqui suffragiorum emissio cum capitulariter absolvi debeat, inter actus legitimos referenda est; adeoque *neque diem neque conditionem recipit ex L. 77 De Reg. Iur.* Observabatur insuper disertissime canonica iura praecipere vota neutiquam esse debere conditionalia; nam in *Cap. 2 De Elect. in 6* legitur – *In electionibus, et postulationibus, et scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, et incerta penitus reprobamus.* – Qua super re consulatur Piton. *Discept. Ecc. 100 n. 100 ad 119* nec non S. Cong. Conc. in *Comen. Beneficii ad diem 13 Iulii 1771 § hunc autem § nihilque § ad novam.* Eo accedebat, quod vota ex dispositione synodali civitatis A., debeant esse secreta, et Canonicus B. palam et publice suum suffragium ediderat.

Denique Canonicus B. asserebat (nullo utique documento legitimo ad rem allato) Fridericum ad Capellaniam a Capitulo electum testimonio carere de scientia cantus Gregoriani. Super quo non parum ipse demirabatur Capituli rationem: Canonici siquidem prima vice congregati conventum habere distulerunt ex eo, quod nullus ex Candidatis fidem de cantu Gregoriano exhibuerat. Quando vero iterum convenerunt, inter Candidatos eum praetulere, qui unus dumtaxat huius qualitatis defectum praeseferebat. Perperam vero obiiceretur, huius qualitatis obligationem non a testatore, sed a Capitulo proficisci: cum enim semel in canonico erectionis decreto eadem inclusa est, decreto standum erat, donec legitime illud correctum non fuerit. Neque

itidem valebat id, quod Canonici obloquebantur, sese ad nominationem devenisse non ex iure a Testatore sibi facto, sed ex iure renunciationis, ab Executore testamentario in suum favorem editae: Executor enim iste satis superque ostenderat, sese Capitulo extinctive ius nominationis in perpetuum renunciasse, quasi ipse demortuus foret, et Canonici ex testamento ad nominationem procederent.

Deliberatio capitularis et insecuta nominatio Friderici defenditur. — Praemissa iuris theoria quae viget circa huiusmodi electiones (1), disiectis minoris momenti difficultatibus, quae obiicebantur, validior ac nervosior defensionis ratio pro deliberatione capitulari et Friderici nominatione hoc modo suscipiebatur.

Quamvis concederetur Canonicum B. a suffragio edendo immerito fuisse prohibitum, non idcirco tamen sequi contendebatur ut nominationis actus vitio nullitatis corruere dicendus foret. Incontroversi enim et indubitati iuris est, tum cum aliquis vocalis exclusionem passus est, seu, veluti vulgo dici solet, contemptus fuit, ut actus capitularis *per se* nullus haud sit, quin e contra suum retineat firmitatis robur; nisi quod ille qui contemptus fuit de nullitate agere minime prohibeatur, unaque eiusdem rescissionem adsequendi ius habeat, si contemptum plene

(1) Plures solemnitates observandae sunt ex iuris praescripto in peragenda canonica electione proprie dicta ut cernere est in tit. de Elect. l. 1 Decret. ac nominatim in *cap.* 42 *quia propter*, ex. gr. ut tres scrutatores eligantur, ut suffragia scripto consignentur, aliaque id genus impleantur, quorum omissio nullitatem prorsus importat. Sed haec locum obtinent in electionibus Praelatorum sive saecularium, sive regularium dumtaxat, quemadmodum vulgo tradunt Doctores, quos inter satis est allegare Fagnanum in Commentatione memorati Capitis ac punctim *nn.* 6, 8, 10 *ac seqq.* qui porro Auctor *n.* 36 *et seqq.* singularem earumdem solemnitatum seriem articulatim recenset. Quin imo huiusmodi forma ita unice locum in electionibus propriis dictis sibi vindicat, ut ne capitularium Vicariorum creationi quidem accomodari soleat: hoc enim officium precarium est nec praelaturam praesefert. Vid. Leuren. *De for. Benef. De Const. et qual. Vic. Cap. tom.* 4. *quaest.* 550. cum communi Doctorum. Quare multo minus necesse est eidem formae inhaerere in nominationibus Beneficiorum simplicium et Capellaniarum Piton. *Discept. Eccl.* 21 *n.* 4 ubi ita scribit « Capitulum potest in eligendo procedere, » et consentire modo sibi beneviso sive » verbo sive facto sive ante sive post ele- » ctionem et quandocumque ex interval- » lo dummodo consensus accedat vel » omnium vel maioris partis vocalium.» Congruit S. Congr. Conc. *In Eugubina Mansionariae* 5 *Aprilis* 1794, et passim alibi.

demonstrare sibi contingat. Id enim perspicue sancitum est in *cap.* 28. *Quod sicut, cap.* 36. *Bonae De elect.* Fagnan. *ad cap. Quia propter De Elect. n.* 39 Reinffestuel *De Elect. lib.* 1 *n.* 15.

Hisce in iure praelibatis, in facto statuebatur, a Canonico B. non absolute ac simpliciter deliberationem capitularem fuisse impugnatam, sed cum conditione. Ipse siquidem hisce fere se verbis explicuerat. – *Si mihi ius inest ferendi suffragii, et exclusio, quam subii, iniusta est, animus mihi est singulis infensam praebendi vocem, excepto Aegidio nepote meo.* – Quod si prima huius declarationis pars impleta dicenda foret, adeoque iniusta fuerit eius exclusio, id tantum sequeretur, ut singuli Competitores alterum votum adversum, Aegidius vero alterum sibi propitium obtineat. Itaque Aegidius, qui vota alba quatuor retulit, quinque subinde sibi vindicabit. At nihilosecius Fridericus, qui sex vota alba iam adeptus fuerat, addito uno suffragio adverso, non idcirco de maiori vocum numero prae Aegidio gloriari nequibit.

Neque vero quidquam ageret Canonicus B., si protestationem obtruderet biduo post conventum capitularem diei 9 Iunii penes Cancellarium Episcopalem elicitam, in qua disertis verbis pro capitularis deliberationis nullitate institit, actaque omnia rescindenda esse petiit. Cum enim animi sui hac de re declarationem in eo ipso, quo a conventu recessit, satis plene pandidisset, iam non amplius suae potestatis erat suae voluntatis actum revocare et immutare: *quod enim semel placuit*, uti comune fert adagium, *amplius displicere non potest.* Porro cum semel Capituli resolutio ab eodem ratihabita fuit, quidquid eidem fortasse vitii inerat, apprime purgatum dilutumque fuit. Ceteroquin ratihabitio non modo verbis, sed et factis emittitur. – *Non enim tantum verbis ratum quidquam potest haberi, sed etiam actibus* – ait Paulus Iurisconsultus *L.* 5 *Dig. Ratam rem.* Nec quidquam proficeret Canonicus B., si errore et ignorantia ductum se id fecisse diceret, nam falsa reputatio neminem excusat, neque actus voluntarius ille nequit reputari, quem aliquis gerat falsa spe aut opinione ductus. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 765 *n.* 49. *Rota Decis.* 287 *n.* 24 *p.* 16 *Rec.*

Praeterea tametsi aliqua adhuc dubitationis umbra superesset, pro validitate actus standum esse subiungebatur non solum

ob regulam generalem, quae tradit omnem actum habendum esse uti validum, donec contrarium non probetur, sed et etiam ob regulam specialem, in materia electionum receptam, in quibus electio suum obtinere robur intelligitur, donec ille, cui id incumbit, validis argumentis, electionis nullitatem legitime non demonstraverit. Piton. *Discept. Eccl.* 100 *n.* 221 *et seq.*, et convenit comunis Interpretum doctrina.

Super defectu peritiae cantus Gregoriani, qui contra Fridericum obiectabatur, nullum plane verbum erat in deliberatione capitulari diei 9 Iunii 1864. Nihilominus respondebatur, conditionem illiusmodi minime a testatore proficisci, sed a Capitulo dumtaxat repetendam esse, cui ceteroquin potestas haud inerat adiiciendi conditiones a testatore minime praescriptas. Insuper, in praesenti vacationis statu, ius nominandi haud exercuerant Canonici vi testamenti, a Carolo scripti, sed in vim renunciationis a Canonico executore testamentario favore Capituli emissae. Cum itaque iste nullo obstringeretur vinculo nominandi Clericum qualitatibus a Testatore praefinitis praeditum, iam nec Capitulum, ut huius cessionarium, adigebatur Capellanum eligere, scientia cantus Gregoriani aliisque meritis adornatum.

Antequam finis Consultationi poneretur, monebatur nominationem Friderici veluti nullam forsitan declarandam esse, tametsi deliberationem capitularem diei 9 Iunii 1864 in suo robore manere iudicatum foret, si videlicet cantus Gregoriani peritia veluti substantialis in casu, de quo agitur, existimaretur, eaque Fridericum reapse carere constitisset. Qua re constituta, secundi quod inferius ponitur, dubii formulam praetermitti non debere visum est.

Dubia.

I. « An et quomodo sustineatur deliberatio capitularis diei » 9 Iunii 1864 in casu ».

II. « An et quomodo sustineatur nominatio Friderici ad Cap- » pellaniam, adeo ut danda ei sit institutio canonica in casu.»

Resolutio dubiorum. — Emi Patres in comitiis habitis die 28 Iulii 1865 rescripserunt: ad I et II *attenta declaratione emissa a Canonico B. in aula capitulari affirmative in omnibus.*

Ex iis quae exposita sunt colliges:

I. Ad normam Decreti Synodi Romanae anni 1725, *tit.* 2 *cap.* 4 *et* 5 singula Cathedralium et Collegiatarum Capitula peculiares suas Constitutiones condere et Ordinario confirmandas repraesentare teneri.

II. Solemnitates a iure canonico in electionibus accurate peragendis praestitutas, locum sibi vindicare in eligendis Praelatis sive saecularibus, sive regularibus.

III. Earumdem autem omnium observantiam non exigi in iis electionibus in quibus de Beneficiis minoribus agitur, maxime si ea simplicia sint.

IV. Observari tamen debere eas conditiones, quae veluti ex rei natura profluunt, quaeque cuicumque electioni a certo personarum collegio peragendae per se inhaerent.

V. Inter huiusmodi conditiones observandas eam recenseri, ut nimirum Electio *collegialiter* perficiatur.

VI. Neque minus alteram numerari ut nullus scilicet ex eligentibus contemnatur, idest excludatur sive directe sive indirecte a suffragio ferendo.

VII. Ex contemptu tamen alicuius de gremio eligentium, electionem ex sese irritam non esse, sed eam sententia iudicis irritari debere (1) si ille qui inhibitus iniuria fuit de nullitate agat.

VIII. Quare cum irrita talis electio ex sese non sit, si ille animum suum ita declaraverit, ut implicite vel explicite electionem seu nominationem, ipsum recognovisse constet, non est amplius audiendus si electionis validitatem impugnet.

(1) Magna intercedit differentia inter actum ex sese nullum, et actum qui talis ex sese non est sed nullus reddi possit. In priori casu si sententia iudicis quaeratur, dicitur tantum declaratoria; declarat nimirum actum fuisse nullum, in altero vero casu sententia iudicis illum reddit nullum sine qua actus suo robore constitisset. Ex hac observatione alia derivat differentia inter utrumque actum; per sententiam enim declaratoriam actus considerabatur nullus a suo initio et omnes effectus, ab eo actu producti, secundum suum initium diiudicantur: in altero autem casu, tum actus incipit esse nullus cum fuerit irritatus.

SUPER IURE FUNERANDI.

26 *Februarii* 1861.

Iniqua lege incompetens civilis potestas suppresserat in Ditione A. quosdam Ordines Religiosos, adeo ut Regulares coacti fuerint vitam degere privatis in domibus, claustro relicto, et habitu presbiterorum saecularium induto. In hac iniusta et violenta suppressione, Domus religiosa bonaque ad eamdem spectantia, direpta pariter fuerunt, relicta tantum ecclesia, Provinciali Ordinis custodienda. Curarunt Religiosi sic dispersi quoad poterant vitam regularem servare, maxime obedientiam praestando Ordinis Superioribus.

Contigit autem ut Provincialis, qui licet ecclesiae custos inter expulsos Religiosos numerabatur, morbo correptus, adsciverit sibi Parochum loci, pro recipiendis Ecclesiae Sacramentis vitamque deinde finiverit. Parochus itaque, qui haec eidem contulerat, iusta funebria honore debito etiam persolvit, sibi servata dumtaxat funeris quarta.

Quamvis Religiosi circumstantes eiusmodi Parochi actionibus non restiterint, imo eidem morem gesserint, tamen non defuit unus vel alter ex illis, qui obmurmuravit contra Parochi agendi rationem, ex eo quod se putarent exemptos ab eiusdem iurisdictione.

Hisce tamen omnibus pacifice expletis, postea supplex oblatus fuit libellus, celato auctoris nomine, S. Congregationi EE. et RR. in quo nonnullae querimoniae exprimebantur de eo quod a parochiali ecclesia gestum fuerat, cum non deessent Regulares qui funera peragere potuissent; sed hisce praetermissis, implorabatur a S. C. generalis regula pro similibus casibus, qui forsan essent eventuri. S. Congregatio pro informatione et voto, libellum misit ad Ordinis Generalem, et receptis literis, iisque transmissis pro eadem ratione, ad Episcopum, ut etiam Parochum in scriptis audiret, causa deinde discussa fuit sub dubio in calce posito, cuius resolutio pro futura norma quaerebatur.

Disceptatio synoptica.

Tota quaestio in eo versabatur, an Regulares dispersi per iniustam suppressionem subessent Parochiali iurisdictioni quoad funera. Rationes deductas tum quae in exquisitis votis reperiuntur, tum quae *ex officio* adiectae sunt, breviter in hac disceptatione attingemus.

Argumenta pro exemptione. — Observabatur itaque, favore Regularium, actum illegitimum suppressionis, producere effectus iuridicos, quos produceret suppressio legitima, nullatenus posse. Est enim actus ipso iure irritus, proindeque privilegia, Regularium auferre non potest. Praesertim cum inter Regulares, licet ob illatam violentiam essent dispersi, servabatur tamen moralis regiminis unio, et obedientia debita praestabatur Superioribus; ideoque poterant simul Regulares convenire in propriam ecclesiam ad actus emittendos regularis professionis, et maxime ad officia suprema praestanda suis Confratribus. Cum itaque non praestet impedimentum quod de iure non sortitur effectum, privilegia Regularium sarta tectaque manere debuerant.

Porro inter horum privilegia, illud recensetur quod legitur *in cap.* 5 *de sepultur. in* 6 hisce verbis, *Religiosi, nisi a propriis Monasteriis adeo forsitan remoti sint, quod ad ea cum moriuntur commode portari non possunt, nequeunt (cum velle et nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.* Quare Regularis decedens sepeliri debet apud suum Monasterium, neque eligere sibi potest sepulturam, excepto unico casu in quo nimis remotus a Monasterio reperiatur; qui casus in praesenti quaestione nullatenus verificabatur.

Sane praeterquamquod prope erat Regularium de quibus agimus ecclesia; non deerant alia Monastèria non admodum dissita eiusdem Ordinis, quae suppressionem passa non fuerunt. Etenim SS. Canonum Expositores, verba illa, quae in allegato capite habentur, *adeo forsitan sint remoti,* intelligunt de ea distantia ob quam impendi deberet plus quam dies pro cadaveris delatione. Pelizar in *Man. Reg. tom.* 2 *tract.* 8 *cap.* 5 *n.* 29. Bordon *tom.* 3 *res.* 51 *n.* 161. Petra *ad Const.* 9 *Honor. III. n.* 31 *tom.* 2. Imo animadvertebatur eosdem quoque Auctores, et Sanchez docere simul, posse Regularem a suo Monasterio valde remotum, tumulari in ec-

clesiis, quae spectant ad alias diversi nominis familias, quae sub eodem Ordine comprehenduntur. Quare concludebatur, cum ad ecclesias supra indicatas commode potuisset Provincialis cadaver deferri, non debuerat illud in parochiali ecclesia sepeliri.

Sed praeter haec, observabatur, ex doctrina Doctorum, Regulares extra Claustrum decedentes, etiam inconsulto parocho qui extrema Sacramenta eisdem ministraverit, posse adsportari ad propriam eorumdem ecclesiam. Et in hac re nominatim Pignatel. *Const.* 199 *n.* 1 *tom.* 4 refert sequentem S. C. C. resolutionem diei 2 Iulii 1620 ad X. dubium quod in latinum idioma vertimus « Cum interdum accidat, ut Regulares, speciatim vero » Canonici Lateranenses, extra Monasterium in domo suorum pa» rentum moriantur, et cum Parochi eorumdem administraverint » Sacramenta, quaeritur an ex Superiorum mandato, noctu deferri » possint ad eorum ecclesiam inconsulto Parocho ita ut non dentur » parochialia emolumenta.» (1) Sacra C. respondit: *Regulares extra claustrum decedentes posse ad eorum ecclesiam deferri, etiam parochis inconsultis.*

Neque obstat, subiiciebatur, quod tantum Parochus ius habeat administrandi Sacramenta Regulari extra claustrum decedenti iuxta illud quod docet Petra *loc. cit. n.* 13 doctrinam firmans quadam Resolutione S. C. C. *in Collen.* 11 *Aprilis* 1609. Aliud est enim Sacramenta conferre, aliud est ius funerum et sepulchri, quod ex supra allegato capite, spectat ad Regulares.

Ea quae in contrarium observabantur.—Favore vero parochialis iurisdictionis initio observabatur, suppressionem aliam esse *iuris* aliam *facti*. Heic agi de suppressione, seu accuratius de oppressione *facti* orta ex violentia iniusta, qua Regulares e claustro exturbati sunt, sublatis mediis necessariis ad observantiam regularem prosequendam. Porro haec suppressio quamvis ex omni parte illegitima, et ideo iuridice nulla, tamen, propter tristes effectus inde enatos, Regulares in eo statu reperiuntur quo in actum deducere nequeunt nonnulla ex suis privilegiis, cuiusmodi illud est reci-

(1) Italice ita dubium exponebatur: « Che morendo li Frati, come avviene alle » volte, ed in particolare de' canonici La» teranesi, fuori del Monastero in casa dei » loro parenti, ed avendo loro i Curati » amministrato i Sacramenti, se possono » i loro Superiori farli portare di notte » alla loro chiesa senza dirne cosa alcuna » al Curato, e senza dargli le ragioni par» rochiali.»

piendi suprema officia a regulari familia. Imo observabatur, propter huiusmodi suppressiones et Regularium dispersiones, ad res in pristinu mordinandas, requiri interventum S. Sedis; ut contigit post ultimam suppressionem, et dispersionem a gallico gubernio peractam.

Insuper ad rem de qua agimus peculiariter confirmandam, afferebantur duae resolutiones S. C. C. respicientes Moniales dispersas ob Monasterii suppressionem.

Etenim quaedam Monialis anno 1818 in domo propriae familiae decessit, quae habebat gentilitium sepulchrum in parochiali Ecclesia S. Gregorii; alter Parochus S. Martini intra cuius paroeciae fines extabat Monasterium, in quo Monialis suam emiserat professionem, contendebat sibi ius funerum spectare, eo vel magis quod Monialis sepulturam non elegerat. Sacra autem Congr. C. favore Parochi S. Gregorii sententiam emisit. Item in altera *Pisauren.* 36 *Iunii* 1824.

Alter casus allegabatur respiciens parochialem iurisdictionem in Monasterio Monialium suppresso quod adhuc in pristinum restitutum non fuerat. Convivebant in hoc Monasterio Moniales et earum aderat Confessarius, localis Parochus Sabato sancto ad illud accessit pro benedictione impertienda, repulsusque à Monialibus fuit. Huiusmodi actum reprobavit tum Archiepiscopus, tum S. C. EE. et RR. quae die 28 Martii 1817 literas ad eumdem Archiepiscopum misit eum in finem « ut opportunis ordinationibus » disponeret quibus Archipresbyter (Parochus) possit libere exer» cere omnes propriae iurisdictionis actus in Monasterium S. Ca» tharinae non adhuc in pristinum restitutum, et prospiceret » insuper, ne in futurum scandala vel aliquid minus decens orire» tur super iurium exercitio, praefato Archipresbytero competen» tium.»(1) *Ex libro Monialium* 1817.

Quare Regulares licet illegitime expulsi sint e Monasterio, quoad nonnullos effectus, aequiparantur illis qui legitime dimittuntur, quique recuperant, ut Auctores loquuntur *velle et nolle* in

(1) Italice ita rescriptum exprimebatur: « Affinchè dia gli ordini opportuni » acciò il nominato Arciprete possa eser» citare liberamente tutti gli atti di sua » giurisdizione nel non per anco ripristi» nato Monastero di santa Caterina, pro» vedendo inoltre per l' avvenire onde non » nascano scandali ed inconvenienti sul» l' esercizio dei dritti competenti al sud» detto Arciprete.»

ordine ad funera, vel aequiparantur illis qui Indultum *saecularizationis* obtinuerunt. Sane habitum regularem non induunt, pecunia pro dici necessitatibus utuntur, et libertate quadam fruuntur, qua, sub regulari disciplina intra septa degentes, uti non poterant. Quare sicut illi subiiciuntur Episcopali iurisdictioni, ex legitimo facto, ita isti licet ex illegitima suppressione, ob enunciatos inevitabiles effectus, eidem iurisdictioni subesse dicebantur, proindeque etiam parochiali iurisdictioni. Haec tamen ita intelligenda sunt, ut dici non possint Regularium privilegia extincta, sed suspensa, adeo ut cessante violentia suppressionis, et in pristinum rebus restitutis, veluti iure postliminii, ipso facto ea in suo robore redintegrentur.

Dubium.

« An et ad quos spectet ius funera peragendi quoad decedentes » Regulares..... rerum statu sic manente in casu.»

Resolutio dubii. — S. Congregatio EE. et RR. die 26 Februarii 1864, re discussa respondere censuit: *affirmative nempe Religiosos dispersos quoad funera subesse Parocho loci prouti caeteri parochiani.*

Ex iis colliges:

I. Parochum extrema Sacramenta administrare debere Regulari extra claustrum decedenti, quin tamen ius habeat ad funera huic peragenda.

II. Hoc ius tamen Parochum habere si Regularis nimis a suo Monasterio remotus decedat, adeo ut commode eius cadaver ad Monasterium deferri non possit, nisi aliter determinavit.

III. Regulares autem dispersos, etiam ex illegitima suppressione, subesse quoad funera parochiali iurisdictioni sicuti caeteri Parochiani.

IV. Quare colliges privilegium sepulchri ad singulos Regulares spectare non uti singulos, sed quatenus sunt membra eiusdem consociatae familiae intra Monasterii septa viventis, sub regulari disciplina (1).

(1) Forsan obiicies: si vera esset observatio haec, exinde consequeretur quemlibet Regularem extra claustrum decedentem sepeliri debere in parochiali ecclesia. Sed huic obiectioni respondetur, quod Regularis degens extra clau-

IURISPATRONATUS ECCLESIASTICI.

Die 4 *Martii* 1864.

Compendium facti. Transiit anno 1707 iuspatronatus ecclesiae parochialis A. quod Titius laicus possidebat, in Regulares Ordinis B.

In ultima paroeciae A. vacatione, quae contigit mense Martii 1864, Vicarius capitularis (Sedes enim Episcopalis destituta erat pastore) concursum ad normam Tridentinae legis indixit. Existimans autem collationem dictae paroeciae vacantis hac vice S. Sedi esse reservatam ex Cancellariae regulis, ius eligendi inter approbatos regularibus Patronis denegavit, contendens – electionem Parochi ex dicta reservationis causa sibi spectare, salvo Regularibus iure praesentandi S. Sedi, quem ipse ex approbatis eligeret. –

Contradicentibus regularibus Patronis qui, et ius eligendi, et ius praesentandi sibi adscribebant, dubium S. Sedi dirimendum fuit propositum quod in calce referimus.

Disceptatio synoptica.

Defensio Vicarii capitularis. — Observabatur favore Vicarii capitularis, qui suas adduxerat rationes, iuspatronatus de quo agimus, licet initio esset forsan *laicale*, tamen per transitum eius-

strum, non cessat esse membrum consociatae familiae intra Monasterii septa, sub regulari disciplina viventis. Ex hac ratione Monasterium sibi vindicat ius funerum circa talem decedentem; quod si non consideretur ut membrum illius consociatae regularis familiae, non posset hoc ius sibi vindicare, prout ex. gr. vindicare hoc non posset super Regularibus qui indultum saecularizationis obtinuerint. Quare Petra alios citans auctores *ad Const. Honorii III. n.* 43 *sectione unic. tom.* 2 docet « non posse a » Parochis praetendi ius sepulturae pro » cadaveribus Regularium decedentium » extra claustra et qui contumulantur in » eorum monasteriis *ea ratione quia Re-* » *gularis, habitu, semper dicitur esse* » *sub monasterii disciplina.* » Quare ex quacumque causa haec monasterii disciplina dissolvatur et impossibilis reddatur, ita ut cogantur Regulares extra Monasterii septa dispersim vivere, privilegium de quo agimus cesset necesse est. Proinde, uti observas, per accidens tantum, ex illegitima patrata violentia iuridicos effectus consequi; suspensum nempe in casu manet exercitium huius privilegii, quod spectat quidem ad singulos Regulares, non tamen uti singulos, sed uti membra consociatae familiae per regularem disciplinam, qua dissociata, ordo exigit, ut subintret ius localis Parochi.

dem iurispatronatus in corpus morale ecclesiasticum, qua tale, suam immutavisse naturam, ac devenisse iuspatronatus *ecclesiasticum*, iuxta textum *cap. unic. de iur. patron. in* 6. Reinffenst. *lib.* 3 *tit.* 28 *n.* 49.

Porro circa paroecias iurispatronatus ecclesiastici, haec statuit Concilium Trid. *sess.* 24 *c.* 18. « Si vero (ecclesia parochia» lis) iuris parochialis ecclesiastici sit, ac institutio ad Episco» pum, et non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem » inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo praesen» tare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, » quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis » eligat digniorem, quem Patronus ei praesentet ad quem insti» tutio spectat. » Hinc cum institutio, hoc in casu, ad Apostolicam Sedem spectaret, cumque Vicarius capitularis, sede vacante, iurisdictionem episcopalem obtineat, consequi videbatur ad dictum Vicarium ius eligendi pertinere, quod sede plena ad Episcopum pertinuisset. Illud enim Decretum ceu notat Benedictus XIV. *de syn. dioeces. l.* 4 *cap.* 8: « adeo religiose custodiendum censuit » S. C. Concilii, ut etiam quando institutio pertinet ad Papam, eo » quod ecclesia parochialis vacaverit in mensibus Sedi Apostoli» cae reservatis, facultatem designandi digniorem ex approba» tis, non Patrono ecclesiastico, sed Episcopo competere dixerit » *apud Garziam, et Barbosam*, ubi insuper ab eadem Sacra » Congr. decisum refert, quod si, ecclesiam parochialem iurispa» tronatus ecclesiastici, vacare contingat in mensibus Papae reser» vatis, ad solum Ordinarium pertineat indicere concursum, re» nunciare magis idoneum, atque haec omnia ad summi Pontificis » Datarium referre, nulla prorsus habita ratione Patroni ecclesia» stici. » Idemque Pontifex *cit. loc. n.* 10 subiungit « ius eligendi di» gniorem in singulis memoratis casibus, competens Episcopo, va» cante sede episcopali transit ad Capitulum ecclesiae cathedralis ad » quod iurisdictio Episcopi devolvitur: sed a Capitulo transfertur » in Vicarium, quem ex Concilii Tridentini Decreto *sess.* 24 *cap.* 16 » *de reform.* intra octo dies ab habita notitia vacationis ecclesiae » tenetur eligere. »

Imo Fagnanus refert *lib.* 3 *decr. tit. Ne sed. vacan. cap. Illa n.* 18 *seq.* normam quamdam a S. C. C. statutam fuisse in paroeciarum collatione servandam, sede episcopali vacante, hisce verbis

conceptam. « Solus Vicarius eliget quem ceteris magis idoneum » iudicaverit, haec enim facultas nullo modo examinatoribus com- » petit cum soli Episcopo a Concilio sit attributa, cuius loco erit » Vicarius sede vacante. Ipse etiam solus Vicarius absque exami- » natoribus, scribet literas ad SS̃mum D. N. ad quem collatio paro- » chialis spectabit, quibus praecipue testabitur, propositum fuisse » edictum, et examen per concursum factum, totque examinatos » fuisse, et ex examinatis tot idoneos a tribus saltem examinato- » ribus iudicatos, se vero ex istis idoneis talem ceteris magis » idoneum iudicasse, elegisseque. »

Quare concludebatur Vicario capitulari ius esse, hoc in casu digniorem inter adprobatos eligendi.

Defensio Regularium. — Regulares Patroni in sua defensione non contradicebant iis quae per Vicarium capitularem adducebantur, sed, novo veluti fulcro innixi, falsum esse contendebant collationem paroeciae vacantis ad S. Sedem pertinere. Proindeque sibi electionem, et praesentationem; institutionem vero canonicam Vicario capitulari adscribendam esse concludebant.

Sane si paroeciae collatio ad S. Sedem pertinuisset, id deduceretur vel ex *regula secunda* Cancellariae Apostolicae, vel ex *regula nona;* atqui ex neutra id erui observabatur.

In regula enim secunda haec habentur. II. *Item reservavit... dignitates et beneficia omnia ad collationem praesentationem, electionem et quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum (non tamen ad collationem cum alio vel aliis aut etiam alterius praesentationem vel electionem pertinentia) quae post illorum obitum . . . dimissionem, seu amissionem . . . quomodocumque vacaverit, et vacabunt in futurum.*

Hac porro regula, subiungebatur, licet R. Pontifex sibi collationem Beneficiorum vacantium sibi reservet quae post obitum Episcopi vel alterius Prelati seu Collatoris vacaverint; tamen ea beneficia excepere, quorum collatio non ad Episcopum solum pertinet, sed ad alios quoque, sive ad aliorum praesentationem, vel electionem etc.

In casu porro agebatur de paroecia vacante, quae providenda suo parocho erat, per electionem et praesentationem dignioris inter adprobatos, a Regularibus faciendam, ita ut nullas alias partes habeat Episcopus quam praesentatum instituendi.

Neque insuper obiici poterat, eiusmodi reservationem sese extendere etiam ad beneficia patronatus ecclesiastici, ac si exciperentur, in dicta secunda regula, tantum beneficia patronatus laicalis. Etenim, praeterquamquod eiusmodi distinctio ne quidem innuitur, nullus forsan interpres reperitur, qui ita illam regulam exponat.

Neque minus evidenter ostendebatur, regulam nonam sub sua reservatione non continere paroeciam vacantem de qua agimus. Observabatur enim regulam nonam duplici veluti parte constare, in quarum prima sibi R. Pontifex reservat « *omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata et ubicumque existentia in singulis* Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii, Iulii, Augusti, Octobris, et Novembris *mensibus . . . ad collationem provisionem praesentationem . . . quorumcumque Collatorum . . . et quorumvis Ordinum regularium . . . quomodolibet pertinentia.* » In altera vero parte indulget R. Pontifex Episcopis, qui vere ac personaliter resident in propria Dioecesi, facultatem disponendi alternative, scilicet: « *de omnibus et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, saecularibus et regularibus ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem seu praesentationem, vel electionem . . . quae in antea* (nempe in posterum) *in mensibus* Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris *extra Curiam ipsam vacare contigerit.* » Eiusmodi disponendi facultas Episcopis tribuitur in residentiae meritum; non vero concessa legitur Vicariis capitularibus, maxime cum regula eadem subiungat: *Illi vero qui gratiam alternativae praedictae accceptare voluerint, acceptationem huiusmodi per patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate vel dioecesi datas, declarare et literas ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Suae transmittere teneantur; quibus ab eo receptis, et recognitis tunc demum, et non antea uti incipiant gratia supradicta.*

Porro observabatur primam partem regulae non comprehendere vacantem paroeciam de qua agimus, utpotequae vacavit mense *Martii;* secundam partem, aliis omissis, locum non habere (licet mensis Martii altero alternativae calculo, reservatus videatur S. Sedi) eo quod Vicarius capitularis hac alternativa facultate non gaudet:

quare prono alveo descendebat, instantiam Vicarii capitularis falso supposito laborare.

Unice proindeque ad eumdem Vicarium spectabat ius canonice instituendi digniorem electum et praesentatum a Regularibus, quod ius communiter sede Episcopali vacante, Vicario capitulari tribuitur iuxta textum *cap. Etsi de Inst. in* 6; ibi legitur, *Etsi Capitulum sede vacante beneficia, quae ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit; praesentatos tamen a Patronis potest admittere. . . .*

Quibus hinc inde perpensis propositum est dirimendum

Dubium.

« An et quomodo, durante vacatione Sedis Episcopalis, ius eligendi digniorem inter adprobatos in concursu, ad paroeciam A. » pertineat ad Vicarium capitularem, salvo Regularibus Patronis » iure praesentandi; seu potius tam ius eligendi, quam praesentandi » pertineat exclusive ad eosdem Regulares Patronos in casu. »

Resolutio Dubii. — Re discussa in comitiis habitis die 4 Martii 1864. S. Congregatio EE. et RR. respondere censuit favore Regularium rescribens *Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ex quibus colliges.

I. Vicarium capitularem, posse parochum electum inter adprobatos per concursum, et praesentatum ab ecclesiastico Patrono canonice instituere, si eiusmodi institutio, sede plena, ad Episcopum communi iure spectabat.

II. Imo ad Vicarium capitularem spectare digniorem eligere et S. Sedi eumdem designare inter adprobatos per concursum, si eiusmodi paroeciae eo tempore vacent quo pontificia reservatio, ex regulis Cancellariae, vigeat.

III. Colliges regulam secundam Cancellariae sub sua reservatione non comprehendere beneficia quae confert Episcopus ad aliorum praesentationem.

IV. In praesenti autem casu paroeciam vacantem effugisse eventum regulae nonae, eo quod mense Martii vacaverit.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA.

DECLARATIONES SEU NOVA INDULTA SUPER IUBILAEO.

Cum in variis orbis locis adhuc expleta non sit Iubilaei celebratio clementer concessi a SSmo D. N. literis apostolicis diei 8 Decembris 1864, quin imo, cum non desint locorum Ordinarii qui temporis prorogationem postularunt, ac obtinuerunt, utile esse putavimus in ulteriorem notitiam deducere S. Poenitentiariae Responsa, quae expeditiorem reddunt viam in Iubilaei celebratione.

Exposita itaque iam fuerant resolvenda nonnulla dubia, quae de more in latinum idioma vertimus, et sunt sequentia

Dubia.

I. « Episcopi illi qui expedire suae Dioecesi putant ut Dioe» cesani S. Iubilaeo fruantur (literis apostolicis diei 8 Decem» bris 1864 concesso) in proxima quadragesima, possunt ne com» mutare tres dies ieiunii iniuncti in alia pia opera: vel in locis » in quibus ex S. Sedis benignitate dispensatum est super absti» nentia a carnibus, possunt ne iniungere hanc abstinentiam per » tres dies, haud obstante dicta dispensatione, et firmo manente » praecepto ieiunii ecclesiastici?

II. « Episcopi illi in quorum dioecesibus obvenit ut Iubilaei » tempus incidat paschali tempore, possuntne suis fidelibus de» clarare – per Communionem paschalem satisfieri Communioni » ex Iubilaeo iniunctae – ? »

III. « Cum perutile sit ad Fideles disponendos pro acquisi» tione Indulgentiarum Iubilaei Sacras Missiones peragere, et cum » econtra in Dioecesi non habeantur tot Operarii, qui unico Mense » integram Dioecesim percurrere valeant, possuntne iidem Epi» scopi designare varios menses pro locorum varietate suae Dioe» cesis intra annum 1865? »

IV. « In literis apostolicis diei 26 Martii 1860 Summus Pon» tifex Sibi suisque Successoribus reservavit a censuris absolvere

» eos, qui in provinciis Pontificiae Ditionis rebellionem et earum » usurpationem perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fauto- » res, adiutores, consiliarios, adhaerentes, executores, etc. quae- » ritur an ex amplissimis facultatibus quae conceduntur Confessa- » riis occasione S. Iubilaei secundum indicatas literas apostolicas, » diei 8 Decembris 1864, et diei 20 Novembris 1846, sublata sit » dicta reservatio apposita in literis diei 26 Martii 1860. »

S. Poenitentiaria facta praemissorum relatione SSmo D. N. Papae Pio IX. iuxta Eiusdem SSmi Domini mentem respondit.

Ad I. *Per ieiunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfit duplici oneri.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Ex novo Indulto SSmi, affirmative.*

Ad IV. *Negative et recurrendum esse ad locorum Ordinarios, qui providebunt iuxta Instructiones.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 20 Ianuarii 1865.

A. M. Card. Cagiano M. P.

G. Ballarati S. P. Secretarius.

Cum itaque ad primum quaesitum ex novo Indulto SSmi responsum fuisset: per ieiunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfieri duplici oneri, quaesitum ulterius est: an idem Responsum applicari possit etiam in ieiuniis quae locum habent extra Quadragesimam, ita ut per ieiunium praescriptum ex. gr. quatuor anni temporibus vel in Vigilia alicuius Sancti, satisfieri etiam possit ieiunio iniuncto ad lucrandam Iubilaei Indulgentiam.

Facta relatione huius dubii per S. Poenitentiariam SSmo Domino die 28 Aprilis 1865, SSmus benigne indulsit, ut, cum ieiunio praescripto iam ab Ecclesia propter alias rationes, possit satisfieri ieiunio iniuncto pro acquisitione Iubilaei. En verba Rescripti: *Benigne annuit pro gratia adimplendi duplex praeceptum tantum.*

In quo rescripto animadversione est dignum illud adverbium *tantum*, quo indicatur, SSmum non intendisse indulgere pro eiusmodi ieiuniis, lacticiniorum usum, sicuti indulserat tempore Qua-

dragesimae. Quare per ieiunia quae obveniunt tempore Adventus, in Vigiliis etc. satisfieri etiam a quolibet potest iniunctis Iubilaei ieiuniis, attamen lacticinii usus proscribitur. Proindeque si in aliqua Dioecesi necessitas exigeret lacticiniorum usum, Indultum particulare postulandum esset a R. Pontifice, qui ceteroquin per S. Poenitentiariam, intuitu peculiarum rationum, huius generis gratias iam alias concessit (1).

Item alia dubia italice proposita fuerunt quae latine ita vertuntur

I. « An omnia opera iniuncta, vel saltem nonnulla ex ipsis, » peragi debeant in unica ex hebdomadibus in mense praescripto » occurrentibus, vel omnia adimpleri possint quibuslibet mensis » diebus, prouti cuilibet Fideli placeat. »

II. « An in ieiuniis impositis tamquam operibus iniunctis, uti » quis possit privilegio sibi concesso ex Bulla Cruciata. »

III. « An, ad facultates absolvendi quod attinet, aliae limita- » tiones habeantur praeter eas, quae factae sunt in Breve quod » incipit *Arcano* et an possit absolvi ab haeresi exterius prodita, » et cesset obligatio denunciandi haereticos eorumque fautores. »

IV. « An, eveniente iusta causa commutandi opera iniuncta » praescripta in Breve praesentis Iubilaei, eiusmodi commutatio » fieri possit *extra actum sacramentalis confessionis.* »

Sacra Poenitentiaria, propositis dubiis mature perpensis, rescripsit prout sequitur:

Ad I. *Opera iniuncta adimpleri posse intra mensem, excepto ieiunio, quod spatio unius hebdomadis dicti mensis, et diebus praescriptis adimpleri debet.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *In praesenti Iubilaeo non concedi facultatem absolvendi a censuris incursis ab usurpatoribus status Sanctae Sedis, pro quibus recurrendum est ad locorum Ordinarios, qui providebunt iuxta instructiones, ex declaratione SS̃mi Domini Papae Pii IX; ab hae-*

(1) Si in aliqua Dioecesi congruum tempus non suppeteret pro Iubilaei celebratione cum sacris Missionibus vel spiritualibus exercitiis opportune peragenda ad maiorem populi utilitatem, possent locorum Ordinarii a S. Sede impetrare opportunam temporis prorogationem per recursum ad S. Poenitentiariam. Scimus enim eiusmodi prorogationes ad Ordinariorum preces SS̃mum indulsisse, et indulgere.

resi autem posse quidem absolvi, haereticos tamen ac fautores, aliosque, denunciandos esse prout de iure.

Ad IV. *Ex declaratione facta a SSmo Domino Papa Pio IX. affirmative.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 16 Martii 1865.

A. M. Card. Cagiano M. P.

A. Rubini S. P. Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS.

ENCYCLICA AD OMNES EPISCOPOS ADVERSUS MAGNETISMI ABUSUS.

Feria IV. die 30 *Iulii* 1856.

« In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam Emi ac Rmi DD. Cardinales in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generales Inquisitores, mature perpensis iis, quae circa *Magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt, edi praesentes literas encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismi abusus compescendos. »

« Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis, ac seducendis hominibus student neoterici plures rati, posse occulta, remota, ac futura detegi magnetismi arte, vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent. »

« Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur; unde in similibus

casibus decretum est Feria IV. 21 Aprilis 1841 *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros eiusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos, censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit Feria IV. 28 Iulii 1847. « – *Remoto omni errore, sortilegio, explicita, aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res, et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita, et haereticalis.* - »

« Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo in usu, aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes magna cum animarum iactura, ipsiusque civilis societatis detrimento ariolandi, divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi,* et *clarae intuitionis,* uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere, effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi, ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum.»

« Igitur ad tantum nefas, et religioni, et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia, ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos, et avellendos, ut dominicus grex

defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.»

Datum Romae in Cancelleria S. Officii apud Vaticanum die 4 Augusti 1856.

V. Card. Macchi.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

URBIS ET ORBIS

Die 26 *Septembris* 1864.

Decretum. — « Cum non sit aliud Nomen sub caelo, in quo nos oportet salvos fieri, nisi Nomen Iesu in quo est vita, salus, et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, idcirco Sixtus V. fel. rec. Pont. Max. sub die 11 Iulii 1587 in Bulla *Reddituri* Indulgentiam concessit quinquaginta dierum omnibus et singulis Christifidelibus qui quocumque idiomate sic se salutaverint: *Laudetur Iesus Christus:* vel responderint *In saecula,* vel *Amen,* aut *Semper,* plenariam vero in mortis articulo iis qui hanc laudabilem consuetudinem habuerint, modo ore, vel corde (si ore non potuerint) Iesu nomen invocaverint.»

« Nonnullis deinde in locis cum mos invaluisset Iesu Nomini et illud Mariae in se invicem salutando addere, Clemens PP. XIII. ad humillimas preces Generalis Ordinis Carmelitarum, per Decretum die 30 Novembris 1762, benigne impertitus est pro Carmelitis eamdem Indulgentiam quinquaginta dierum quotiescumque in mutua salutatione verba usurpaverint: *Sia lodato Gesù e Maria.*»

« Nunc vero SS̃mus Dominus Noster Pius papa IX. nonnullorum Episcoporum precibus peramanter inclinatus, referente me infrascripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum Cardinali Praefecto in Audientia diei 26 Septembris 1864, ut magis magisque Fideles

*

utriusque Nominis Iesu et Mariae salutares percipiant effectus, et illa quam saepissime in ore et corde retineant, eamdem concessionem ad omnes et singulos Christifideles extendit, ita ut qui se invicem salutando hac forma, in quocumque idiomate, utantur: *Sia lodato Gesù e Maria* (1), vel responderint: *Oggi e sempre* (2), aut similibus verbis, easdem plane Indulgentias, quae in praefata Bulla memorantur, consequi possint et valeant (3). Quam gra-

(1) Laudetur Iesus et Maria.

(2) Hodie et semper.

(3) Inter alios mores in christiana societate invectos qui ex modo cogitandi sentiendique derivarunt, ille etiam continetur, quo Fideles aliis loquendi modis sibi invicem fausta ominarentur, aliisque formulis quam apud Gentes se ad invicem salutarent.

Id testantur etiam salutandi modi qui in variis idiomatibus irrepserunt, quique fuerunt subrogati formulae illi receptae apud latinos *vale* vel *valete*.

Inter eiusmodi salutationis formulas et illa invexit, qua Nomen augustum Christi Iesu laudaretur. Ut mos iste pius promoveretur soliciti fuerunt Romani Pontifices, eum etiam indulgentiis ditando. Id fecit Sixtus V. Benedictus XIII. Clemens XIII. Praestat in medium afferre decretum diei 5 Septembris 1759 quod de huiusmodi indulgentiis concessis et confirmatis agit. « San. Me. Sixtus V. et » Benedictus XIII. universis Christifide- » libus qui se invicem salutantes dixerint » *Sia lodato Gesù Cristo* (laudetur Iesus » Christus) et respondentibus *amen*, aut » *in saecula*, sive italico sive latino, vel » quocumque alio idiomate id expresse- » rint, quoties id egerint, Indulgentiam » quinquaginta dierum, et illis qui San- » ctissimum nomen Iesu et Mariae devote » invocaverint Indulgentiam vigintiquin- » que dierum concesserunt.»

« Iis vero qui praefata agere consueve- » rint, si in articulo mortis constituti et »ore, vel si non potuerint, saltem corde » sanctissimum Nomen Iesu invocaverint, » insuper plenariam indulgentiam adie- » cerunt.»

« Easdem Indulgentias tribuerunt » Praedicatoribus qui inter praedicandum » Auditores hortati fuerint, ut modo su- » pra exposito, Sanctissimum Nomen Iesu » laudantes sese invicem salutent, et ea- » dem Nomina Iesus et Mariae devote in- » vocent, caeterisque omnibus qui hanc » salutationis formam usui esse curave- » rint.»

« Recitantibus tandem Litanias Bea- » tissimae Virginis Mariae bis centum » dies Indulgentiae elargiti sunt.»

« Cum autem Sanctissimo Domino » Nostro Clementi PP. XIII. humillime » supplicatum fuerit, ut omnes, et sin- » gulas Indulgentias supra memoratas, » confirmare dignaretur, Sanctitas Sua » precibus benigne annuens, easdem In- » dulgentias Apostolica auctoritate con- » firmavit.» Datum die 5 Septem. 1759.»

Fr. I. Card. Portocarrero Praef.

A. E. Vicecomes S. Congr. Secret.

Si itaque expediebat, ut eiusmodi pii mores antea promoverentur, maxime hodiernis diebus expedire censendum est. In aetate enim vivimus in qua christiani nominis Osores in id enixe incumbunt, ut civilis societas expolietur illis omnibus christianis usibus, qui sunt quaedam internae fidei manifestationes : et eo tendunt, ut, ex integro, caelesti religione a civili societate expulsa, ac veluti relegata in angulis societatis tenebris obsitis, publice

tiam voluit Sanctitas Sua perpetuo suffragari absque ulla Brevis expeditione.»

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae die 26 Septembris 1864.

Fr. Antonius M. Card. Panebianco Praefectus.

Loco ✠ Signi.

A. Colombo Secretarius.

reviviscant pagani mores, iique dumtaxat in civili consuetudine pretio habeantur.

Notum est, hac agendi ratione, eo iam eiusmodi viros pervenisse, ut nonnulli similes pii usus, quo maxime vigebant, fere obsoleti devenerint, ut erat ille salutandi publice Deiparam Virginem statis horis, detecto capite, angelica recitata salutatione. Et ceteris omissis, hodiernis diebus a pluribus incautis fidelibus dictitatur obliterandas esse, veluti quid incivile, eas mutuas salutationes quibus laetanter, iucundeque, in Paschatis et Nativitatis solemnitatibus, Fideles ad invicem faustos sibi dies ominantur.

Itaque ad normam solicitudinis Sanctae Sedis, nec non Virorum sanctitate illustrium (Beatus Simon de Roxas similes pios usus induxit etiam in aula Philippi III. Hispaniae Regis) bene se gererent illi, maxime qui animarum curae praesunt, si id efficerent, ut ubi tales mores veluti languescentes reperiuntur, consurgant, et reviviscant, ubi permanent promoveantur, ubi extincti fuerint, quantum fieri possit, iterum inducantur.

APPENDIX VII.

CIRCA DISPENSATIONEM IN RADICE MATRIMONII.

In causa *nullitatis Matrimonii* quam supra exposuimus pag. 129 Viri Defensor, qui acriter matrimonii illius validitatem propugnabat, supplex etiam a S. Congregatione petiit, ut alterum apponeretur dubium illi de quo iam Partes litigantes convenerant, eum in finem, ut, si decisio sibi infausta obtigisset, obtinere posset, ex gratia, sanationem Matrimonii in radice. Quare ex hoc supplici libello ita dubia exponi S. Congregationi debuissent:

« An constet de nullitate Matrimonii in casu. »

« Et quatenus affirmative. »

« An consulendum sit SSmo pro » sanatione matrimonii in radice in » casu. »

Ad hanc secundam disputandi formulam proponendam, observabat, usu receptum esse apud S. C. C. ut cum facti species id ferat, duo proponantur dirimenda dubia, hac ratione:

« An constet de nullitate Matri» monii in casu. »

« Et quatenus negative. »

« An consulendum sit SSmo » pro dispensatione super Matrimo» nio rato et non consummato in » casu. »

Itaque ad similitudinem harum formularum, sibi concedi posse Defensor autumabat, alterum apponere disputandum dubium de quo agimus.

Interim vero, in eo supplici libello, conabatur Defensor ostendere, graves in praesenti themate concurrere causas, pro huiusmodi impertienda matrimonii sanatione. Exponebat scilicet Caiae familiam traxisse Titium ad praefatam connubii celebrationem, ipsamque Caiam literis amatoriis vehementer Titium excitasse ad illud contrahendum; adeoque id quod irrite gestum erat, non Titio, sed potius Caiae, eiusque familiae erat adscribendum. Maxime cum neque Caiae mansisset ignotum Episcopi decretum, quo, summaria inquisitione peracta, statim Curia declaravit illius matrimonii nullitatem. Hac enim habita notitia, suam libertatem nunquam vindicare Caia curavit; sed imo ratum habuit quod gestum fuerat. Quare cum post sexennium reclamaverit, eiusmodi reclamationis causa, non aliunde repeti poterat, quam ex alio concepto amore cum alio ditiori viro, cuius nuptias inhiabat.

Hinc licet Caia huic sanationi, matrimonii in radice, impetrandae resisteret; tamen ut obviaretur gravibus publicisque scandalis, nec non viro ex praefatis causis succurrere-

tur, contendebat Defensor, locum in praesenti, themate fieri, huius gratiae concessioni.

Neque obstare subsumebat Defensor, Caiae dissensum, potestati Romani Pontificis, ac si R. Pontifex his in adiunctis dispensare non possit. Contendebat enim Romanum Pontificem posse matrimonium, ex ecclesiastico impedimento, irrite contractum, sanare, quamvis alter ex coniugibus cognito impedimento sanationem repudiet. Ad hoc ostendendum, licet sibi reservasset alteram huius iudicii sedem, nihilominus recitabat doctrinam super hac re expositam a cl. P. Perrone in opere *de Matrimonio Christiano lib.* 2 *sect.* 1 *de Potestate Ecclesiae par.* 4 *art.* 1. qui, defendens non esse necessarium novum consensum ut matrimonium in radice sanetur, in eam sententiam inclinare videtur, quae docet posse Matrimonium in radice sanari quamvis unus coniux, cognita proprii Matrimonii nullitate, sanationi obnitatur.

Hisce itaque propositis precibus S. C. C. eadem die, 5 Decem. 1863, qua causa primo proposita fuerat, censuit respondere: « quoad memoriale *lectum* » (1).

Ex hac responsione iam dignoscere potes eam esse praxim S. Sedis ut saltem non soleat dispensare in radice matrimonii, quando una pars, cognita Matrimonii nullitate, quaerat libertatem et dispensationem repudiet. Non leves enim concurrebant in facto causae, quae hanc sanationem suadebant, nihilominus neque responsione dignae, preces existimatae sunt.

Defensor tamen spe non deiectus, in altera iudicii sede, super quaestione de matrimonii nullitate, iterum in subsidium, sanationem matrimonii in radice postulabat; sed frustra.

Ad dignoscendum ulterius S. Sedis praxim et indolem huius dispensationis, expedit rem paullo amplius declarare.

Scitu digna in primis est doctrina exposita super hac re a Bened. XIV. in aureo opere *de Synodo dioecesana lib.* 13 *c.* 22 *n.* 7. Ibi enim legitur: « Quamvis enim in aliquibus circum- » stantiis concedantur quaedam di- » spensationes, quae dicuntur *in* » *radice matrimonii*, per quas reno- » vandi consensus necessitas tolli- » tur, sicuti auctores docent, et » sicut factum observamus in Apo- » stolicis Clementis XI. literis inci- » pientibus *Apostolicae dignitatis*, » datis die 2 Aprilis 1701 aliisque » Clementis XII. quarum initium est » *Cum dudum*, et quae impressae le-

(1) Usu receptum est apud S. C. C. ut, cum preces exaudiri non mereantur, supplex libellus dimitti soleat clausula *lectum*; hac enim significatur libellum supplicem lectum quidem fuisse, nullaque tamen responsione dignum fuisse repertum. Haec clausula respondet illi de qua supra diximus pag. 144 in nota. Quando enim preces R. Pontifici referuntur et absque favorabili effectu dimittuntur, solet responderi *relatum*, sicuti apud S. C. respondetur *lectum*.

» guntur *n.* 142 §. 3 *tom.* 14 *novi* » *Bullarii;* certum tamen est huius- » modi dispensationes, quibus ma- » trimonium redditur validum, et » proles ex eo genita, legitima nun- » tiatur, absque ulla renovandi con- » sensus necessitate, concedi quidem » aliquando, gravissimis urgentibus » causis et quatenus coniugium ex- » trinsecam speciem habuerit iusti » matrimonii, neque copula fuerit » manifeste fornicaria; sed tunc so- » lum cum impedimentum, propter » quod matrimonium irritum fuit, » nequaquam ortum habuit a iure » divino, vel naturali, sed a lege » dumtaxat ecclesiastica, quam po- » sitivam vocant, et cui Summus » Pontifex derogare potest; *non sane* » *agendo ut matrimonium nulliter con-* » *tractum, non ita contractum fuerit;* » *sed effectus illos de medio tollendo,* » qui ob huiusmodi matrimonii nul- » litatem, ante indultam dispensa- » tionem, ac etiam in ipso contra- » hendi matrimonii actu producti » fuerunt: iuxta Clementinam *Quo-* » *niam De immunitate ecclesiarum.*»

Ex hac doctrina erues concedi eiusmodi sanationem Matrimonii in radice ob urgentes causas, quin exigatur consensus renovatio, quando matrimonium licet ex aliquo impedimento ecclesiastico irritum, habeat tamen extrinsecam speciem iusti matrimonii, neque copula fuerit manifeste fornicaria.

Gravis quaestio ventilata fuit super existentia huius conditionis, ad obtinendam sanationem de qua agimus, in causa *Pragen. Matrimonii* primo proposita die 13 Iulii 1720 et tandem definita die 18 Sept. 1723.

Ad elucidationem huius requisitae conditionis pro obtinenda dispensatione in radice matrimonii, hanc causam per summa capita heic referimus.

Guillelmus supplicavit Clementem XI. pro dispensatione in radice Matrimonii ad effectum legitimandi tres filios tunc superstites quos genuit ex quadam Ludmilla, cum qua ante elapsos annos 40 asserebat Matrimonium cóntraxisse, non tamen coram Parocho; sed coram quodam sacerdote, absque tamen fraude, et intercedente bona fide, cum sibi suppositum fuisset matrimonium futurum esse validum, quia ad se tanquam loci dominum pertinebat ius Parochum praesentandi; et ne sibi obiici posset, vel causam deesse pro hac insigni gratia obtinenda, vel non concurrere ea quae ad dictum effectum sunt necessaria, leges attulit Regni Bohemiae, iuxta quas, recedendo a dispositione textus in capite *Tanta. Qui filii sint legitimi*, legitimati per subsequens matrimonium arcebantur a possessione et haereditate bonorum in dicto regno sitorum, ita ut si dispensationem non obtineret in radice matrimonii, sua bona absque dubio, exclusis propriis filiis, essent ad extraneos deferenda; iidemque filii licet inter nobiles et legitimos usque tunc habiti, iurgiis et inimicitiis remansuri erant obnoxii si iidem deprehenderentur illegi-

mi et ignobiles; et multo magis cum alter eorum matrimonium contraxisset cum nobili muliere a qua etiam liberos habuerat. Quare concludebat Guillelmus in casu concurrere magnam urgentemque causam; prolem susceptam fuisse ex matrimonio putative valido, non ex copula manifeste fornicaria; illudque fuisse nullum ex Ecclesiae lege tantum, et istas esse omnes conditiones quas requirunt Doctores in cap. *Venerabilem, Qui filii sint legitimi,* fuitque perpetua opinio Rotae, uti habetur in *decis. impressis apud Garziam de beneficiis part.* 7 *cap.* 2 *n.* 40 *et seqq. decis.* 1121 *coram Seraphino decis.* 462 *lib.* 2 *in correctis coram Puteo, dec.* 174 *post secundum volumen consiliorum Farinac. et plenissime in decis.* 455 *p.* 1 *rec. decis.* 687 *par.* 2.

Adnotabat insuper, iuxta communem sententiam, hanc dispensationem in radice Matrimonii, indirecte efficere, ut legitimati, capaces fiant successionum, etiam in terris non subiectis in temporalibus S.Sedi. Ex memorata enim dispensatione, abrogatur lex ecclesiastica quae impedimentum induxit, et eadem retrotrahitur ad initium Matrimonii, cum R. Pontifex valeat legem ecclesiasticam irritare et revocare non tantum quoad effectus in posterum secuturos, sed etiam quoad effectus antea secutos iuxta textum in clementina *Quoniam De immunitate ecclesiarum.*

Auditus fuit super hisce Episcopus pro informatione et voto, qui adversus Guillelmum retulit: nullum de facto Matrimonium fuisse a Guillelmo coram Sacerdote contractum, cum nec eius nomen patefaciat, nec testes qui Matrimonio interfuerunt; et Ludmillam semper habitam fuisse pro concubina, ita ut factae fuerint monitiones pro ea dimittenda, aut in uxorem ducenda.

Impugnarunt Defensores Guillelmi, quoad poterant, eiusmodi informationem Episcopi, et proposita causa coram S. Congr. die 13 Iulii 1720 sub dubio « an sit SSmo consilium praestandum pro concessione dispensationis in radice Matrimonii in casu » responsum fuit: *Probationes coadiuventur iuxta instructionem.*

Ad tramites huius rescripti, instructio fuit composita, et Parti consignata, iuxta quam examinandi erant formiter testes deponentes, quod filii semper habiti fuerint pro legitimis, et alter ex eis matrimonium contraxerit cum nobili Muliere, et quod per testes formiter examinandos vel per alia legitima documenta, coadiuvarentur probationes de matrimonio contracto coram Sacerdote, et quod demum Guillelmus et Ludmilla se tanquam coniuges tractaverint, et uti tales habiti fuerint.

Alia itaque deducta fuerunt documenta iuxta hanc instructionem coram S.C. et praefato dubio iterum proposito, S. C. respondit *negative.* Censuit scilicet, ex iis quae noviter deducta fuerant, non constare de coniugio habente extrinsecam spe-

ciem veri matrimonii, et non excludi ex deductis copulam manifeste fornicariam.

Occasione tamen huius secundae instantiae, insinuatum fuit ab altero ex EE. Cardinalibus, non parum esse petitioni profecturum, si notitia haberi posset de genere vitae Guillelmi et Ludmillae, de frequentia Sacramentorum, eo quod inverosimile videbatur, quod iidem christiane vixerint, Sacramenta frequentaverint, et inter eos non praecesserit matrimonium putative validum. Quare nova audientia concessa fuit, et cum probationes porrectae fuissent de laudabili vita Guillelmi et Ludmillae, de Sacramentorum frequentia, de communi fama coniugii inter eosdem initi; et quod notabilius erat, cum Guillelmus, qui dum haec agebantur vitam finiverit, filios in testamento scripserat haeredes, et eos asseruerat legitime procreatos, ex quo ante quadraginta annos cum Ludmilla matrimonium contraxerat coram sacerdote in ecclesia loci Tman, aeternam imprecando damnationem, si aliter res se haberet; et ulterius post peractam confessionem sacramentalem, paucis ante obitum horis, coram Parocho, et aliis probatis testibus adstantibus, et matrimonium bona fide cum Ludmilla coram sacerdote contractum, et tempus iniți matrimonii ante videlicet annos 40 solemniter repetiit, uti Parochus aliique testes deponebant, ita ut sibi imprecaretur, quod si aliter esset, *sua anima salutem consequi non deberet.*

In hac instantiae reproductione observabatur dispensationem in radice matrimonii concedi posse, etiam post mortem alterius ex coniugibus uti late probat Barbosa *voto* 27 *n.* 15 *lib.* 1 et firmavit Rota *decis.* 455 *n.* 11 *part.* 1 *recen.* Quare reproposito dubio « An sit standum vel re- » cedendum a decisis die 16 Ianuarii » 1723 in casu. » Sacra Congregatio respondit die 18 Sept. 1723: *praevio recessu a decisis consulendum Sanctissimum pro dispensatione in radice matrimonii.*

Ex qua causa deprehendes non concedi a S. Sede dispensationem in radice matrimonii, nisi constet matrimonium de facto fuisse contractum, speciemque habuerit veri matrimonii. In hac autem tertia causae instantia, ex novis adductis indiciis, censuit S. C. de eiusmodi requisitis satis in facto constare.

Licet autem haec dispensatio non concedatur quando copula fuerit manifeste fornicaria; item non concedatur quando saltem unus ex coniugibus, ex cognita matrimonii nullitate, suam vindicet libertatem; tamen conceditur in casu quo unus coniux noverit impedimentum, et alter ignoret, etiamsi certo praevideretur quod si alter impedimentum novisset, plenum faceret divortium. Imo etiamsi coniux impedimenti ignarus, nolit cohabitare et divortium quaerat, sive semiplenum, ut evenit quando ob legitimas cau-

sas coniuges separantur citra matrimonii nullitatem; sive etiam plenum ut si quaeratur declarari Matrimonii nullitas ex praesumpto impedimento: tamen si aliquis cui interest, detecto vero impedimento, coniugi vel coniugibus ignoto, imploret hanc dispensationem, concurrentibus gravibus urgentibusque causis, haec dispensatio conceditur.

Celebre est in hac re factum quod contigit sub Pontificatu Benedicti XIV. quodque refertur in *Tenore sententiae* adiecto Constitutioni quae incipit *Etsi matrimonialis*. Mulier Violantes acriter pugnavit pro demonstranda nullitate matrimonii, asserens illud non fuisse contractum coram proprio contrahentium Parocho, et comprobare insuper nitebatur a se, re adhuc integra, fuisse revocatum mandatum quod Procuratori dederat ut matrimonium contraheret. Insistens e contra vir pro validitate matrimonii, sententia tandem emissa, ac confirmata fuit favore Viri, idest pro matrimonii validitate.

Verum, in Viri notitiam deinde devenit quoddam impedimentum consanguinitatis propter quod nullum erat matrimonium. Timens itaque Vir ne scandala orirentur si huius impedimenti notitia ad Mulierem deveniret, impetravit a S. Sede dispensationem matrimonii in radice. Cohaerenter ad haec obtinuit Vir huiusmodi dispensationem. Concessio enim Brevis facta fuit, in quo excludebatur necessitas novi consensus a Muliere praestandi, expositumque in eodem Brevi fuerat, gratiam debere in suo robore permanere, si post eius concessionem notitia impedimenti ad Mulierem devenisset.

Iam vero accidit ut mulier quae iam antea pro nullitate matrimonii propugnaverat, ex hoc alio capite, impedimenti scilicet consanguinitatis detecti, paraverit novam instantiam. Quare in irritum cessa dispensatione in radice matrimonii, iterumque acta lite, Mulier Violantes victoriam pro nullitate Matrimonii retulit. Rationes vero quas R. P. Benedictus XIV. indicavit in confirmanda sententia, hisce verbis continentur. « Ex his evidenter desumitur novae gratiae concessionem (dispensationis in radice Matrimonii) emanasse eo sub praesupposito quod Violantes tempore concessionis ignoraret impedimentum descendens ex duplicitate gradus: et eo fortius cum in eodem Brevi legatur gratiam debere in suo robore permanere, si post eius concessionem, notitia impedimenti ad Violantem devenisset; quae circumstantia evidenter evincit comprobatque gratiam eo sub praesupposito concessam. Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quae a Romanis Pontificibus concedi consuevit urgenti magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente non a iure divino aut naturali, sed a iure ecclesiastico, et per eam non fit ut matri-

» monium nulliter contractum non » ita fuerit contractum, sed effectus » de medio tolluntur qui ob huius- » modi matrimonii nullitatem, ante » indultam dispensationem, atque » etiam in ipso matrimonii contra- » hendi actu producti fuerunt. . . . . » Cumque solius R. Pontificis sit, non » solum dispensationes in radice Ma- » trimonii indulgere, sed etiam con- » ditiones statuere pro validitate » gratiae adimplendas; in ea de qua » nunc agitur, ea *quodammodo* sta- » tuta dici potest conditio, quod » tempore concessionis, Violantes » novum impedimentum ignoraret, » ne ipsa contradicente et obnitente, » prout contigisset si impedimentum » scivisset, concessa dispensatio di- » ceretur: in hoc quippe rerum » themate factum est atque conces- » sum *quidquid fieri aut concedi po- » terat* ut matrimonium cuius vali- » ditas fuerat approbata persisteret; » nec mulieri sublata est facultas » impugnandi ex novo capite va- » liditatem si novi impedimenti » notitiam, tempore concessionis » gratiae novaeque dispensationis, » habuisset, nulla habita considera- » tione notitiae supervenientis post » concessionem Brevis, ea quippe » superveniens, superveniret post » sublatum ope dispensationis dupli- » citatis gradus impedimentum.»

Movent nonnulli scriptores aliam quaestionem, scilicet, an sanari possit auctoritate R. Pontificis matrimonium, quando unus ex coniugibus, cognita matrimonii nullitate, dispensationi obnitatur. Haec quaestio ad hos terminos reduci posse videtur. - An R. P. *directe* ratum habere possit primum illum actum mutui consensus, quo coniugium initum est, ita ut ille primus actus viribus destitutus, vires accipiat ex posteriori hac R. Pontificis ratihabitione, quamvis neque virtualiter, neque praesumptive perseveret, imo retractatus eo tempore fuerit, quo in facultate erat contrahentium illum retractandi. - Hanc quaestionem aliis resolvendam relinquimus utpote quae ad scopum nostrum non pertinet (1).

(1) Quamvis ab exposita quaestione praescindamus, animadvertimus tamen non videri sufficiens ad quaestionem dirimendam factum illud peculiare quod a Bolgenio refertur. Ipse enim enarrat quamdam Mulierem accitam ab Episcopo Falchi, Scipionis Ricci successore in dioecesi pistoriensi et pratensi, atque admonita de nullitate sui coniugii, eo quod nullius fuerit valoris dispensatio, quam iure proprio dederat praedecessor suus super impedimento nullitatis, ipsa renuit consensum renovare. Institit Episcopus meliori qua potuit ratione ut eam induceret ad consensum renovandum; ast perperam. Eam exterruit comminatione poenarum ecclesiasticarum, sed frustra. Cumque Episcopus confugisset pro remedio ad R. P. Pium VI. f. r. enarrat Bolgenius se dedisse consilium R. Pontifici ut illud in radice sanaret, ac refert iuxta suum consilium sanatum fuisse. Huiuscemodi casus, ceteris omissis, non est pluris faciendus quam ipsius Bolgeni auctoritas. Non enim dignoscuntur omnia individua adiuncta huius facti. Una enim vel altera circumstantia quae

Praescindentes itaque ab eiusmodi quaestione, abs re non erit quaerere, in quo sita sit natura et indoles huius dispensationis, prouti eam communiter Doctores intellexisse videntur.

Indolem huius dispensationis quae respicit effectus praeteritos deprehendunt Doctores ex eo quod factum legitur in Clementina *Quoniam De immunitate ecclesiarum*. Bonifacius VIII. nova sanctione prohibuerat ne laica potestas intributiones aliaque onera imponeret super bonis ecclesiasticis et clericorum, ita ut si aliter fieret, tum qui intributiones, exigerent, tum qui darent, excommunicationi ipso facto, et si communitates essent, interdicto subiacerent. Cum itaque ex hac nova sanctione et, ex ea, subsecutis declarationibus, nonnulla scandala, magna pericula, et incommoda gravia sint secuta, et ampliora sequi praesumeretur verosimiliter in futurum, Clemens V. in concilio Vienensi in usum revocans, ea quae circa immunitatem ecclesiasticam statuta iam erant, Constitutionem Bonifacii abrogavit hac ratione «Nos » de consilio Fratrum nostrorum » Constitutionem et Declarationem » seu Declarationes praedictas et » *quidquid ex iis secutum est, vel ob* » *eas, penitus revocamus, et eas haberi* » *volumus pro infectis.*» Ex hac Clementina dispositione qua revocatur Bonifacii Constitutio, et quidquid ex illa secutum erat, ac si Constitutio ipsa non extaret, infert Glossa *verbo: pro infectis:* « per hoc puto quod » excommunicatus ex viribus illius » Constitutionis (Bonifacii) absolu- » tione non egeat. Et vide quanta » est Papalis potestas circa ea quae » simpliciter sunt de iure positivo, » quia *revocat illa ut ex tunc.*»

Ad normam itaque huius revocantis Constitutionis, Auctores concipiunt eam revocationem, quae locum habet quando in radice matrimonii dispensatio conceditur; revocat nimirum hac dispensatione R. Pontifex, in singularibus casibus, legem canonicam impedimenti *uti ex tunc*, veluti si tempore initi matrimonii lex prohibens non extaret, ita ut quidquid ex ea secutum est, vel ob eam, quod subsit Ecclesiae potestati, pro infecto haberi debeat.

Quare matrimonium in praesenti vires accipit per huiusmodi legis revocationem, qua subtrahitur id quod impedimento erat ut consisteret, illudque consideratur veluti ab initio validum, proindeque omnes effectus iuridici qui ex lege prohibente prodierunt ex sese ita coram lege disparent, ac si nunquam extiterint; indirecte scilicet irritantur.

Differentia autem quae habetur inter revocationem factam per Cle-

praetermittitur, interdum efficit ut casus novam induat speciem quam ex sese non habeat. Et in re praesenti, neque is auctor est Bolgenius qui tum circa factum enarratum, quod publici iuris ipse non fecit, sed in suis manuscriptis absconditum mansit, tum etiam circa doctrinam, plenam fidem mereatur.

mentinam *De imm.*, et revocationem, quae fit cum dispensatur in radice matrimonii, in eo esse videtur, quod per revocationem ex Clementina indirecte omnes effectus praeteriti ex lege vel ob legem producti, rescissi sunt, quin aliquid novi exinde consurgeret, in revocatione autem impedimenti matrimonii, non solum effectus praeteriti indirecte irritantur, sed exinde reviviscit, natura sua, matrimonialis contractus, dummodo tamen omnia requisita ex iure naturae habeantur, quibus reviviscere possit.

Eiusmodi autem requisita iuris naturae sunt, primum ut matrimonium sit per mutuum consensum contractum; solo enim consensu iure naturae contrahitur matrimonium; alterum (saltem iuxta praesentem modum concipiendi hanc dispensationem) ut status matrimonialis inductus vi prioris consensus perseveret. Quibus extantibus conditionibus, revocato eo quod impedimento erat, matrimonium actu consistit, iuxta terminos iuris naturae.

Quare, secundum expositam indolem huius dispensationis, intelliges cur S. Sedes non dispensat in radice matrimonii cum iis, qui tantum fornicarie vivunt, inter quos nec species habetur veri matrimonii. Deest enim prima ac praecipua conditio sine qua matrimonium consistere non potest. Proinde iis non aliud remedium suppetit, si velint filios legitimare, quam matrimonium contrahere, per quem contractum posteriorem, proles antea genita dicitur legitimata per subsequens matrimonium.

Ex iis pariter intelliges cur S. Sedes non dispenset quando unus coniux dispensationi obnitatur suam quaerens libertatem. Ex hac enim consensus revocatione cessat matrimonialis status ex vi prioris consensus inductus; proindeque deest secunda conditio.

Ex dictis denique intelliges non requiri novum consensum ut matrimonium consistat cum in radice dispensatur. Sufficit enim consensus naturalis ab initio praestitus, per quem matrimonium validum fuisset, nisi lex canonica restitisset, ita tamen ut eo in statu perseverent coniuges, qui ex eo initio sit inductus (quocumque animo sint comparati si matrimonii nullitatem detegerent) *sive* putent se in vero matrimonio convivere, *sive*, ea nullitate cognita, quaerant dispensationem, ut in eo matrimonii statu bona fide contracti permaneant.

Itaque per huiusmodi dispensationem *directe* revocatur lex prohibens, *indirecte* duo praecipui effectus regulariter derivant, primus est matrimonii validitas quae actu consurgit, ex vi naturalis consensus ab initio praestiti ob quem status matrimonialis perseverat: secundus est legitimatio prolis ex eo inito matrimonio progenitae.

Dixi regulariter, nam dari potest casus in quo unus vel alter effectus, locum habere non possit, ex materiae defectu. Sic si proles non

haberetur, deesset legitimationis effectus ; item si haec dispensatio petita ante vitam coniugum, obveniat post coniugis alicuius mortem, validitas matrimonii actu consurgere non posset, attamen, hoc in casu, cum lex prohibens revocetur, *uti ex tunc* omnes alios effectus producit, quos producere potest; cuiusmodi est legitimatio filiorum, quorum parentes coram lege considerantur ac si veri fuissent coniuges.

Iuverit haec quae exposuimus ulterius illustrare S. Romanae Rotae doctrina. In decisione 455 *recent.* part. I haec habentur: « Po-» test Papa sine dubio removere tale » impedimentum iuris tantum cano-» nici, et dispensare in radice matri-» monii illudque approbando *prout* » *ex tunc* ut Doctores dicunt, perin-» de ac si matrimonium ab initio » validum intervenisset secundum » receptissimam opinionem Io. An-» dr. etc. et pro hac ponderabatur » *text. iuxta gl. in Clementina unic.* » *De immunit. eccles.....*»

Contendens insuper S. Rota novum consensum non esse necessarium ut matrimonium vires accipiat, subdit « ratio est quia Papa dispen-» sando, quod coniuges possint re-» manere in matrimonio nulliter con-» tracto, dicitur in necessarium an-» tecedens (idest in vim consensus » antecedenter praestiti, in initio » matrimonii) illud approbare, et » confirmare, et quod non sit in hoc » casu necessarius novus consensus; » sed sufficit naturalis (qui aliquo » modo perseveret; de hac enim re » non fiebat quaestio) ab initio prae-» stitus... et confirmatur quia etiam » post mortem alterius ex coniugi-» bus, et quando non potest sub-» sequi novus consensus, potest ap-» probari matrimonium in radice, si » dispensatio fuit petita, eorum vita » durante.»

Item in *decis.* 607 *part.* 2 *recent.* » quae comprobantur, quia si in » casu nostro opus esset, novo con-» sensu ad validitatem primi matri-» monii contracti de facto, illud va-» lidaretur *ex novo consensu non vero* » *ex primo*, et sic non daretur dispen-» satio in radice. . . Nullitas enim » istius primi matrimonii procedens » ex prohibitione canonica *non ope-» ratur mutationem animi voluntatis* » *et mutui consensus ab initio per con-» trahentes praestiti*, sed influit in » actum, nempe matrimonium pro-» ducendum *a tali consensu* illud im-» pediendo *ne producatur ;* unde » dicta prohibitione semota de me-» dio, *remanet ille primus consensus* » quoad sui essentiam integer et ha-» bilis ad talem productionem.

ANIMADVERSIO.

Iam Lectores humanissimi qui communi favore hanc ephemeridem exceperunt, dignoscere propria experientia possunt methodum quam in programmate sequi adpromissimus. Hanc autem methodum prae caeteris elegimus, ut planior et utilior redderetur causarum quae referuntur intellectio.

Ad obtinendum itaque hunc praestitutum scopum, praeter synopticam Facti Iurisque expositionem, adiungere etiam solemus quoddam veluti *Summarium* continens nonnulla principia sive practica sive theoretica. Haec autem plerumque desumuntur ex iis iuris capitibus quae in disceptatione synoptica exposita reperiuntur et veriora putamus; interdum vero ex facti enarratione et respectiva quaestionis resolutione existimamus ea posse deduci.

Eiusmodi autem theoremata quaecumque ea sint, et rationes quas forsan indicamus ad maiorem rei elucidationem, nemo existimare debet esse doctrinam authenticam a SS. Congregationibus traditam. Sacrae enim Congregationes in causis iudicandis rationes decidendi, quamvis habeant sapientissimas, tradere non solent. Respondent enim authentice dubiis et quaestionibus, post maturam discussionem, quin rationes, ob quas decisio emissa est, manifestent.

Quare ea omnia doctrinae capita exposita, quae praeter Resolutiones referimus, tantum valorem sibi vindicant, quantum rationes quibus innituntur, quae persaepe sunt gravissimae.

Haec in notitiam eorum ulterius deducere curavimus, qui, in praxi SS. Congregationum, non sunt versati.

IMPRIMATUR
Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXV SEPTEMBRIS MDCCCLXV.

VENERABILES FRATRES

« Multiplices inter machinationes artesque, quibus Christiani nominis hostes adoriri Ecclesiam Dei, eamque irrito licet conatu labefactare, atque excindere ausi sunt, recensenda procul dubio est, Venerabiles Fratres, perversa illa hominum societas, quae *Massonica* vulgo nuncupatur, quaeque in latebris primum, tenebrisque coacta in communem exinde perniciem religionis, humanaeque societatis erupit. Cuius insidias ac fraudes ubi primum detexerunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, pastoralis officii memores, nihil morae interponendum existimarunt, quominus sectam illam scelus anhelantem, multa ac nefaria rei sacrae et publicae molientem auctoritate sua coercerent, ac damnationis sententia tamquam iaculo confoderent et profligarent. Enimvero Clemens XII Praedecessor Noster Apostolicis suis Litteris eamdem sectam proscripsit reprobavit, ac fideles universos ab illa nedum incunda, sed vero etiam quovis modo promovenda iuvandaque deterruit, indicta excommunicationis poena ipso facto incurrenda, et per Romanum dumtaxat Pontificem relaxanda. Quam porro iustam ac debitam damnationis sententiam Benedictus XIV edita Constitutione confirmavit, summosque Catholicos Principes haud excitare praetermisit, ut ad convellendam perditissimam sectam, et a communi periculo propulsandam vires

omnes curasque conferrent. Atque utinam supremi iidem Principes Decessoris Nostri vocibus aures praebuissent; utinam in causa tam gravi non remissius egissent, nunquam certe fuissent deplorandi nostra patrumque memoria tanti seditionum motus, tanta bellorum incendia, quibus Europa universa conflagravit, tanta denique malorum acerbitas, quibus afflictata est, atque adhuc afflictatur Ecclesia. Iamvero quum improborum furor minime conquiesceret, recens ortam *Carbonariorum* sectam in Italia praesertim longe lateque propagatam Pius VII Praecessor Noster anathemate perculit, parique incensus animarum studio Leo XII tum superiores quas memoravimus clandestinas societates, tum quascumque alias quovis tandem nomine appellatas, quae contra Ecclesiam, civilemque potestatem conspirarent, Apostolicis suis Litteris condemnavit, atque universis fidelibus sub gravissima excommunicationis poena prohibuit. Attamen impensa haec Apostolicae Sedis studia haud illum habuerunt exitum, qui fuisset expectandus. Neque enim domita, et cohibita unquam est *Massonica* haec, de qua loquimur, secta, verum ita longe lateque diffusa, ut difficillimo hoc tempore ubicumque gentium impune se iactet, atque audacius efferatur. Quam rem inde Nos repetendam magna ex parte existimamus, quod plerisque ignorantia fortasse iniquorum consiliorum, quae in clandestinis iis coetibus agitantur, falsa insederit opinio innoxium hoc esse societatis genus, atque institutum, quod in adiuvandis hominibus, eorumque relevandis aerumnis unice versetur; nihil proinde contra Ecclesiam Dei ex illo esse pertimescendum. Id vero quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Quid enim sibi vult illa hominum cooptatio cuiuscumque tandem religionis et fidei sint? Quid illa sibi volunt clandestina conventicula, quid severissimum iusiurandum ab iis prolatum, qui huic sectae initiantur, nunquam se quidquam patefacturos, quod pertinere ad illam possit? Quo tandem spectat inaudita poenarum atrocitas, quibus se devovent, si forte a iuramenti fide desciscant? Impia certe quidem ac nefaria ea societas sit oportet, quae diem lucemque tantopere reformidat; qui enim male agit, ut scripsit Apostolus, odit lucem. Iamvero quam longe dissimiles ab hac dicendae sunt piae fidelium Societates, quae in Catholica Ecclesia florescunt. Nihil in eis retrusum atque abditum,

patent omnibus leges, quibus reguntur, patent quae iuxta Evangelii doctrinam exercentur opera charitatis. Atqui Catholicas huiusmodi Sodalitates tam salutares, tam excitandae pietati, recreandisque pauperibus opportunas oppugnari alicubi, et vero etiam deleri non sine dolore videmus, dum contra fovetur, vel saltem toleratur tenebricosa *Massonica* societas tam Ecclesiae Dei inimica, tam periculosa etiam securitati regnorum! Illud vero graviter Nos et acerbe ferimus, Venerabiles Fratres, quod in huiusmodi reprobanda secta iuxta Decessorum Nostrorum Constitutiones, segnes nonnullos esse, et quasi indormientes videamus, quos in re tam gravi commissi muneris et officii ratio excitatissimos poscit. Quod si qui in hac opinione versantur, Apostolicas Constitutiones contra occultas sectas, earumque asseclas et fautores sub poena anathematis editas, nullam habere vim iis in regionibus, ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur, ii certe vehementer errant; ac Nos pravae huius doctrinae commentum alias, ut scitis, Venerabiles Fratres, reprobavimus, iterumque hodierno die reprobamus et condemnamus. Numquid enim suprema illa pascendi regendique universi dominici gregis potestas, quam in persona Beatissimi Petri a Christo Domino acceperunt Romani Pontifices, ac supremum inde quod exercere in Ecclesia debent, magisterium, a civili pendeat potestate, aut aliqua ratione coerceri ab illa possit et coarctari? Quae cum ita sint, ne minus cauti homines, iuvenesque in primis decipiantur, ac ne ex Nostro silentio aliqua tuendi erroris arripiatur occasio, Apostolicam attollere vocem decrevimus, Venerabiles Fratres; atque hic in consessu Vestro memoratas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones confirmantes, *Massonicam* illam, aliasque eiusdem generis Societates quae specie tenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinentur, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus et condemnamus, atque ab omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis gradus ac dignitatis, et ubicumque terrarum sint, tamquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus sub iisdem poenis, quae in memoratis Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus continentur. Nunc, quod reliquum est, pro paterni animi Nostri studio monemus et excitamus fideles, qui

forte eiusmodi sectis nomen dederint, ut ad saniora se consilia recipiant, funestosque illos coetus et conventicula deserant, ne in sempiternae ruinae baratrum prolabantur; reliquos vero fideles omnes, pro sollicita qua urgemur animarum cura, vehementer hortamur, ut a dolosis sectariorum labiis caveant, qui quamdam honesti speciem praeseferentes contra Christi religionem et legitimos principatus inflammato odio feruntur, idque unum spectant atque agunt, ut iura quaeque tam divina quam humana pessumdent. Noverint, hos sectarum gregales tamquam lupos esse, quos ovium pelle contectos ad exitium gregis venturos praedixit Christus Dominus; noverint in eorum numero esse habendos a quorum consuetudine, congressuque sic nobis interdixit Apostolus, ut nec ave illis dicere diserte praeceperit. Faxit nostrum omnium precibus exoratus dives in misericordia Deus, ut auxiliante gratia sua redeant insipientes ad cor, errantesque in viam iustitiae reducantur; faxit ut compresso perditorum hominum furore, qui per supra memoratos coetus impia, ac nefaria moliuntur, a tam multis, tamque inveteratis malis recreari aliquando tum Ecclesia tum humana societas possit. Quae ut Nobis ex votis succedant deprecatricem apud clementissimum Deum adhibeamus Sanctissimam Virginem Dei ipsius matrem ab origine immaculatam, cui datum est Ecclesiae hostes, atque errorum monstra confringere; nec non patrocinium imploremus Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum glorioso cruore Alma haec Urbs consecrata est. Horum ope atque auxilio, quod a divina bonitate flagitamus, facilius Nos assecuturos confidimus.»

In eodem secreto Consistorio SS̃mus Dominus Noster, allocutione praehabita, ecclesiarum sequentium regimini per subscriptas Personarum nominationes, consuluit.

Ecclesiae cathedrali Segobricensi in Hispania, per R̃mum Ioachim Hernandez y Herrero, translatum ex episcopali sede Pacensi.

Ecclesiae cathedrali Namurcensi in Belgio, per R. P. Victorem Augustum Isidorum Dechamps, Sacerdotem ex dioecesi Gandavensi, iam Provincialem Congregationis SS̃mi Redemptoris et in S. Theologia doctorem.

Ecclesiae cathedrali Olindensi in Brasilia, per R. D. Emmanuelem do Rego de Medeiros, sacerdotem ex dioecesi Fortalixiensi, alumnum collegii Americani-latini in Urbe, et in canonico iure doctorem.

Ecclesiae cathedrali Armenopolitanae, seu Szamos-Ujvariensi, ritus Graeci-uniti in Transylvania, per R. D. Ioannem Vancsa, sacerdotem ex dioecesi Magni Varadini, primum Inspectorem in illis dioecesanis scholis, Canonicum-Cantorem in eadem cathedrali, et doctorem in S. Theologia.

Ecclesiae cathedrali Cauriensi in Hispania, per R. D. Stephanum Iosephum Perez Fernandez, sacerdotem ex archidioecesi Granatensi, decanum in eodem metropolitano capitulo, et doctorem in S. Theologia.

Ecclesiis cathedralibus canonice unitis Calaguritanensi, et Calceatensi in Hispania, per R. D. Fabianum et Sebastianum Arenzana, sacerdotem Calaguritanensem, cantoris dignitatem obtinentem in capitulo metropolitano Toletano, in eadem metropolitana ecclesia Vicarium generalem.

Ecclesiae cathedrali Pacensi in Hispania, per R. D. Ferdinandum Ramirez y Vazquez, sacerdotem ex dioecesi Pacensi, in S. Theologia Professorem in episcopali seminario, canonicum lectoralem in eodem capitulo, examinatorem synodalem.

Ecclesiae cathedrali S. Iacobi Capitis-Viridis, per R. D. Iosephum Aloysium Alves Feijò, Ordinis SS̃mae Trinitatis, sacer-

dotem ex dioecesi Brigantiensi, canonicum-cantorem in eo cathedrali capitulo, Vicarium generalem eiusdem dioecesis.

Ecclesiae cathedrali Goyasensi in Brasilia, per R. D. Ioachim Gonçalves de Azevedo, sacerdotem ex dioecesi Belemcensi de Parà, archidiaconum in eo cathedrali capitulo, et Vicarium generalem ipsius dioecesis.

Ecclesiae episcopali Cydoniensi in partibus infidelium, per R. P. Fr. Iosephum Yerovi, Ordinis S. Francisci sacerdotem ex archidioecesi Quitensi, iam Vicarium capitularem Guayaquilensem, doctorem in utroque iure, deputatum coadiutorem cum futura successione Archiepiscopi Quitensis Iosephi Mariae Riofrio.

Ecclesiae episcopali Limyrensi in partibus infidelium, per R. D. Emmanuelem Ulloa, sacerdotem ex Nicaragua, iam curae animarum addictum in variis paroeciis illius dioecesis, et deputatum coadiutorem cum futura successione Episcopi Nicaraguae Bernardi Piñol.

Ecclesiae cathedrali Sinnensi in partibus infidelium, per Rm̃um Iosephum Durguth Praelatum domesticum Sanctitatis Suae, sacerdotem ex Archidioecesi Strigoniensi, Archidiaconum in eo metropolitano capitulo, Vicarium generalem eiusdem Archidioecesis, doctorem in S. Theologia, deputatum auxiliarem Em̃i et Rm̃i Cardinalis Ioannis Scitowszky Archiepiscopi Strigoniensis.

Ecclesiae episcopali Europensi in partibus infidelium, per R. D. Ioannem Nepomuceno Amberg, sacerdotem ex dioecesi Brixinensi, Praepositum cum praerogativa Protonotarii Apostolici in eo cathedrali capitulo, Rectorem illius seminarii, Praesidem causarum matrimonialium etc.

Post haec SSm̃us Pater notificavit sequentes electiones per Breve Pontificium peractas, nempe:

Coadiutoriam cum futura successione ecclesiae metropolitanae S. Fidei in Nova Granata, collatam Episcopo Maximopolitano in partibus infidelium Vincentio Arbelaes iam Vicario Apostolico S. Marthae.

Ecclesiam cathedralem Neo-Pampilonensem in Nova Granata R. D. Bonifacio Toscano collatam.

Similiter publicavit electiones iam confectas a postremo usque ad hodiernum Consistorium per S. Congregationem de Propaganda Fide, nempe:

Ecclesiam archiepiscopalem Tarsensem in partibus infidelium, collatam Rm̃o Arsenio Angiarakian ex monachis Armenis a S. Antonio, iam Archiepiscopo Tokatensi, Armeni ritus.

Ecclesiam Metropolitanam Westmonasteriensem in Anglia Rm̃o Henrico Edoardo Manning, Sanctitatis Suae Protonotario Apostolico supranumerario, et Praeposito eiusdem metropolitanae ecclesiae.

Ecclesiam Bulgarorum unitorum collatam Rm̃o Episcopo Raphaeli Popov, administratori Apostolico deputato.

Ecclesiam cathedralem Clogheriensem in Hibernia R. D. Jacopo Donnely collatam, iam Parocho in ea dioecesi.

Ecclesiam Cathedralem Nashvillensem in Statibus unitis Americae R. D. Patritio Feehan sacerdoti Hibernensi collatam.

Ecclesiam cathedralem Lodovicopolitanam in Statibus unitis Americae R. D. Petro Lavialle Gallico collatam, Superiori illius seminarii dioecesani, ibique Rectori collegii S. Mariae.

Ecclesiam cathedralem Albanensem in Statibus unitis Americae, R. D. Ioanni Conroy, iam Vicario generali, et praesenti administratori illius dioecesis, collatam.

Ecclesiam Karputhensem Armeni ritus recens erectae in cathedralem a Sanctitate Sua, R. D. Stephano Israeliam collatam.

Ecclesiam episcopalem Agatopolitanam in partibus infidelium R. P. Ludovico Bel ex Congregatione Missionis, Vicario Apostolico deputato Abissiniae.

Ecclesiam episcopalem Amoriensem in partibus infidelium R. P. Ioanni Baptistae Swinkels collatam Congregationis SS̃mi Redemptoris, Vicario Apostolico deputato in Surinam.

Ecclesiam episcopalem Sarrettensem in partibus infidelium R. D. Nicolao Power collatam, Vicario generali et Parocho Laonensi deputato coadiutori Rm̃i Michaelis Flannery, Episcopi Laonensis in Hibernia.

Denique Advocato consistoriali qui, petiit a SS̃mo Patre sacrum Pallium pro metropolitana ecclesia Westmonasteriensi, SS̃mus dignatus est respondere: *dabimus propediem.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

DUBIA INDULTORUM.

Die 6 Maii 1820. *Sess. 22 c. 9 et sess, 24 c. 12 de Reform.*

Quamvis haec causa paullo vetustior sit, tamen cum plura dubia in ea soluta reperiantur, quae ordinariam normam statuunt qua S. Congregatio Concilii dirigitur in Indultorum concessione pro legitima absentia a choro, eam non praeterire existimavimus.

Compendium facti. Ut Basilicarum, et Collegiatarum Urbis, frequentiori servitio, divinique cultus splendori prospiceretur, Innocentius XII. f. r. particularem Congregationem deputavit, quae, ad examen revocatis omnibus indultis, sive ratione munerum, sive studiorum causa concessis pro exemptione a chorali servitio, *moderationes*, *reformationes*, ac etiam *revocationes*, quae opportunae visae fuissent, proponeret.

Re mature perpensa quid censuerit S. illa Congregatio ex quinque S. R. E. Cardinalibus, et quatuor Praesulibus composita, patet ex sequenti decreto diei 2 Maii 1693.

« Censuit, si SSmo D. N. placuerit, Indulta quoad Nuncios » Apostolicos, nec non intimos, et eidem SSmo actu inservientes » familiares, ac sub Datarium, et Camerae Apostolicae Com- » missarium non esse immutanda. »

« Quoad Gubernatores, et Vicelegatos provinciarum, civi- » tatum, et locorum Status ecclesiastici, qui, durante absentia, » nunquam possunt ecclesiis interesse, nec non Procuratorem » generalem montium, ac Familiares S. R. E. Cardinalium, firmo » tamen quoad eorumdem Cardinalium Caudatarios remanente » decreto moderatorio Sac. Congregationis EE. CC. S. Concilii » Tridentini Interpretum die 19 Augusti 1690 edito, esse re- » vocanda; et expedire quod in posterum non concedantur. »

« Indultum inservienti Secretariae Congregationis EE. Cardi- » nalium consultationibus negociorum ditionis temporalis eiusdem » S. R. E. praepositorum concessum, esse reformandum, et in » posterum restringendum ad illos dies, et horas dumtaxat,

» quibus ratione huius servitii actualiter praestandi impeditus » fuerit, eius conscientia desuper strictissime onerata.»

« Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec » aliter, pro lucrandis distributionibus quotidianis, esse conce- » denda, quam pro ecclesiis, quarum reditus consistunt vel in » solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributioni- » bus una cum aliquibus fructibus tenuis praebendae, dempta » tamen tertia parte, quae inservientibus accrescat, nec pari- » ter concedenda ultra triennium, nec maioribus vigintiquinque » annis, quin imo huiusmodi aetate vigintiquinque annorum exple- » ta, eadem Indulta, licet idem triennium adhuc completum non » fuerit, expirare.»

« Omnes denique habentes Indulta pro singulis diebus, et » horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu offi- » ciis actualiter praestandi, impediti fuerint, adhuc esse pun- » ctandos toties, quoties Ecclesiae, seu Choro non interfuerint, » sed in qualibet hebdomada huiusmodi puncta posse, et debere » deleri, seu tolli, pro illis tantum diebus, et horis, quibus In- » dultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorumdem » munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, et » circa huiusmodi impedimentorum relevantiam iudicio proprii » Vicarii cuiuslibet ecclesiae. In ecclesiis vero, ubi non adest » huiusmodi Vicarius, iudicio dignioris Canonici esse deferendum.»

Facta praedictarum Resolutionum S. Pontifici relatione die 8 eiusdem mensis et anni, ita eas approbavit – *Sanctitas Sua illas probavit, et, a die prima Iunii proxime venturi, mandavit inviolabiliter observari; Indultis tam a se, quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis, quomodolibet concessis, et aliis contrariis quibuscumque non obstantibus, quibus pro observatione praemissorum amplissime derogavit.* –

Quod in rebus humanis (ita *ex officio* subiungebatur) saepe saepius contingit, ut quae olim sapienti consilio constituta sunt, volventibus annis, vel sensim relaxentur, vel etiam, mutatis temporum circumstantiis, minus apta videantur, id etiam visum est SS̃mo D. N., ita ut exemptiones a chorali servitio aliqua novae Supremae auctoritatis providentia indigerent. Hinc suorum Praedecessorum, ut in caeteris, in hoc etiam aemulatus religionem, et gloriam per R. P. D. Auditorem suum in man-

datis ita dedit. « Sanctitas sua vult ut in examen revocentur » omnia Indulta, ut inde *confirmentur*, *revocentur*, vel *reformentur* iuxta regulas tunc statutas, et constanter postea adhibitas, et executas a S. Congregatione Concilii. Necessarium » tamen non putat, ut deputetur alia particularis Congregatio, » sed existimat, ut ipsa Congregatio Concilii, ideo quia bene » noscit normas quae moderari debent Indulta et constanter » eas executa est, debeat ipsamet in examen ea (Indulta) revocare, et proponere eidem Sanctitati Suae, quaenam confirmari deberent, quaenam revocari, quaenam corrigi iuxta » easdem normas » (1).

Rogati itaque fuerunt Emi Archipresbyteri ac Titulares, ut de singulis eorum ecclesiarum indultariis referrent, ipsaque Indulta remitterent, ex quorum accurato examine deprompta fuerunt dubia, quae inferius proponuntur.

Disceptatio synoptica.

Proponebatur EE. Patribus, *ex officio* constans praxis quam secuta est S. Congregatio Concilii ad normam iuris in huiusmodi Indultis concedendis.

Observabatur nimirum Indulta abessendi a chori servitio sive *pro diebus* et *horis* ratione munerum, sive ad certum tempus valetudinis tuendae causa, semper concessa fuisse, prouti testantur S. Congregationis Resolutiones. Idque a iure non abhorrere; neminem enim latet iuris canonici dispositio in *Cap. unic. De cleric. non resid. in* 6 ubi Bonifacius VIII. post vetitas Clericis residentibus, sed divinis officiis non interessentibus, quotidianas distributiones, illos ab hac prohibitione excepit – *quos infirmitas,*

(1) Ita expressa erat italice haec R. Pontificis voluntas cuius dedimus latinam versionem. « Sua Santità vuole, che si richiamino ad esame tutti gli Indulti, perchè » siano quindi confermati, revocati, o riformati secondo le regole allora stabilite, e costantemente poi adottate, ed » eseguite dalla S. Congregazione del Concilio. Non crede però necessario deputare altra Congregazione particolare, ma » crede che la stessa Congregazione del » Concilio, appunto perchè ben conosce » le norme, che devono regolare gli Indulti, e le ha costantemente eseguite, » debba Ella medesima richiamarli ad » esame, e proporre alla stessa Santità » Sua, quali dovrebbero confermarsi, » quali revocarsi, e quali rettificarsi secondo le stesse norme. »

seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret – quod confirmavit S. Tridentina Synodus in *sess.* 24 *c.* 12 *de Ref.* Haec quidem circa quotidianas distributiones. Sed praeter has observabatur, dari etiam alias distributiones quae dicuntur *inter praesentes* et melius dici possent extraordinariae, eventuales, et incertae, quaeque distinctae a communi massa, et praebenda, praesentibus tantum praestari solent, sive ex peculiari statuto, aut consuetudine cuiuslibet Ecclesiae, sive ex expressa Benefactorum voluntate. Quas distributiones non percipere absentes a choro, etiam ex iusta causa vel etiam ex Apostolico Indulto docent Scarfan. ad Ceccoper. *lib.* 2 *tit.* 10 *n.* 1. Piton. *discept.* 1 *per totum.* Fagnan. *in cap. licet de praeb. n.* 20, Benedict. XIV. *Inst.* 107 *n.* 58 *et seqq.* Sacra Congregatio *in Bosanen. Visitationis SS. Liminum die* 6 *Februarii* 1734, *et in Anagnina servitii chori et distributionum* 20 *Novembris* 1819.

Quin imo, subiungebatur, etiam in casu Apostolici Indulti cum facultate percipiendi quascumque distributiones quotidianas, ordinarias, et extraordinarias, quas percipiunt personaliter residentes, firma semper sententia, censuisse S. Congregationem, ut exclusae remanerent eae distributiones, quae, ex Fundatorum voluntate, inter praesentes dividi debent; ita in *Leodien. Indulti* 10 *Iulii* 1717, et etiam in casu in quo ageretur de Canonico cum Indulto Iubilationis, ut in *Novarien. Iubilationis die* 2 *Octobris* 1617 et in *Bituntina Anniversariorum die* 1 *Iulii* 1679. Imo etiam in casu amplissimi Indulti Canonico concessi, infirmitatis causa, ut in *Romana Iurium Canonicalium die* 5 *Maii* 1703 *et* 27 *Iunii* 1705.

Adnotabatur insuper plurimum differre simplex Indultum non interveniendi choro certis diebus, et horis, quod facile conceditur ratione munerum, ab altero Indulto non residendi in loco Beneficii, de quo late tractant Fagnan. *in cap. Licet De praeb. n.* 11, et Reiffenst. in *Ius can. tit.* 4 *De cleric. non resid. per tot.* quod difficilius conceditur, et nonnisi ad breve tempus, et arctioribus cohibitum clausulis. In primo enim casu canonicus seu beneficiatus aliquod servitium ecclesiae suae praestare potest, ac debet iis diebus et horis, in quibus non impeditur a munere; in altero vero casu nunquam ad ecclesiam accedere potest is, qui longe a residentia abest. Hinc in superius relato decreto

iussu Innocentii XII. edito, statuitur, revocanda esse iam concessa, et in posterum non concedenda Indulta quoad Gubernatores, et Vice-legatos, qui temporali ecclesiastici Status servitio mancipati sunt, et confirmanda iussit Indulta quoad *Nuncios* tantum, in quibus sine ulla dubitatione verificatur legitima causa utilitatis Ecclesiae, de qua meminit Bonifacius VIII. in capite supra relato (1).

Nec praetermittebatur observatio illa secundum quam S. Congregatio constanter Indultum pro absentia a residentia concessit ob maxime laudabile munus annuntiandi verbi Dei in Quadragesima et Adventu, in quibus tamen semper adiecta est clausula *amissis distributionibus*, si tertiam partem praebendae aequent, vel amissa tertia parte tum praebendae tum distributionum simul cumulatarum si aliter.

Lectores, qui in publicis Universitatibus S. Theologiam docent, Indulto donari statutum est in *cap. Super Specula* 5. *De Magistris*, ubi Glossa haec addit: *non tamen percipiunt quotidianas distributiones, quae tantum residentibus dari consueverunt.* Hanc iuris Canonici regulam semper sectatam esse, dicebatur, S. Congregationem, et novissime Indultum concessisse cuidam Archipresbytero, ut theologiam in dioecesano Seminario Feretrano doceret, pro solis horis matutinis, et diebus in quibus haberentur lectiones, et ad triennium *amissis distributionibus* favore inservientium. *Feretrana Indulti* 12 *Iulii* 1817.

Post haec inquirebatur, an pari indulgentia donandi essent, qui aut in Urbe ad excipiendas Christifidelium Confessiones, aliaque exequenda pietatis opera, vel etiam extra Urbem ad sacras peragendas Missiones, laudabili pietate, et summo animarum lucro occupantur, quique in hisce piis operibus *(non tamen necessariis)* tempus insumunt, quo deberent divinis officiis in choro vacare. Et circa huiusmodi quaesitum observabatur nullum de hisce casibus inveniri potuisse exemplum exemptionis in S. Con-

(1) Quamvis nomine ecclesiae in dicto capite intelligi directe videatur ecclesia particularis cuius distributiones quaeruntur, iuxta auctoritates quas citavimus pag. 70 tamen non excluditur alia amplior, et veluti consequens significatio qua, nomine ecclesiae, veniat etiam Ecclesia universalis. Differentia tamen in hoc videtur reponenda, quod in priori significatione nec Indultum requiritur *vid. pag.* 70 *et* 73 *ad V. et X. dubium*, in altera vero consequenti significatione, ex praxi hoc requiritur.

gregationis Resolutionibus, excepto casu verae necessitatis, ipsius ecclesiae, in qua extat beneficium chorali servitio addictum. Id tamen locum habere potuisse ex speciali Apostolico Indulto. Etenim generatim prohibentur canonici a choro discedere, sive ad faciendum Sacrum, sive ad excipiendas Confessiones. Ita die 14 Martii 1620 S. C. decrevit, nimirum *Canonicos dum horae canonicae recitantur, non posse a choro abscedere ad Confessiones audiendas, aut Missas celebrandas devotionis causa; et qui discesserit, illius horae distributionem amittere* (1). Ab hac tamen lege excipiuntur illi qui tempore Quadragesimae decendium in Catecheseos explicatione operam navant ex speciali Rescripto S. M. Clementis XIII. diei 18 Februarii 1767.

Quod vero spectat ad eos canonicos, vel beneficiatos, qui nullo publico munere funguntur, sed tantum particularis Personae servitio mancipati, indultum absentiae postularunt, illud negatum fuisse observabatur a S. C. et certum dumtaxat tempus eis concessum fuisse ad deliberandum. Ita postulavit Ioannes N. Capellanus in Ecclesia S. Mariae in Via Lata Indultum absentiae, ut Panormi maneret, ubi Emo Archiepiscopo famulabatur, attenta praesertim exiguitate reditus Capellaniae, et proposito dubio: « an et pro quo tempore sit concedendum indultum » responsum fuit: *affirmative ad annum ad effectum deliberandi. in Romana Residentiae* 11 *Iulii* 1818.

Denique quoad Coadiutores, qui studiorum causa postulant Indultum; re mature perpensa prius in causa *Praten. Indulti die* 2 *Martii* 1697 et postea in *Tarentina Indulti* 28 *Martii* 1733 S. C. instantiam reiecit, et ut habetur in folio huius postremae resolutionis « Decretum hoc firmavit regulam, quae semper ser» vata fuit, reiiciendi concessionem Indulti pro absentia ob stu» diorum causam. Quin imo Coadiutoribus nec etiam dari a » S. Congregatione consuevit Indultum quod ratione alicuius mu» neris in hac Romana Curia concedi alioquin solet canonicis pro » diebus et horis quibus impediti ob huiusmodi officium fuerint.»

Dubia.

I. « An et quomodo sit confirmandum, vel concedendum In-

(1) Huius decreti exceptiones potes videre pag. 73 ad I et II dubium.

» dultum abessendi a choro, addictis S. Sedis servitio sive in tem-
» porali, sive in ecclesiastico munere.»

II. « An et quomodo sit concedendum Indultum, iis, qui
» alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii, nun-
» quam possunt, durante munere, suis ecclesiis deservire, et cho-
» rali officiaturae personaliter interesse.»

III. « An, et quomodo sit concedendum Indultum inservien-
» tibus Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium
» pro expediendis negociis tum ecclesiastici, tum temporalis re-
» giminis.»

IV. « An, et quomodo sit concedendum Indultum inservien-
» tibus Pontificiae Capellae sive in munere Magistri coeremo-
» niarum, sive Acolythorum, et Clericorum.»

V. « An et quomodo sit concedendum Indultum Lectoribus
» in publicis Universitatibus.»

VI. « An sit confirmandum, vel concedendum Indultum pro
» excipiendis fidelium confessionibus, sive in ecclesia beneficii,
» sive in alia ecclesia, vel monasterio; vel vacantibus exercitio
» SS. Missionum, aliisque pietatis operibus.»

VII. « An, et quomodo sit concedendum Indultum Coadiuto-
» ribus sive ratione munerum, sive causa studiorum.»

VIII. « An sit concedendum Indultum addictis servitio par-
» ticularium personarum quavis etiam dignitate fulgentium.»

IX. « An, et quomodo sit providendum in futurum.»

Resolutio dubiorum. — S. Congregatio Concilii expositis dubiis die 6 Maii 1820 censuit respondere.

Ad I. *Affirmative in omnibus pro diebus et horis amissis distributionibus inter praesentes tantum.*

Ad II. *Negative exceptis Nunciis et Internunciis.*

Ad III. *Affirmative pro diebus et horis, amissis* (1).

Ad IV. *Affirmative pro diebus et horis dummodo personaliter, et ex munere intersint, amissis distributionibus inter praesentes, onerata* (2).

Ad V. *Affirmative pro diebus et horis, amissis.*

Ad VI. *Negative, excepto tantum casu verae necessitatis.*

Ad VII. *Negative in omnibus.*

(1) Intellige amissis distributionibus quotidianis et *inter praesentes.*

(2) Idest onerata conscientia illius qui Indultum obtinuit.

Ad VIII. *Negative exceptis Caudatariis S. R. E. Cardinalium ad formam tamen decreti diei* 19 *Augusti* 1690.

Ad IX. *Ad D. Secretarium cum SS̃mo iuxta mentem:* (1) *et mens est: Indulta adhuc concessa, esse confirmanda, sive reformanda, sive revocanda ad formam praecedentium resolutionum et supplicandum SS̃mo, ut in posterum non concedantur nisi per sacram Congregationem Concilii sub poena nullitatis* (2) *utque ea indulta non valeant, nisi obtento decreto executoriali Ordinarii, vel legitimi superioris.*

Facta huius Resolutionis relatione, die 10 eiusdem mensis, SS̃mo Patri, « Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis ad » novem praedicta dubia in omnibus benigne adprobavit, et re- » spective confirmavit, voluitque ut, in casibus particularibus sub » praemissis dubiis non comprehensis, provideatur pariter ab » eadem Sacra Congregatione ad formam SS. Canonum et S. Con- » cilii Trid. et iuxta praxim ab ea hactenus servatam, atque omnia » praemissa inviolabiliter in posterum servari mandavit a die » 1 Iulii proxime venturi, Indultis omnibus, tam a se, quam » a Romanis PP. praedecessoribus suis quomodolibet concessis, » et aliis quibuscumque non obstantibus, quibus pro executione » praemissorum amplissime derogavit (3).»

Ex iis inter alia plura colliges.

I. Per praesentes Resolutiones, nec decretum Innocentii XII, nec praxim invectam in S. C. C. fuisse abrogatam, sed tantum determinatam, cohibitamque ulterius, in nonnullis, fuisse.

II. Quare non minus ex praefatis Resolutionibus, quam ex relato decreto, et praxi, in *disceptatione synoptica*, exposita, dignosci satis potest ordinaria praxis quae viget apud S. C. C., in huiusmodi concedendis Indultis.

III. Varia Indulta pro varietate causarum concessa, diversas secumferre clausulas.

(1) Vid. pag. 83 in nota.

(2) Poterant eo tempore huiusmodi Indulta ordinario aliter obtineri quam per S. Congr. Concilii, puta per S. Poenitentiariam etc. ut videre est in *Florentina die* 25 *Martii* 1819 et alibi.

(3) Mota fuit quaestio ab iis qui Secretariis inserviunt postulantes ut sibi concederetur Indultum non iuxta resolutionem tertii dubii, sed, comparatis iis qui in Urbe residentes servitio S. Sedis sive in temporali, sive in ecclesiastico munere addicti sunt, iuxta primi dubii resolutionem illud concederetur. S. Congregatio tamen standum esse in decisis decrevit die 25 Maii 1822.

IV. Ad quas clausulas rite exequendas attendi debere ad beneficii fructus, sive praebendam, quae stabilis est, nec incertis praesentiae vel absentiae eventibus subesse solet.

V. Attendi pariter debere ad distributiones ordinarias, sive quotidianas quae debentur praesentibus in consueto chorali servitio, quaeque punctaturis subiiciuntur.

VI. Nec minus attendi debere ad distributiones extraordinarias, quae *inter praesentes* dicuntur, quaeque ita dantur actu praesentibus, ut neque ab illis absentibus ordinario percipi possunt, qui aliunde ius haberent ad percipiendas quotidianas distributiones.

VII. Imo etiamsi ad has distributiones in absentia percipiendas Indultum obtineatur, per hoc non eas distributiones *inter praesentes* comprehendi quibus percipiendis resisteret Benefactorum voluntas (1).

VIII. Si haec omnia in aliquo chorali beneficio non distinguantur, vel non rite sint distincta, iisdem provisum esse, et opportune provideri in Indultorum concessione; et frequentius per quamdam formulam, de qua in sequenti causa.

INDULTI.

Die 27 *Aprilis* 1861.

Summaria precum. Canonicus Ecclesiae Cathedralis A., Indultum studiorum causa a S. Congregatione Concilii obtinuit, ut abesse posset a residentia, additis solitis clausulis, nimirum: – *et nihilominus fructus omnes sui Canonicatus percipere valeat, amissis distributionibus quotidianis. Quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus praebendae tertiam distributionum partem non attingant, duas ex tribus partibus distributionum, vel praebendae ac distributionum comulatarum, respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.* –

(1) Casus ex. gr. esset si Benefactores legatum puta relinquerent ut distribuatur tantum illis qui aliquo die solemniori interveniunt choro, vel adsistunt alicui funeri etc.

Cum dimidia pars redituum praebendae canonicalis, pro distributionibus quotidianis, altera vero dimidia pars, pro fructibus assignata esset; putabat Capitulum, eumdem Canonicum indultarium, non tertiam dumtaxat partem fructuum, et distributionum insimul cumulatarum, sed omnes distributiones, in vim praefati Rescripti, amittere debere; quod si tertiam tantum partem, ex omnibus cumulatis, amittere debuisset, distributiones saltem non lucrari, quae, pro diebus solemnioribus, assignatae habebantur.

Quaerebatur itaque a S. Congregatione declaratio, quae pro futuris etiam casibus normam praeberet; insimul Canonicus indultarius postulabat ut sibi, ex gratia, concederetur quod ex iure, si ita videbatur, denegandum esset.

Episcopus pro informatione, et voto rogatus, Capitulum audire non praetermisit, quod unanimi suffragio consensum praestitit, ut Orator, pro tempore quo residere nequibat, ut studiis vacaret, distributionibus quotidianis non careret.

Ipse vero Episcopus monebat praebendam Oratoris ascendere totaliter ad scut. 111, quibus demptis scutatis 50 pro oneribus, remanet liber annuus reditus scut. 61. Perpendebat autem, iuris esse tralatitii, distributiones quotidianas non percipi ab iis, qui a divinis absunt officiis, neque ulla consuetudine posse introduci contrarium, *Conc. Trid. sess.* 24 *cap.* 10 *de Reform.*, nisi, reditus omnes canonicatus, distributionibus constent, quo in casu qui ex privilegio in corpore iuris clauso (1), vel ex Indulto Apostolico, choro abesse valeat, duas ex tribus partibus illarum lucrari potest. Benedict. XIV. *Instit.* 107 §. 9 *n.* 58 ceu ex constanti praxi S. Congregatio Oratori etiam rescripserat.

Itidem clarum esse, adnotabat Episcopus, non licere Capitulo distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis collusione remittere absenti, vel qualibet de causa ei qui distributiones

(1) Privilegium in corpore iuris clausum, dicitur illud quod ex iure Decretalium derivat, uti esset ex. gr. illud de quo diximus pag. 69. *Quoad quartum dubium.* Hunc modum loquendi, nimirum, *in corpore iuris clausum, et extra corpus iuris,* induxerunt Doctores, post confectum corpus Decretalium, ad distinguendum illud ius quod in Decretalibus reperitur, ab illo, quod statutum est in Constitutionibus RR. Pontificum, quae utpote non insertae in Decretalium collectione, dicebantur *extravagantes.*

amittere debet; nec fas esse cuipiam illas recipere, et si acceperit suas non facere, et ad restitutionem omnino teneri. *cit. Inst.* §. 7 *n.* 92.

Verum, addebat, S. Concilii Congregatio peculiaribus accedentibus circumstantiis, ac praesertim ob praebendarum tenuitatem, aliquando concessit, ut Canonici absentes lucrari possint quotidianas distributiones, et concludebat: «Videant nunc EE. VV. » an, ex hisce expositis, Canonici Oratoris precibus respondendum » sit, gaudeat impetratis; vel potius annuendum sit votis ipsius, » non obstantibus deductis rationibus.»

Plura hisce *ex officio* adiungebantur quae cum tenorem huius Rescripti quo S. C. utitur in his indultis concedendis admodum illustrent, fere omnia heic referimus.

Animadvertebatur nimirum, praesentem quaestionem in eo versari, an Canonicus Orator in vim Rescripti tertiam tantum partem distributionum et fructuum insimul cumulatorum, vel potius distributiones integras amittere deberet. In utraque autem hypothesi nulla videbatur ratio suppetere cur exceptio fieri deberet quoad dies solemniores. Iamvero Indultum, ex constanti S. Congregationis praxi, concessum Oratori fuerat pro lucrandis dumtaxat fructibus, minime vero distributionibus quotidianis quas omnino amittendas praecipit - *amissis distributionibus* - Exceptio fit solum duobus in casibus, ubi scilicet omnes fructus praebendae, distributionibus constent; vel si reditus praebendae, tertiam partem distributionum non attingant, et tunc, coacervatione facta distributionum et fructuum praebendae, duae ex tribus partibus Indultario tribuuntur, amissa tertia quae inservientibus accrescat. Neuter porro ex praedictis casibus comprobari videbatur in themate. Nam neque solis distributionibus, praebendae reditus constabant, et hi reditus non solum attingebant tertiam distributionum partem, sed imo partem pro distributionibus adsignatam exaequabant. Quamobrem casus de quo agebatur, non quidem in exceptione, sed in regula generali comprehendi videbatur, qua scilicet absens ex causa studiorum lucrari potest fructus dumtaxat, non vero distributiones sui Canonicatus, ceu Innocentius XII. praevio voto Congregationis deputatae super Reformatione Indultorum eximentium a servitio Canonicos et Beneficiatos Urbis, id denandavit, sub die 8 Maii

1693 ac constanter tenuit S. Congregatio, ceu, videre est apud Card. Petra *in Comment. ad constit. IX Bonifacii VIII. per totum.*

Animadvertebatur insuper, cum olim S. Congregatio rescribere soleret, ut cumulus fieret – *Si fructus praebendae quartam partem distributionum non attingant, vel non excedant* - disputatum fuisse, quomodo hisce in verbis Rescriptum foret intelligendum; an scilicet ad cumulum faciendum, et lucrandas duas ex tribus partibus, requiratur ut praebenda non ascendat ad unam quartam partem tantum distributionum, an vero quod non excedat tres ex quatuor partibus distributionum.

Pignatellius *consult.* 83 *tom.* 9 pluribus rationibus firmat, verba illa intelligi debere, eo sensu, quo praebenda non excedat tres ex quatuor partibus distributionum, scilicet ut explicat Petra, *loc. cit. n.* 27 ipse putat pro calculo debere dividi distributiones in quatuor partes, et si fructus praebendae non excedant tres partes distributionum, non dicuntur attingere quartam partem earum, et sic detur locus coacervationi; secus vero si fructus praebendae excedant tres partes distributionum, ita ut in obolo attingant quartam partem. Ita ex. gr. si distributiones essent in quantitate 40 scutatorum, et fructus praebendae in scutatis 30 cumulus fieri deberet, quia non attingunt quartam partem: si vero fructus praebendae essent in scutatis 31, tunc fieri non deberet.

Hinc cit. Pignatellius impugnat Fagnanum, qui *cap. Quia tantum n.* 33 *et cap. Licet n.* 139 *de praeb.* docet tunc esse tenues fructus praebendae, cum quartam partem distributionum non superant, vel non attingunt. Quae verba important, quod si distributiones essent in scutatis 40, et fructus praebendae in scutatis 10, fructus praebendae tenues prae distributionibus dicendi essent; secus vero si ultra scutata 10 redderent.

Subiungit autem Card. Petra *loc. cit.* « Et vere sensus Fagnani » debet attendi, tum quia est fundatus in resolutionibus S. Con» gregationis, tum etiam uti versatus in hac materia; et demum » occurrit ratio etiam per privilegium, cum, eo minus quo pos» sit, debeat vulnerari servitium chori et ius aliorum inservien» tium.» Ac tandem concludit: « Post tempora Fagnani, quod » non advertit Pignatellius *cit. loc.*, inolevit ab anno fere 1669 in » Sac. Congregatione Concilii formula supra adducta, quod, ad

» hunc effectum coacervationis distributionum cum fructibus prae-
» bendae, isti tertiam partem distributionum attingere non de-
» beant, ut nunc servatur et debet intelligi iuxta praedicta, quod
» scilicet, si distributiones sint in scutatis 30, et fructus prae-
» bendae sint in scutatis novem et obolis 90, non dicantur at-
» tingere tertiam partem distributionum, secus si sint in scu-
» tatis decem, cum attingere tertiam partem hoc modo literaliter
» et rationabiliter consonet, non autem ut Pignatellius innuit,
» quod legenti, et calculanti patet; eo magis quia hac nova
» formula pinguius consultum est, quam antiquitus per non
» excessum a quarta parte, et quidem rationabiliter; nam sicuti
» Concilium voluit, ut, non existentibus distributionibus, tertia
» pars separetur pro istis; ita pro fructibus iustum est ut sal-
» tem tertia pars quantitatis distributionum attingatur.»

In themate autem nemo non videt, subiungebatur, quod etsi fructus praebendae computari deberent iuxta normam quam tradit Pignatellius, nihilominus coacervationi locus non esset; quia fructus praebendae nedum excedebant duas ex tribus distributionum partibus, sed distributiones ipsas aequant, ut supra notatum est.

Hisce omnibus accurate adnotatis, remittebatur EE. Patribus decernendum, an, sin minus ex iure, saltem ex gratia indulgendum Oratori esset ut distributiones omnes quotidianas, amissis tantum distributionibus *inter praesentes*, lucraretur, ceu aliquando rescripsit S. Congregatio, vel saltem duas ex tribus partibus fructuum ac distributionum insimul cumulatarum, suas faciat, amissa tertia, idque accedente praesertim consensu Capituli et tenuitate redituum praebendae, qui, amissis distributionibus et satisfactis oneribus, eidem supersunt.

Rescriptum. — Sacra Congregatio Concilii huic petitioni *per Summ. precum* expositae, die 27 Aprilis 1861 respondere censuit: *In casu de quo agitur Indultarium amittere distributiones quotidianas: sed attento consensu Capituli, pro gratia, ut Orator, durante absentiae Indulto, duas ex tribus partibus distributionum ac fructuum praebendae insimul cumulatorum, percipere queat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat, facto verbo cum SSmo.*

Ex iis colliges

I. Qui vi praefati Rescripti a choro absunt, amittere omnes distributiones quotidianas, et inter praesentes.

II. Duos tamen excipi casus, nimirum si omnes praebendae reditus adsignati fuerint pro quotidianis distributionibus. Hoc enim casu, tertiam tantum distributionum partem, qui ita abest, amittit.

III. Alterum casum, qui excipitur, illum esse in quo tenuis sit praebendae reditus pro fructibus assignatus, in comparatione distributionum.

IV. Tenuem vero, iuxta Fagnani sententiam, praefatam Indulti formulam declarantis, eum esse, si unam ex tribus distributionum partibus non attingat.

V. Quo in casu, coacervatione facta omnium redituum, ex vi Rescripti qui abest, tantum tertiam huius resultantis summae partem amittit.

VI. In praesenti themate neutrum exceptionis casum locum habuisse. Reditus enim adsignati pro fructibus exaequabant reditus adsignatos pro distributionibus. Quare talis absens vi Rescripti omnes distributiones amittere debuisset.

VII. Attenta vero Capituli liberalitate, in casu, S. Congregationem indulgendum censuisse, si SSmo placeret (1), Oratoris supplicationi.

SEPARATIONIS TORI ET HABITATIONIS.

Die 27 *Februarii* 1864. *Sess.* 24 *c.* 1 *de Ref. Matr.*

Sexto nondum vertente mense, a matrimonio contracto, Uxor A. maritali domo relicta, petiit a propria Curia legitimam tori habitationisque separationem. Operam dedit ecclesiasticus Iudex, quantum potuit, ut Uxor viro reconciliaretur, sed perperam.

(1) Capituli consensus non est legitimus titulus ad percipiendas distributiones quas quisque amittere iure debet, uti recte adnotabat Episcopus in sua informatione. Quare licet ex Capituli consensu praecipue mota sit S. Congregatio ad indulgendum Oratori, adiecit tamen *facto verbo cum SSmo*. Vid. pag. 89 in nota.

Mota proinde in Curia lite, causa favore Viri definita fuit. Sed Uxor, huic latae contra se sententiae non acquiescens, ad S. C. C. appellavit. Transmissis itaque actis processualibus, et reliquis ad rem pertinentibus, S. Congregatio rescripsit Ordinario, ut terminum Partibus praefigeret ad deducenda, quatenus vellent, ulteriora sua iura coram S. C. Defensorem in Urbe Vir sibi constituit, Uxor vero se retulit ad ea, quae in prima instantia deduxerat.

Tria porro querelarum genera adducebat Uxor pro legitima separatione. Nempe 1. quamdam a viro aversionem, etiam matrimonio praehabitam, ad quod ineundum ex reverentiali timore, Avunculi sui, se inductam fuisse affirmabat. 2. Phisicos defectus in viro repertos, post initum coniugium; alitum nempe foetidum, herpeticas eruptiones, et quamdam impotentiam. 3. Toleratas iugiter contumelias, modosque rudes et imperiosos, quibus a Viro pertractari solebat.

Pro huiusmodi querelarum probatione, Mulier ad nonnullos testes provocabat, quorum tamen praecipuus qui confirmare debuisset querelas secundo et tertio loco exhibitas, in iudicio, potius contra Uxorem sub iuramenti fide deposuit.

Vir autem obiectis ab Uxore contradicens, adducebat plures literas ipsius Uxoris, quae praeconceptum amorem, ante initum coniugium, eumdemque firmum praemonstrabant.

Quatuor insuper, ex Curiae mandato, deputati fuerunt viri in arte medica periti, quorum duo ex longo annorum cursu, Viri familiam curaverant, qui omnes examini, viro subiecto, sub iuramenti fide excluserunt, fere penitus, secundum querelarum genus. Conquerebatur tamen Uxor eo quod nonnulli alii testes, a se provocati, auditi a Curia non fuerant, qui, praesertim de praehabita aversione, et detrectatione nuptiis illis ineundis testari potuissent.

Disceptatio synoptica.

Defensio Uxoris. — Animadvertebatur *ex officio* pro defensione Uxoris, divortium, quoad torum et habitationem, legitime fieri posse ubi alter, ob alterius saevitias, absque gravis damni periculo, cohabitare non possit, *Cap. ex transmissa* 8 *et cap. literas* 13 *de restitut. spoliat.* Praesertim si saevitiae ita frequen-

tes sint, et graves, ut trepidanti mulieri, non possit sufficienti securitate provideri, uti praeter auctores, tenuit S. Cong. in *Firmana Separat. Tori* 16 *Maii* 1789 *in Nullius S. Martini* 28 *Iulii* 1804 aliisque.

Imo subiungebatur, ut perpendit Conscius *De separat. tori* l 2 *c.* 7 *seq.*, separationem concedendam esse, etsi leves, sed frequentes saevitiae habeantur; quia malae tractationes, potissimum quia irrationabiles et indebitae, odium gignunt, et innocentem uxorem ad delinquendum impellunt. Quae quidem omnia vim suam augere dicebantur erga Uxorem A. quae nobilis, et exquisitae educationis erat.

Praeterea morbus contagiosus, et grave corporis periculum, uti legitima causa divortii quoad torum, et habitationem habetur Ferraris *v. divortium;* et *cap. pervenit de coniug. lepros.* Et ratio suppeditari videtur ex naturali interpretatione, qua coniuges, qui in matrimonii contractu sibi invicem mutuam potestatem corporum conferunt, salva suarum personarum incolumitate cohabitationem promittunt, et suscipiunt. Quod, si in themate quatuor deputati periti, hanc causae existentiam excluserint, recte nihilominus, Uxor contra ipsos, querebatur, eo quod duo ex ipsis intima relatione, et amicitia iungebantur cum Viro, eiusque familia; quare eorum depositiones attendi non debere videbantur. Reliqui vero duo non excludebant nonnulla indicia in viro reperta, quae poterant praefatos morbos commonstrare.

Denique, quoad aversionem uxoris a viro, adnotabatur, antipathiae, ex peritorum sententia, aliquando dari casus, in quibus gravissimi incommodi evadat sive mutuus adspectus, multoque magis mutua conversatio; adeo ut invisus adspectus, naturam et affectus aliorum perturbet. In praesenti autem casu, adeo obfirmata erat aversio Mulieris, ut palam profiteretur « sibi im» possibile fore individuam vitae consuetudinem, cum viro reas» sumere ».

Quod si haec omnia minus ex actis probata viderentur, recte Mulier conquerebatur, eo quod pro veritate, auditi a Curia alii testes non fuerint, nempe Avunculus eiusque Domestici, nec non Mulieres nonnullae quas nominabat. Quare, praesertim ex lege in ea provincia vigente, acta processualia esse rescindènda contendebatur.

Defensio Viri. — Verum Viri Defensor contendens accusationum capita futilia esse vel falsa, reiiciebat primum querelarum caput, tum ex epistolis Uxoris ad Virum ante matrimonium missis, tum ex indole Avunculi, qui suam neptem ferventi amore prosequebatur. Caeterum primum querelarum genus, etiamsi demonstraretur, iuvare forsan posset ad causam nullitatis matrimonii, instituendam; minime vero ad separationem, quoad torum et habitationem. In praesenti enim causa supponebatur matrimonii validitas, ideoque recte Curia non admisit indicatos ab Uxore testes.

Secundum querelarum genus, reiiciebat Viri Defensor, ex concordi quatuor peritorum testificatione. Quod si eorum duo veluti suspecti ab Uxore reiiciebantur, admonebat, in huiusmodi controversiis, super factis, domesticos parietes, plerumque non praetergredientibus, etiam illos admitti, qui in aliis causis veluti suspecti reputarentur. *Rota decis.* 351 *n.* 14 *cor. Ludovisio decis.* 115 *n.* 9 *par.* 18 *tom.* 1 *rec.* Cosci *de sep. tori lib.* 1 *c.* 8 *n.* 32 *et seq. etc.* Nominatim vero, quoad herpetem, observabat, quod si ea extitisset, demonstrari etiam debuisset eam esse contagiosam ex *cap.* 1 *et* 2 *de coniug. lepros.* quam iuris sanctionem rite exornat Cosci *op. cit. lib.* 2 *c.* 12 *n.* 25.

Tertium querelarum genus excludebat, ex ipso teste ab Uxore provocato, qui deposuit « quantum scio Maritus bene cum » Uxore se gerebat, Uxor vero quamdam praemonstrabat cum » Marito severam agendi rationem » Caeterum, concludebat Defensor, huiusmodi malas tractationes, etsi extitissent, cum neque graves sint, neque perseverantes, non posse constituere divortii causam. *Rota in Anconitana obsequiorum Matrim.* 15 *Iunii* 1764 *cor. De Viri n.* 2 *et seq.* Hisce itaque in medium adductis rationum momentis, in examen revocatum est

Dubium.

« An sententia Curiae... sit confirmanda vel infirmanda in casu.»

Solutio dubii. — S. Concilii Cong. re discussa die 27 Februarii 1864, confirmare censuit Curiae sententiam respondendo: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ex iis colliges.

I. Graves requiri causas ad legitimam Coniugum separationem quoad torum, et habitationem, quae graves causae penitus deerant in praesenti themate.

II. Neque confundi debere causas, quae referri forsan possent ad matrimonii nullitatem demonstrandam, cum causis quae, constante matrimonio, afferri debent pro huiusmodi separatione obtinenda.

TRANSLATIONIS PAROECIAE.

Die 27 *Februarii* 1864.

Compendium facti. Extabat in quodam oppido paroecia A., quae Ecclesiam parochialem possidebat angustissimam, succrescenti in dies animarum numero continendo imparem, vetustate fatiscentem, forma indecoram, humiditate perpetuo laborantem, ita ut parietes situ obsiti essent, et sepulchra plena aquis ex superiori monte permeantibus. Parochus animadvertens ob haec incommoda, populum minus eam frequentare, et cupiens divino cultui decentius providere, consilium iniit hanc transferendi paroeciam in aliam Ecclesiam S. Sebastiani, Municipii propriam, servatis utriusque ecclesiae honoribus et oneribus. Episcopus hoc consilium non modo approbavit, sed curavit insuper ut a Municipibus approbaretur, et difficultates si quae essent superarentur. Collatis hinc inde consiliis, convenit inter Parochum et Municipes ut, ad ampliandam et ad elegantiorem formam redigendam Ecclesiam S. Sebastiani, tria scutatorum millia impenderentur. Ad hanc complendam summam commendabili generositate confluxerunt, tum ipsum Municipium, tum Parochus et duo Sodalitia, exhibita simul S. Sedi Conventione approbanda inter Parochum et Municipium, in qua, inter alia plura articulus sic enunciatus legebatur, quod nempe: « integra et salva maneant iura quae Municipium actualiter ha» bet in Ecclesia S. Sebastiani, *excepto condominio* eiusdem » ecclesiae, quod cedi debet Parocho, qui se et pro suis succes» soribus obligari debet ad sustinendam medietatem expen» sarum, quae necessariae erunt pro eiusdem ecclesiae manu» tentione. »

Requisitus Ordinarius pro informatione et voto, inter cetera respondit « Oraculum SS̃mum erit solummodo expectandum, quo » favente ac propitio, minime sane dubitandum, quin ob prae- » fatam transactionem prospiciatur cultui divino, Religionis bono » atque animarum; ac ipsum Oppidum templo decentiori quo » caret ditetur.» Cum vero in praefata pecuniae summa, pars aliqua decerpi debuisset ex bonis piorum locorum, hinc praeter Conventionis approbationem implorabatur etiam Apostolicum Beneplacitum pro eroganda ea pecuniae parte in utilitatem ecclesiae S. Sebastiani. Bis *per summaria precum* proposita S. C. haec causa fuit, tandem in *folio* exposita plene resoluta.

Disceptatio synoptica.

Quoad translationem ecclesiae parochialis. — Animadvertebatur *ex officio* translationi ecclesiae parochialis locum fieri, quoties iustae ac legitimae causae concurrant. Quas inter praecipue recensetur indecentia et angustia ipsius ecclesiae transferendae ut notat Rebuff. *in prax. benefic. de transl. Episcop. n.* 7 *et S. C. C. in Burgen. Translationis Ecclesiae Parochialis* 14 *Novem.* 1733 *et Mediolanen.* 3 *Aprilis* 1734.

Neque obstare dicebatur in casu quod parochialis ecclesia transferri non debeat si possit reparari, *ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant,* ut monet Conc. Trid. *sess.* 21 *cap.* 7 *de reform.* et retinuit S. C. C. in una *Civitatis Castelli* 13 *Martii* 1762. Etenim ex causis supramemoratis impossibile fere videbatur ut praefata ecclesia parochialis ad decentiorem formam redigi posset.

Quoad pecuniam ex piis locis decerpendam. — Animadvertebatur insuper, quod pro aedificatione, vel reparatione ecclesiae parochialis interdum etiam legata pia missarum adhibeantur, ad tradita per Amostaz. *de causis piis lib.* 1 *cap.* 14 *n.* 36 *et lib.* 2 *cap.* 13 *n.* 35. Brasch *de potest. Eccles. tom.* 3 *c.* 24; et maxime iuvare in praesenti casu sodalium consensum, cum ageretur de erogatione pecuniae Sodalitatis pro fabrica ecclesiae parochialis, ceu eruitur ex *Ripana* 16 *Iunii* 1787 *ad I dubium.* Quin imo aliquando concessa etiam fuit subsidiorum dotalium suspensio ut in *Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die* 9 *Iulii* 1842 *ad III dubium.* Ecclesiae enim aedificium, vel reparatio,

cum tendat ad maius divini cultus incrementum, maximis in iure favoribus gaudet.

Nonnullis insuper animadversis circa articulos Conventionis, causa *per summaria precum* S. C. C. proposita fuit die 6 Iunii 1863, in qua Sacra Cong. respondit – *Dilata et ad mentem* – Mens autem S. C. fuit ut novae informationes per R. P. D. Secretarium ab Ordinario exquirerentur. Et quaesitum fuit inter cetera, an vetus parochialis ecclesia eo in statu reperiatur quo restaurari non possit. An nova ecclesia S. Sebastiani sit vere centralis ad prospiciendum populi commoditati. Quibus apprime Ordinarius satisfaciens, demonstrabat impossibilitatem restaurandi ecclesiam parochialem, et econtra maximae populo esse commoditati, S. Sebastiani ecclesiam, quae in medio Oppidi extabat. Et S. Cong. die 26 Septembris 1863 respondit – *Quoad translationem in genere affirmative, quoad modum dilata, et ad mentem* – Mens autem S. C. fuit: quod *Condominium* novae Ecclesiae S. Sebastiani ex articulis Conventionis auferretur ad praecavendas causas litium et discordiarum inter Municipium et Parochum; et, in huius condominii loco, substitueretur iuspatronatus favore Municipii, coarctatum tamen ad solam ecclesiam, minime vero ad Parochiam, ita ut ad Municipium spectarent magnae eiusdem ecclesiae reparationes quas fieri contigissent post translatam paroeciam, ad Parochum vero pro tempore reparationes minores. Sic etiam functiones parochiales spectarent ad Parochum, dum econtra, functiones non parochiales, ut festum Patroni, et aliae religiosae solemnitates extraordinariae quas fieri contigissent auctoritate Ordinarii, ad Municipium pertinerent. Renovatis itaque articulis Conventionis ab Ordinario maxime commendatae S. Congregationi *in folio* propositum fuit

Dubium.

« An et quomodo approbanda sit proposita conventio in casu.»

Resolutio dubii. — S. Congregatio C. die 27 Februarii 1864 respondere censuit: *affirmative iuxta votum Ordinarii deleto tamen articulo XIV.* (1) *et confecto instrumento in forma iuris valida facto verbo cum SSmo.*

(1) Hoc articulo XIV. Municipium sibi nonnulla peculiaria iura reservabat, quae tamen iam satis comprehensa videbantur in iurepatr. super ecclesia sibi reservato.

Ex iis colliges :

I. Ad transferendam paroeciam ex una in alteram ecclesiam, iustas legitimasque requiri causas.

II. Tales causas censeri ecclesiae parochialis fatiscentiam, indecentiam, angustiam, cuius consentanea instauratio, haec incommoda non auferret.

III. Colliges etiam Conventiones inter partes super ecclesiarum iuribus, ut firmae sint, exigere apostolicam approbationem.

IV. Eamque concedi post accuratum examen Conventionis propositae, quo in examine, praeter iustitiam, utilitatemque eiusdem Conventionis, attenditur etiam ad praecavendas, quantum fieri possit, futuras discordiarum causas.

PAROECIAE.

Die 26 *Ianuarii* 1861.

Summaria precum. Supplex libellus quem Episcopus A. ad S. C. C. transmiserat, quemque retulimus antecedenti fasciculo pag. 151 obtinuit rescriptum – *Non esse locum privationi beneficii, sed potius deputationi ecclesiastici viri administratoris super bonis tam paroeciae, quam fabricae, qui, subductis necessariis ad decentem Parochi exhibitionem, superextantes reditus eroget in dimissionem aeris alieni.*–

Non sibi tamen huic rescripto acquiescendum duxerat Episcopus, qui propterea, novis datis literis, nonnulla ulterius iudicio subiicienda proposuit S. Congregationi. Haec porro exponebat « Quum debitas pro responso sub die 31 Martii mox elapsi » a S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Inter- » pretum mihi dato ad quaestionem: – an ad parochum aere » alieno gravatum, quod et in dies magno fidelium scandalo au- » gere temere pergit, quin ullam praebeat spem fore ut emen- » detur, applicari quod S. Concilium Tridentinum sess. 21 » cap. 6 de reform. de iis qui turpiter et scandalose vivunt, » constituit, proindeque in eum beneficii privatio statui possit? » Sin autem minus, quibus aliis iuris remediis, scandalis, quae » eiusmodi parochi vel beneficiati, sua culpa, obaerati, publice

» praebent, ac periculo, ex parte illorum, imminenti ab Episcopo » sit occurrendum? – gratias perago; liceat mihi animadvertere, » laudato S. Congregationis responso difficultates, quas dicti » Parochi in alieno aere contrahendo levitas, mihi parat, nullo » modo tolli.»

« Non enim tam de modo, quo bona parochiae ipsius et fa- » bricae administranda, aut quo, quae creditoribus debet, iisdem » tandem sint persolvenda, quam de magno scandalo agitur, » quod ille parochus in parochia et in tota circumvicinia, ca- » tholicis aeque ac acatholicis praebet. Licet turpiter eo in » sensu, quo Clerici concubinarii et libidinis vitio inquinati, » non vivat, modus tamen ipsius agendi, apud parochianos ver- » bis eius et adhortationibus vim omnem et effectum adimit, » ipsumque, et totum ministerium eius despectui exponit, atque » ansam praebet, ut multimodis, omnis Clericorum status, con- » viciis perstringatur acerrimis.»

« Malum cuius causa iste Sacerdos, in dies serpit, et ni ei- » dem fortiter resistatur, brevi totam paroeciam corrodet, ac » existimationem sine qua, omnis, quam peragit, functio, non in » irritum tantum cadet, sed et parochianis maxime erit perni- » ciosa, subcutiet penitus, atque subvertet.»

« Quae cum ita sint liceat mihi iterum proponere quaestio- » nem, quibus aliis iuris remediis, scandalis quae tales parochi, » vel beneficiati obaerati publice praebent, ac evidenti, quod, » ex parte illorum saluti Fidelium imminet periculo, ab Episcopo » sit occurrendum.»

Hisce precibus iterum expositis, *ex officio* observabatur, quod si deputatio administratoris sufficiens fore remedium non vide- retur, sed ratione scandali, aliqua ulterior provisio decernenda esset, nihil plane prohibere videbatur, quominus Episcopus ad iuris tramites, contra huiusmodi parochos vel beneficiatos pro- cedere valeret; nimirum, monitionibus in irritum cessis, ad su- spensionem, vel etiam ad remotionem a paroecia, ac tandem ad beneficii privationem. Quando enim Parochi agendi ratio ea sit, quae non in aedificationem, sed in Ecclesiae destructionem, et Christifidelium scandalum convertatur, ita ut nullum ex mi- nisterio suo fructum capere amplius non possit, boni publici, quod privato semper praeferri debet, ratio exigit, ut de alio pa-

store populus provideatur, ac Parochus contumax suae ɔɐdɟcu poenas luat; quod proportione servata, ac iuxta varias temporum ac locorum circumstantias, de aliis quoque beneficiatis censendum videbatur, ob scandalum quod in populo praebent, et dedecus quod ecclesiastico coetui sua culpa inferunt.

Rescriptum. — Sacra Congregatio Concilii re in examen revocata die 26 Ianuarii 1861 rescripsit: *In decretis, salvo tamen iure Episcopi procedendi contra Parochum quatenus non resipiscat ad formam SS. Canonum.*

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SUPER NULLITATE TESTAMENTI FAVORE EX-RELIGIOSI DE FAMILIA MINORUM OBSERVANTIUM.

23 *Ian.* 1863.

Compendium facti. Seraphina vidua, tribus aucta filiis Dominico nempe Vincentio, et Angelo, supremis tabulis diei 23 Octob. 1830, relicta parte legitima Dominico et Vincentio, suum haeredem universalem nominavit Angelum, ex-Religiosum de familia Minorum Observantium; idque ea se facere professa est cum aliis de causis, tum nominatim ob plura argumenta filialis benevolentiae, et praeclara merita quae quolibet tempore abunde Angelus praestiterat: quandoquidem ille nunquam matrem deserere voluit, quin imo una simul vitam vivere maluerat, simulque amplissima omnis generis subsidia elargiri nunquam destiterat. Angelus itaque haereditatem maternam, nullo adversante, adiit, in eaque pacifice perstitit usque ad annum 1862: quo anno filii ex Vincentio, interim defuncto, prognati, S. C. Ep. et Reg. suas preces obtulerunt exorantes, ut institutio haeredis Angeli a Seraphina, Oratorum avia, peracta, nulla declararetur ob incapacitatem adeundae

haereditatis ex voto religiosae paupertatis per Angelum emisso derivantem, adeoque ut successioni legitimae, perinde ac ab intestato Seraphina obiisset, in suam aliorumque haeredum legitimorum utilitatem aditus aperiretur. Ordinarius pro more sententiam de precibus rogatus, ex stricto iure aditionem haereditatis nullam esse consentiebat: inspectis nihilominus peculiaribus circumstantiis opinabatur aequum esse, ut Angelus iam senex, et multis incommodis affectus ex Sanctae Sedis indulgentia, donec viveret, in pacifica haereditatis possessione ac fruitione relinqueretur. Quae utrimque in rem suam deducebantur ex iis, quae sequuntur, dilucide patebit.

Disceptatio synoptica.

Quae rationum momenta Angelo faverent. — Angelus ex-Religiosus in suorum iurium tutamen, contra suos ex fratre Vincentio nepotes adversarios, in medium proferebat prae primis tria rescripta, quae a Sancta Sede sibi concessa fuerant, *primum* videlicet diei 11 Novem. 1808 a Sacra Poenitentiaria editum, quo potestas facta sibi fuit consequendi quodlibet beneficium simplex, etiam cum residentia, et etiam cum animarum cura, ea nempe de causa, ut *fructus ex eo provenientes pro honesta sui substentatione suos facere licite posset*. *Alterum* a S. C. super Discipl. Reg. die 11 Ianuarii 1809 datum fuerat, quo perpetuam saecularizationem impetraverat, unaque obtinuerat, ut *patrimonii fructibus aliisque ecclesiasticis emolumentis pro sui honesta substentatione uti et gaudere possit... servatis tamen per eumdem substantialibus votorum suae professionis, quae semper... in suo robore permaneant*. *Tertium* denique eadem S. C. impertita fuerat die 13 Maii 1844, quo Sacer Ordo benigne annuerat *pro gratia disponendi tantum inter vivos, vel causa mortis, minime vero per testamentum, dummodo Orator donet titulo eleemosynae in favorem Conventus suae Provinciae, si extet, aliter sui Ordinis*.

Iamvero ex tenore huiusmodi rescriptorum Angelus arguebat, sese ex Summi Pontificis gratia ad omnia pristina civium iura, tamquam ex postliminio restitutum fuisse, quae in emittenda solemni professione amiserat, quale est ius adeundi haereditates, quae iuxta legum praescriptum sibi deferantur. Id enim eo for-

tius inferebat ex mente Summi Pontificis, quae eiusmodi erat, ut Angelus, quando extra Monasterium vivere deberet, neque ex eo substentationem amplius assequi posset, haberet aliunde, quo necessaria vitae subsidia suppeterent, ne mendicare cogeretur. Illud sibi dumtaxat oneris suberat, ut de haereditate aliter disponere nequiret, ac permissum sibi fuerat in formula rescripti anni 1844.

Secundo loco Angelus sese tuebatur clypeo praescriptionis plusquam annorum triginta, quorum decursus, iuxta notissimas iuris civilis normas, impedimento suis nepotibus erat, ne actionem ullam pro haereditate vindicanda possent ulterius exercere. Subinde opponebat silentium et acquiescentiam tum suorum fratrum Vincentii et Dominici, tum Oratorum ipsorum per tam diutinum spatium temporis productam, qua ipsi sese parte legitima, quam a Seraphina acceperant, contentos fuisse demonstraverant, adeoque tacite cuicumque, si forte habuissent, iuri renunciasse merito dicendi erant.

Insuper Angelus plures creditorum suorum titulos contra nepotes adversarios proferebat, quorum primus ac potissimus erat, ut sese compensare ac redintegrare deberent de pecuniis, quas ipse aere suo in octuagenaria alenda matre, multigenisque, quibus laborabat incommodis, curanda iuvandaque largiter insumpserat: id enim oneris nedum ex naturali lege, sed ex diserta patris (prouti aiebat) comunis dispositione tribus fratribus incumbere in communi debuisset.

Denique urgebat Angelus sese nonnisi per remedia in iudicio formiter instructo experienda ex possessione haereditatis deturbari posse, minime vero ope S. C., quae oeconomice tantum et ex voluntate utrarumque partium, quae in contentionem veniunt, causas definiendas accipit.

Momenta rationum ab Oratoribus contra Angelum allata. Nemo nescit, ex adverso dicebatur, Regulares in individuo consideratos ex voto paupertatis incapaces disponendi omnino fieri; et quamvis Regularibus Ordinibus in communi possidendi facultas ordinario relicta sit, nihilominus, si agatur *de domibus fratrum S. Francisci Cappuccinorum et eorum, qui minorum de observantia vocantur,* ex disertis verbis Conc. Trid. *cap.* 3 *sess.* 25 *de Reg.* ita excepti sunt, ut nec in individuo neque in communi possidendi facultate pol-

leant (1). Exinde iuxta universalem Doctorum sententiam constituitur, quod si quando haereditas Religioso alicui viro a testato, seu ab intestato deferatur, in Religionibus possidendi iure gaudentibus, loco Regularis ad haereditatem vocati, Religio ipsa succedat; at vero in Religionibus eo iure carentibus, nec Religio in sui Religiosi locum haereditatem obtineat, ideoque haereditas ad eos devolvitur, qui ab intestato ex legitima successione ad eam vocantur. *Titulus enim successionis universalis importat dominium rerum, quod omnino abesse debet, ut exclusivum paupertatis* prouti perbelle docet cum omnibus doctoribus passim Petra *ad Const. V. Honorii II. sect.* 4. 7.

Quamvis autem ex Interpretum auctoritate loco Religiosorum, qui in Religionibus possidendi incapacitate affectis, professionem solemnem emiserint, Apostolicam Sedem succedere edoceatur, nihilo tamen secius (Vid. Fagnan. *Cap. In praesentia De Probat. n.* 39 *et seq.*) casus excipitur, quo testatori mens fuerit, non aliquam piam, sed solummodo prophanam causam instituere; veluti fiebat in themate, ubi Seraphina filium Angelum ob sua in se merita remunerandi voluntatem apertissime habuerat.

Neque ad effectum, de quo agitur, aliquid Angelo proderant rescripta a S. Sede impetrata anno 1808 et 1809, perinde ac ex illis omnia iura civilia recuperasset. Etenim rescripta saecularizationis cum facultate beneficia adipiscendi, nullo profecto modo protendi poterant ad ea, quae votorum substantiam attingerent. Et re sane vera, saecularizatio paupertatis votum minime relaxare pluries pronunciavit S. C. Concilii. In Bononien. *Testamenti diei* 23 *Augusti* 1692 apud Petram *ad Const.* 16. *Eugenii IV. sect. un. n.* 10 *tom.* 4, cum Iesuatorum Ordo suppressionem canonice passus fuisset, quaesitum est, an Iesuati ex eo Ordine dimissi, testamenti faciendi iure potirentur: at S. C. negativum responsum edidit. Item die 13 *Maii* 1679, cum Canonici Regulares S. Gregorii in Alga eadem ratione suppressi forent, ideoque Emi Patres rogarentur: «An supradicti Monachi testari possint.»

(1) Hoc est, quod possidendi incapacitas non solum afficiat singula Religionis capita seorsim spectata, quod in omnibus Religionibus accidit, sed etiam ipsam Religionem collective sumptam absolute percutiat, quod non ad omnes Religiones extenditur, sed ad Cappuccinos, Minores observantes, aliosque nonnullos coercetur.

« An succedere possint fideicommissis et haereditatibus, et acqui-» rere possint ac si umquam professi fuissent, et in saeculo per-» mansissent.» Sacer Ordo ad utrumque *negative* rescripsit *apud eumdem Petram Const. V. Ben. XII n.* 29 *t.* 4.

Neque vero maioris momenti habendum erat rescriptum anni 1844, quo, Angelo copia facta est disponendi inter vivos et causa mortis; aliud est enim testamenti factio activa, aliud passiva, seu clarioribus verbis, aliud est posse testari, aliud ex testamento haereditatem capere. Rescriptum anni 1844 testamenti factionem activam permittebat; nihil vero de passiva eloquebatur. Iamvero nulla res in iure canonico vulgatior, quam quod forma rescriptorum ad unguem servanda sit, Rota *coram Durando decis.* 238 *decis.* 295 *et decis.* 350 *p.* 1 *Recent.* Idipsum confirmabatur ex recentissima causa apud S. C. Ep. et Reg. agitata in *Ariminen. super ead. Legat.* 10 *Dec.* 1850, in qua cum Cappucinus quidam facultatem a S. C. obtinuisset commutandi testamentum, quod ante professionem condiderat, in eoque nonnulla legata certis personis relinquendi, idemque, praeter rescripti formam, subdidisset prohibitionem ac poenam caducitatis contra legatarios, qui hypotecae fundos legatos subiicere praesumpsissent, proposito dubio: « An et quomodo prohibitio, de qua agitur, legatariis a Testatore imposita sustineretur.» S. C. respondit: *Non sustineri.*

Ultimo loco Angeli nepotes reponebant patruum suum praescriptione sese tueri non posse, quemadmodum enim dominii incapax erat ex titulo haereditario, ita neque ex titulo usucapionis, aliove quocumque, adinstar servi, cui dominium rerum ex iure Caesareo omnino interdicebatur. Quod si Angelo aliae aderant crediti causae contra nepotes, separato eas iudicio persequi debuisset, si, et quatenus, de iure.

Animadversiones in casu ex officio propositae. — Tametsi Regulares viri, testamenti factionis activae ac passivae plane sint incapaces, nihilominus, iustis accedentibus circumstantiis, Summus Pontifex pro suprema sua potestate Regularibus ipsis utramque elargiri potest: huius rei plura possent exempla in medium afferri, quorum nonnulla recenset Folium S. C. Conc. in *Bononien.* 3 *Iunii* 1784 §. *Non desunt exempla.* Quin imo etiam ex ordinario iure existunt casus quibus viri religiosi, donec vivant, ius adipiscuntur utendi fruendique haereditatibus sibi delatis;

talis est Regularis ad Episcopatum evectus, qui haereditates post egressum e Religione capere quoad proprietatem favore ecclesiae suae, quoad usufructum favore suimetipsius minime prohibetur; quin obstet bonorum renunciatio in professione elicita; haec enim non extenditur ad haereditates, quae non sint alteri ante Episcopatum acquisitae, veluti S. C. Conc. definivit in *Neapolitana* 7 *Decem.* 1639 *lib.* 16 *Decr. f.* 306. (1) Talis est etiam Canonicus Regularis, qui ad saecularem animarum curam administrandam assumptus fuerat, ceu factum est in *Firman. diei* 23 *Maii* 1722 *ad II et die* 7 *Iulii anni sequentis,* in qua, cuidam Adamo Canonico Regulari Lateranensi saeculari parochia aucto, haereditatis sibi devolutae usum liberum, quoad viveret, Sacer Ordo adiudicavit.

Dubium.

« An et quomodo providendum sit in casu.»

Resolutio dubii. — S. C. Ep. et Reg. die 23 Ian. 1863 respondit: *Affirmative, et attentis peculiaribus circumstantiis supplicandum SSmo pro venia retentionis bonorum per sacerdotem* Angelum *durante eius vita, salva tamen proprietate favore haeredum legitimorum Seraphinae NN.*

Ex iis colliges:

I. Religiones Regulares ordinario possidendi capaces esse in communi, non individuo.

II. Excipi vero nominatim Fratres S. Francisci, Cappucinos, et Minores Observantes, qui nec in communi nec in individuo possidendi capaces habentur.

III. Itaque, his exceptis, si cui religioso aliqua haereditas vel legatum obveniat, loco eius succedit Religio.

IV. Summum Pontificem, iustis accedentibus causis, Religiosis testamenti factione activa et passiva carentibus interdum indul-

(1) Quaesitum fuit in ea causa: I « An » Regularis professus incapax bonorum » ad Episcopatum assumptus recuperet » ius possidendi quoad haereditates post » assumptum Episcopatum sibi delatas.» II. «An eidem obstet cessio, et renunciatio » huiusmodi haereditatum facta ad favo- » rem fratris ad praescriptum S. Concilii » Trid. c. 16 sess. 25 de Regul.» S. C. respondit: ad I. *Recuperare ius succedendi ad haereditates post adeptum Episcopatum, ad utilitatem suae ecclesiae sibi delatas quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum.* Ad II. *Eidem non obstare supradictam cessionem et renunciationem quoad haereditates, quae non sint alteri ante adeptum Episcopatum acquisitae.*

*

gere, ut testamenta condere, et haereditates legatave capere queant.

IV. Episcopos Regulares ad Episcopatum assumptos capere posse haereditates et legata post Episcopatum sibi delata.

VI. Id autem ita intelligi, ut sibi liberum usumfructum, quoad vixerint, acquirant, proprietatem vero ecclesiae, cui desponsi sunt.

VII. Canonicum Regularem saeculari parochia auctum, posse itidem quoad usumfructum haereditates et legata sibi posthac obvenientia capere et obtinere.

EMPHYTEUSIS.

Die 8 *Martii* 1861.

Compendium facti. Extat in quadam ecclesia SS̃mae Mariae Virgini dicata, beneficium iuripatronatus obnoxium Excm̃i cuiusdam Dynastae; et inter fundos, qui beneficii dotem constituunt, non exiguus recensetur ager, qui reditum scutatorum octodecim quolibet anno reddebat, fructum multo uberiorem redditurus, si aliqua emponemata, vulgo meliorationes, in eo peractae fuissent. Quae videns sacerdos Salvator beneficii Rector nactus est hominem, qui agrum ipsum in perpetuam emphyteusim acciperet, adpromisso canone annuo scutatorum triginta supra octo. Itaque idem Rector, nulla Excm̃o Patrono eius rei significatione facta, sed S. C. Ep. et Reg. adita, veniaque impetrata, publice edicta proposuit, quibus ad emphyteusim oblatores invitabantur. Cum tamen unus ille homo, praeterea nemo, comparuisset, ex decreto S. C. Ep. et Reg., eidem emphyteusis deliberata est, salvo iure Vigesimae et Sextae, ad normam Decretorum Generalium eiusdem S. Congregationis (1).

Instaurato certamine pro Vigesima, nullus extitit oblator: At vero cum experimentum Sextae perfectum fuisset, inventus est Titius, qui canonem ad scutata 43 adauxit. Quae oblatio

(1) Vide Append. IX.

deliberatario significata cum fuisset, eam hic omni ex parte accepto habere non dubitavit. Cum iam in eum locum adducta res esset, ut Instrumentum definitivum cum homine illo conficeretur, Dynasta Patronus huiusce negotii certior factus apud S. C. Ep. et Reg. oblato libello conquestus est, nullo praehabito suo consensu, quin imo sese plane inscio, ad eum Emphyteuseos contractum deveniri: itaque postulabat, ut acta eatenus celebrata rescinderentur. Ordinarius ea de causa rogatus S. C. rescribebat, negari, ut sibi videbatur, non posse definitivi instrumenti celebratione, dummodo Patroni consensum ad eum contractum absolvendum omnino necessarium non aestimaret S. Congregatio.

Disceptatio synoptica.

Quid Patronus opponeret. — Excmus Dynasta Patronus acta omnia veluti nulla traducebat ex eo quod rescriptum a S. C. Ep. et Reg. prout ipse tuebatur, obreptionis, ac subreptionis vitio laboraret; nam in precibus nulla patronatus mentio facta fuerat, nulla Patrono de Emphyteusi celebranda data significatio, neque consensus exquisitus; insuper Emphyteusis in perpetuum duratura erat, quod ab ordinaria S. C. disciplina alienum est, ac denique contractus seu distractus a beneficiato proponebatur, qui minime beneficii dominus, sed merus administrator existit. Denique idem Patronus, quando Emphyteusis ad effectum omnino perduci ex S. C. decreto debuisset, ipsemet sese offerebat, eum in finem, ut contractum illum eodem persoluto canone, eisdemque conditionibus in se susciperet.

Quid responderet deliberatarius. — Hic in eo totus erat, ut ostenderet acta, quae in tribus experimentis locum habuerant, adamussim iuxta Decreta Generalia S. C. absoluta fuisse, adeoque nihil impedimento esse, quominus instrumenti stipulatio permitteretur; quin imo contendebat sine iniuria hoc in rerum statu id sibi denegari non posse. Neque enim ceteroquin Patroni interpellatione vel consensu opus est, qui econtra in administratione fundorum beneficialium sese immiscere prohibetur. Quoniam autem a S. C. venia petita fuit, eaque per Ordinarium de precum veritate edocta, evidentem beneficii utilitatem agnovit ac probavit, nihil reliquum esse quisque videt, nisi, ut res numeris

omnibus ad unguem absoluta esse dicatur, adeoque nihil obesse, ut instrumenti celebratio opus coronaret.

Quid ex officio animadverteretur. — Ex praescripto Concilii Tridentini *sess.* 24 *cap.* 3 *de Reform.* prohibitum est patronis beneficiorum, ne in administratione bonorum beneficialium ingerere sese audeant. Nihilo tamen secius non idcirco iisdem ius adimitur invigilandi, ut eadem administratio recte procedat, et beneficialis dos ne dilapidetur. Hanc ad rem Doctores triplicem distinguunt administrationis speciem. *Alia est enim* (ita Archid. in *cap. Laicis* 16 *qu.* 17 *n.* 1) *auctoritatis, et haec est solius Episcopi. Alia est ministerialis, et haec est Oeconomi qui tantum est, sive debet esse clericus. Alia providentiae est et sollicitudinis, et haec competit Laicis puta Patrono.* Card. De Luca *ex Miscell. Disc.* 35 *n.* 11.

Immo accuratius rerum canonicarum Interpretes in hoc argumento quaestionem proponunt, an Patronorum consensus ad fundorum beneficialium alienationem necessarius plane sit. Ipsi proinde discrimen statuunt inter alienationem *voluntariam* et *necessariam,* pro hac extrema docent, Patroni consensum requiri non *ex necessitate actus ac validitate,* sed solummodo ex *quadam urbanitate ac honestate.* Quod vero alteram respicit integrum Patrono esse autumant, sese opponere, contradicere, suumque dissensum interponere: nisi quod oppositio (ita Fargna *De Iur. Patron. p. I. can. IV. cas. VI. n.* 11) « seu dissensus patroni » est attendendus, si ipsemet alleget causam rationabilem et gra» vem, quae grave involvat praeiudicium ecclesiae patronali, » secus si nullum affertur praeiudicium.»

Iamvero si alienatio accidat, causa per Sanctam Sedem praecognita, et accedente eius venia iam planum est non amplius licere Patrono sese opponere, etiamsi idem nullatenus interpellatus fuerit: neque enim *gravis ac rationabilis* sese opponendi subesse potest causa, postquam Sancta Sedes ea quae scitu necessaria erant, sedulo exquisiverit, in promptu habuerit, et alienationem auctoraverit, quod in causa, de qua agebatur, adamussim obveniebat.

Dubium.

« An et quomodo attendendae sint Patroni reclamationes in » casu.»

Resolutio dubii. — Die 8 Martii 1861. Emi Patres rescripserunt *Negative*.

Ex iis colliges:

I. Prohibitum esse Patrono sese immiscere in administratione bonorum beneficialium.

II. At vero non esse eidem ademptum ius invigilandi, ne bona beneficialia male administrentur.

III. In alienatione bonorum beneficialium non requiri eiusdem consensum, quando contra alienationem gravis et rationabilis causa ab eo non opponatur, et ceteroquin solemnitates a iure canonico praescriptae observentur.

RENUNCIATIONIS.

Die 8 *Maii* 1864.

Compendium facti. Cum Parochus Oppiduli cuiusdam ob malam cum muliere consuetudinem vitamque inhonestam populo spirituale offendiculum praeberet, ab Episcopo dioecesano ea de re edocto, pluribus identidem punitionibus affectus est. Quoniam vero a pravo vitae instituto non deflectebat, neque ulla resipiscentiae signa suppeditabat, idem Episcopus de uno ad aliud Coenobium ad spiritualia exercitia peragenda ablegabat, quin suae unquam paroeciae redderetur. Hoc in rerum statu Parochus, inscio Episcopo, Romam se contulit, et S. C. Ep. et Reg. suas querelas detulit, plura eius, quam ipse se ab Episcopo pati asserebat, vexationis argumenta depromens. Itaque S. C. Episcopo preces remisit, eumdemque hortatus est, ut de criminationibus, quae in Oratorem congerebantur, iuxta normas a iure canonico praescriptas inquireret.

At vero Episcopus, qui Parochum, alias iam ad renunciationem beneficii parochialis inducere nequicquam adnisus fuerat, hasce tractactiones resumere maluit, easque validius urgere, alia Parocho adpromissa adsignatione, unde substentationem haberet: quae res e sententia Episcopo cessit. Nam Parochus aliquando tandem animum induxit, ut paroeciae nuncium mitteret, et in eius locum portionem in ecclesia receptitia alterius

oppiduli assequeretur. Itaque die 15 Augusti 1859 actum renunciationis sponte ac libere, uti aiebat, emissae, Episcopali Curiae inscriptis tradendum curavit. Curia sub data eiusdem diei actum acceptationis edidit, in eoque a Parocho *iuramentum corporale* (idest veluti personaliter elicitum) superadditum fuisse legebatur. Sciendum tamen, quod eo die 15 Augusti, Parochus a civitate Dioecesis principe, ubi Curia èxtabat, in alia civitate versabatur, quae triginta vel quadraginta milliaria aCuria distabat. Ex quo manifestum erat, actum acceptationis, perfici nequivisse eodem die, quo renunciationis actus prodierat, multoque minus fieri potuisse, ut Parochus tanquam praesens iuramentum eliceret, nisi bilocationis munere prodigialiter gavisus esset; neque enim ceteroquin ferrea suberat, quae curribus vaporiferis brevi devorari posset.

Nihilo tamen secius Parochus ad memoratam receptitiam ecclesiam illico profectus erat, in eamque ab eiusdem Clero rite admissus sine ulla contradictione fuerat. Cum pacifice circa duos annos ibidem moratus esset, rei pertaesus, iterum ad S. C. Ep. et Reg. suas preces submisit, quibus ad renunciationem se per vim coactum fuisse lamentabatur; eam igitur uti nulliter emissam declarari postulabat, cum praesertim actus acceptationis duplici falsitatis vitio laborans, nempe *datae,* et corporalis iuramenti, ut superius adnotatum est, tamquam non elicitus haberi deberet.

Disceptatio synoptica.

Quae rationum momenta pro Parocho afferrentur. Renunciatio beneficiorum iuxta sacros Canones valida dici nequit, nisi certae definitaeque servatae fuerint solemnitates. Et quamvis inquisitio omitteretur, an earum implemento locus factus foret, attamen illud praecipuum ac primum inspiciebatur, ut satis non sit renunciationem a beneficiato emitti, nisi a Superiore formiter acceptetur. Atqui in themate planum erat, a Superiore acceptationis actum non fuisse editum: quod enim nulliter actum est nullos parit effectus. Porro de nullitate dubitari plane non poterat; die siquidem 15 Augusti acceptatio facta fuisse dicebatur, et insuper ab oratore iuramentum prolatum coram fuisse, cum reapse neutrum veritati initeretur.

Perperam vero obiiceretur necessarium non esse, ut renunciatio et acceptatio uno eodemque contextu absolvantur, perinde ac potuerit Episcopus acceptationem omni demum tempore perficere. Respondetur enim id tum verum esse, cum res adhuc integra est, videlicet quando renuncians actum renunciationis nondum revocaverit, minime vero cum secus fuerit, prout ab Oratore factum fuisse per preces S. C. allatas plane constabat. Vid. Ferraris *V. Renunciatio n.* 32 *ac* 33.

Neque itidem ullatenus obesset excipere ab Oratore renunciationem ratihabitam fuisse per pensionem in ecclesia receptitia, quam et accepto habuerat, et duobus annis re exegerat. Quod enim initio *vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere;* cum praesertim ageretur de pensione, quae inter beneficia non comprehenditur subroganda titulo paroeciali, quo insuper ceu patrimonio sacro Orator utebatur.

Quid contra parochum responderetur. — Canonica causa, ex qua Oratori parochiam deserere licebat, nedum abunde aderat, quin imo talis erat, ut ipsum ad eam deserendam cogere debuisset, scandalum videlicet quod populo ex inhonesta sua vita exhibebat. Praeterea indubitatum in facto erat, quod Orator renunciationis, et Episcopus acceptationis actum emisisset: uterque siquidem per extensum inter acta producebatur. Si vero in *data* erratum fuerat, itemque in iuramento personaliter elicito, error hic, nequaquam actus substantiam, sed accidentalia solummodo respiciebat. Etenim iis etiam positis, nequaquam negari potest, Episcopum acceptationi revera locum non fecisse.

Subinde probe novit etiam qui vix canonicae iurisprudentiae limina salutaverit, canonicam resignationem bifariam dividi, in *expressam* videlicet ac *tacitam*. Quamquam itaque parumper concedere velles, expressam, de qua hactenus locuti sumus, attendi non debere; nihilominus declinari non posset alia, quae tum habetur, cum aliquis ponitur actus, qui necessario eamdem secumferat. Sic ex. gr. in emphyteusi si dominus utilis, domino directo canonem libere solvit, emphytheusim ipsam idem recognoscere et admittere dicitur. Iamvero Orator renunciationem emiserat sub conditione, ut portio sibi in praedicta ecclesia receptitia adsignaretur: si igitur conditionem accepto ha-

buit, et renunciationem, quam portio secum ferebat, excepisse dici debet. Cap. *Transmissa* 2 *de Renunc.* Cap. *Ex ore* 3. *De his, quae fiunt,* Barbosa *Ius Ecc. Univ. lib.* 3 *cap.* 13 *n.* 40 *et seq.* Piringh. *lib.* 1 *tit.* 9 *n.* 3. *Reinf. eod. tit. n.* 10.

Utcumque vero se res haberet, cum salus populi suprema lex sit, et restitutio Parochi ad renunciatam parochiam, in spirituale populi detrimentum procul omni dubio processura esset, veluti circumstantiae omnes in casu concurrentes comprobare viderentur, a S. C. specialiter exorabat Episcopus, ut, siquid etiam minus rectum in tota hac rei ratione forsitan admissum fuisset, apostolica sanatione ita sustineretur, ut quod gestum fuerit, in suo robore permanere indulgeatur.

Dubium,

« An et quomodo attendendae sint reclamationes Oratoris N. » in casu. »

Resolutio dubii. — S. C. Ep. et Reg. die 8 Maii 1864 rescripsit – *Negative in omnibus, firma remanente favore Sacerdotis Oratoris N. provisione in ecclesia receptitia S. Laurentii, facto verbo cum SSmo.* –

Ex his colliges:

I. Resignationem beneficiorum emitti debere ex certis causis in iure canonico praefinitis, eandemque non valere, nisi a Superiore acceptetur.

II. Renunciationem bifariam dividi, in expressam, videlicet ac tacitam.

III. Renunciationes aliquo vitio forsitan laborantes sanari ab Apostolica Sede, si aequa et rationibilis causa accedat (1).

(1) Qui potest iustis de causis beneficiatum suo beneficio privare, quin omnes solemnitates praescriptae observentur, absque dubitatione potest accepto habere renunciationem ab eodem beneficiato emissam, quamvis aliqua solemnitas, seu extrinseca forma ad actus validitatem requisita, fuerit omissa. In casu autem ad quodlibet dubium removendum, S. Congr. videtur clausulam adiecisse *facto verbo cum SSmo*, qua sanatus est acceptationis defectus, si forsan irrepsisset.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

VINCENTII ROMANO

PRAEPOSITI PAROCHI

OPPIDI HERCULANI NEAPOLITANAE DIOECESEOS.

Decretum. — « Quum agi iterum deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de Validitate omnium Processuum constructorum in Causa Ven. Servi Dei Vincentii Romano praedicti, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Alexander Barnabò huius Causae Ponens, instante R. D. Ianuario Battiloro ipsius Causae Postulatore, sequens dubium proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, nimirum – *An constet de validitate et relevantia Processuum, tam Apostolica, quam Ordinaria auctoritate, constructorum, Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* – Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribere rati sunt: – *Affirmative quoad validitatem, expulsis Testibus decimoquinto et quadragesimoquinto ex Processu Ordinario, et habeantur ut adminiculi Testes vigesimus nonus et trigesimus secundus.* Die 16 Septembris 1865.»

« Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX. per infrascriptum Substitutum Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum fideli relatione; Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die 21 iisdem Mense et Anno.»

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini Secretario.

Iosephus Ciccolini Substitutus.

Loco ✠ Sigilli

ORDINIS EREMITARUM

SANCTI AUGUSTINI

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

CHERUBINO TESTA AB AVILIANA

SACERDOTI PROFESSO EIUSDEM ORDINIS

BEATO NUNCUPATO

Decretum. — « Quum Rmus Pater Fr. Nicolaus Primavera Postulator Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, arbitretur se, satis validis monumentis, demonstrare posse apud Sacram Rituum Congregationem Servo Dei Cherubino Testa ab Aviliana Sacerdoti Professo eiusdem Ordinis publicum Ecclesiasticum Cultum ab immemorabili tributum fuisse, subscriptus Cardinalis Praefectus et Causae Ponens ad eiusdem Postulatoris preces, sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinalem hodierna die habitis – *An constet de Cultu publico Ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito Servo Dei, seu de casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII?* – Emi vero ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, adductis monumentis accurate consideratis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt. – *Affirmative seu constare de casu excepto si Sanctissimo placuerit.* Die 16 Septembris 1865. »

« Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX. a subscripto Substituto Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum fideli relatione; Sanctitas Sua, Sacrae Congregationis sententiam ratam habens, confirmare dignata est Cultum publicum Ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beato Cherubino Testa ab Aviliana, Sacerdoti Professo Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Die 21 iisdem Mense et Anno. »

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini Secretario.
Iosephus Ciccolini Substitutus.

Loco ✠ Sigilli

ROMANA seu ALBANEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

GASPARIS DEL BUFALO

CANONICI BASILICAE SANCTI MARCI DE URBE,

ET ISTITUTORIS CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C.

Decretum. — « In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo praedicti, quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de Validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum, R. D. Franciscus Virili Mis. Apost. Congregationis Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi et Causae Postulator, obtinuit ut ab Emo et Rmo Domino Cardinale Ludovico Altieri praefatae Causae Ponente, sequens Dubium proponeretur, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis – *An constet de validitate et relevantia Processuum, tam Apostolica, quam Ordinaria auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* – Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, audito etiam R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt – *Constare* – Die 16 Septembris 1865.»

« Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX. a subscripto Substituto Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere et confirmare dignata est. Die 21 iisdem Mense et Anno.»

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini Secretario.
Iosephus Ciccolini Substitutus.

Loco ✠ Sigilli.

DECRETUM GENERALE.

Die 21 *Ianuarii* 1864.

« Quum nonnulli Rm̃i per Orbem Ordinarii pluries exquisierint, et modo a S. Sede exquirant, utrum quarto Idus Novembris in Ecclesia universali, Festum S. Andreae Avellini Confessoris recoli debeat ritu duplici minori, quem praeseferunt recentiores editiones Breviarii, et Missalis Romani; subscriptus Secretarius S. R. C. sui muneris esse duxit SS̃mi D. N. Pii Papae IX. desuper exposcere oraculum. Sanctitas porro Sua clementer declaravit ut amodo festum S. Andreae Avellini Confessoris ab utroque Clero Urbis, et Orbis, ipsis non exclusis Sanctimonialibus, agatur ritu duplici minori, quem obtinet in alma Urbe et in pluribus Dioecesibus; dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21 Ianuarii 1864.»

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

CORDUBEN.

Die 20 *Decem.* 1864.

« Quum a pluribus annis in Hispania Comunitates hominum Regularium misere extinctae fuerint, sed nihilominus multae eorum Ecclesiae divino cultui distinatae remanserit, et in iis Directorium seu kalendarium respectivi Ordinis adhuc adhibeatur, praesertim in illis quibus uti Capellani inserviunt Religiosi eiusdem Ordinis, Rm̃us D. Ioannes Alphonsus de Alburquerque, Episcopus Cordubensis, ad dirimendas quaestiones, quae saepe saepius oriuntur inter Regulares, et sacerdotes saeculares circa Missarum celebrationem in huiusmodi ecclesiis, pastoralis sui muneris esse duxit a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitare; »

Dubia.

I. « An in Ecclesia Coenobii extincti ad celebrationem Mis- » sae, tam a Clero saeculari, quam a Regularibus etiam eiusdem » Ordinis ad quem Coenobium pertinebat, retinendum sit kalen- » darium Ordinis, vel assumendum kalendarium dioecesanum.»

II. « An eadem regula servanda sit etiam in ecclesia, cuius, » Capellanus inserviens, est Religiosus Ordinis ad quem illa per- » tinebat.»

III. « An in festis Sancti Titularis ecclesiae, vel coenobii et » sancti Fundatoris Ordinis ad quem ecclesia ipsa pertinebat, pos- » sint Missae celebrari de festo isto occurrente, quamvis in ka- » lendario dioecesano aliud festum occurrat.»

Sacra porro Rituum Congregatio in ordinariis comitiis ad Vaticanum coadunata, referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Provisum in praecedenti.*

Ad III. *In festo dumtaxat Sancti Titularis ecclesiae, non vero coenobii.*

Atque ita rescripsit die 20 Decembris 1864.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Ex quibus erues:

I. Per suppressionem, quamvis iniquam, ea Regularium privilegia saltem suspendi, quae Ordini tributa sunt uti corpori morali, sive uti societati sub disciplina regulari viventi.

II. Quare ea privilegia quae intuitu talis societatis collata sunt alicui ecclesiae, cessante, ex quolibet eventu, privilegii collati causa, cessent necesse est privilegia quibus, intuitu illius existentis causae, ecclesia peculiaris gaudet.

III. Cessantibus autem eiusmodi privilegiis, ius commune subintret oportet (1).

(1) Ex diversis quas attulimus causis huius generis, eruere potes doctrinae consonantiam quae viget apud SS. Congregationes. Nimirum ex causa S. C. Ep. et Reg. agitata *super iure funeranai die* 26 *Februarii* 1864 pag. 164: nec non ex causa apud S. C. Concilii acta *Oratorii privati die* 27 *Februarii* 1864 pag. 82.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Die 8 *Aprilis* 1865.

« Quum in una Tridentina diei 12 Martii 1836 interrogata Sacra Rituum Congregatio « num Litaniae Sanctorum iuxta praescriptum Rubricarum pro Fratribus Ordinis Minorum Sancti » Francisci, ex Indulto Apostolico rite dispositae, sint modo ab » iisdem de praecepto recitandae in Festo S. Marci et in Rogationibus» *affirmative* respondisset; accidit, ut responsio haec, anxietates et perplexitates pareret Religiosis animarum curam habentibus, et Religiosis illorum Conventuum qui adnexam habent ecclesiam parochialem. Ad omnem itaque anxietatem et perplexitatem removendam R. Pater Theophilus Boghetti Custos minoriticae familiae de observantia in Hetruria et Parochus Ecclesiae SSmi Salvatoris loci nuncupati Sancti Francisci *di Pietrasanta* in Archidioecesi Pisana sequentia SS. Rituum Congregationi enodanda proposuit

Dubia.

I. « In illis Conventibus in quibus Religiosus Parochus solus » cum populo adsistit processionibus, Litaniae Ordinis, an potius » communes Ecclesiae erunt vel cantandae vel recitandae? »

II. « Et quatenus cantandae, vel recitandae erunt litaniae » communes, satisfacitne suae obligationi Parochus has recitando, » vel potius repetere debeat litanias Ordinis? »

III. « In Conventibus in quibus Religiosi omnes ex laudabili » consuetudine processionibus intersunt, si populus litanias Ordinis nollet recitare, debebit eadem Religiosa familia Litanias » Ordinis vel in alia processione vel in choro recitare? »

Et Sacra eadem Congregatio in ordinario coetu ad Vaticanas aedes sub infrascripta die coacto, re mature diligenterque perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Recitandas esse litanias communes.*

Ad II. *Affirmative, satisfacit.*

Ad III. *Negative.* Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 8 Aprilis 1865.

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

MEXICAN. DIOECESIS SANCTAE FIDEI.

Die 18 *Septembris* 1862.

Decretum. — «Ad hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam, dubium delatum est ex parte R. P. Episcopi Sanctae Fidei in Novo Mexico hisce verbis enunciatum – Ho trovato stabilita la Confraternita di Nostra Signora del Carmine. Il Sacerdote autorizzato secondo le regole benedice gli Scapulari, ed un Secolare va a distribuirli in tutto il Territorio. Si possono in questo modo lucrare le Indulgenze? (1) - Eadem S. Congregatio, antequam quidquam decerneret, remisit instantiam uni ex Consultoribus eiusdem S. Congregationis, qui censuit respondendum esse – Negative quoad devotos, qui pro ingressu in Societatem habitum benedictum de manu Sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt – Itaque Emi Patres in generalibus Comitiis habitis die 11 Augusti 1862 in Aedibus Vaticanis, Consultoris sententiam approbantes responderunt -*Negative iuxta Votum Consultoris;* et facta de praemissis SSmo Dño Nostro Pio PP. IX. relatione, per me infrascriptum substitutum Secretariae praememoratae S. Congregationis, in Audientia habita die 18 Sept. 1862, idem SSmus responsum Emorum Patrum benigne confirmavit.-»

Datum Romae ex Secretar. S. Congreg. Indulgentiarum.

Loco ✠ Sigilli.

F. Card. Asquinius Praef.

A. Archipr. Prinzivalli Substitutus.

(1) Statutam inveni Confraternitatem Nostrae Dominae de Monte Carmelo. Sacerdos ad id legitime deputatus scapularibus iuxta praescriptum benedicit, et Laicus eadem scapularia distribuit per integrum territorium. Possunt ne hoc modo lucrifieri Indulgentiae?

Votum Consultoris.

Hoc est Carmelitici Consultoris votum iuxta quod S. Congregatio censuit respondere.

« Inter tot tantaque argumenta ad aeternam fidelium salutem promovendam opportuna, quibus abundat pia mater catholica Ecclesia, devotae congregationes, seu confraternitates sunt enumerandae, utpote fontes bonorum operum; ex quibus non ultimum profecto sibi vindicat locum coetus, qui militans sub vexillo Bm̃ae Virginis de Monte Carmelo eius sancto habitu honestatur. Ab ipsa quippe benignissima Dei Genitrice Virgine Maria institutus, Ecclesiae cognitus, et probatus, illis praestat spiritualibus emolumentis, quae pium fidelemque legum sectatorem ad exoptatam beatitudinem tuto valeant perducere. Transcribuntur (1) enimvero confratres in specialem Deiparae filiationem; salus illius a periculis animi, et corporis praesto est; iuvantur in morte; post exitum piacularibus flammis cito eripiuntur; bonorum operum, et suffragiorum universi Ordinis Carmelitici, peculiari participatione locupletantur. Hisce permoti Summi Pontifices (2) nedum firmarunt sodalitium sacri Scapularis constitutionibus suis, sed copiosa insuper largitione indulgentiarum eiusdem incremento prospexere. Hac enim illecebra innumeri per universam Ecclesiam devoti, persuasi de veritate promissionis a Dei Matre factae Sancto Simoni Stok in favore confratrum, pium hunc ritum religiose usurpantium, magna voluntate sodalitati dant nomen, eorumque spes laetissimo, ut plurimum, exitu coronatur.»

« Quamobrem summopere commendandus erit piissimus zelus Illm̃i ac Revm̃i Episcopi Sanctae Fidei in Novo Mexico, qui, cum exultaret gaudio quod propagatam cerneret apud suos vestis Marianae societatem, merito dubius, et trepidus, num, legitima utilique ratione oves suae, mystico Carmeli corpori inserantur, eo quod Sacerdos ibidem ad id deputatus benedicat scapularibus, et laicus eadem benedicta deferat, et tribuat

(2) Videndi Daniel a Virgine Maria, Theophilus Ragnandus de Scapulari, Paulus ob omnibus Sanctis in clavi aurea.

(2) Ioannes XXII. Alexander V. Clemens VII. Paulus III. S. Pius V. Gregorii XIII, XIV. Clemens X.

catholicis per territorium dispersis; quaesivit a Sacra Congregatione, num attento tali more devoti lucrentur indulgentias concessas Sodalibus Carmelitis.»

« Cui dubitationi, ut satisfiat, animadvertere opus est, emolumenta omnia, et spiritualia lucra Carmelitici Sodalitii, illis cedere tantummodo, qui in societatem canonice erectam non quocumque, sed legitimo modo servatisque essentialibus conditionibus fuerint admissi.»

« Id expressum legitur in summario indulgentiarum ab hac S. Congregatione recognito, et probato, quod extat in *Bullar. Carmel. tom.* 2 *pag.* 604 – E primieramente debbono i devoti entrare in qualche compagnia canonicamente eretta (1). – »

« Theodorus Stratius Prior Generalis Carmelitarum in aureo libello de Indulgentiis c. 12. scripsit: « quoad Indulgentias igitur primo loco requiritur, ut fideles ingrediantur aliquam confraternitatem sacri Scapularis canonice erectam.»

« Eadem insinuant Daniel a Virgine Maria, Ioannes de Lezana, Iraeneus a S. Iacobo, Simon Grassi, Ioseph a Iesu, et quotquot de hac re scripserunt. Et merito sane ab eiusmodi siquidem praescriptione praescindi nullatenus poterat. Beatissima enim Virgo pollicitationibus suis, et Pont. Maximi indulgentiarum thesauro non aliis, quam professione, vel adscriptione Carmelitis, prodesse voluerunt. « Accipe hoc tui Ordinis scapulare, tibi et cunctis Carmelitis privilegium » ait Sacratissima Mater dilectissimo sibi Simoni. De confratribus non quocumque modo, sed servato ritu Ordinis nostri, adscriptis vel adscribendis loquuntur diplomata Pauli V. et Clementis X. Nec vero rem merentur confratris, nec nomen, qui piae societati legitime, nempe substantialibus servatis conditionibus, adsciti non fuerint.»

« Essentialis porro legitimae admissionis lex iubet, devotum quemque, habitum immediate recipere de manu Superioris in Ordine, vel alterius Sacerdotis ad id deputati. Lucet haec assertio ex Constitutionibus Ordinis nostri Romae impressis *an.* 1625 *p.* 4 *c.* 28 §. 7. ibi - Ut quis autem inter Confratres rite et legitime sit receptus, duo sunt necessaria, alterum . . . . alterum ut Scapulare benedictum ab aliquo Superiore Ordinis, vel habente

(1) « Et ante omnia debent Devoti ingredi societatem canonice erectam.»

*

ab illo facultatem recipiat. - Concinit Theodorus Stratius Generalis *loc. cit.* - Pro ingressu in societatem duo arbitror necessaria.... alterum ut recipiat Scapulare benedictum ab aliquo Praelato Ordinis vel ab habente ab eo auctoritatem quod omnes admittunt. - Summarium indulgentiarum iam laudatum praescribit: - Ed acciocchè il loro ingresso sia legittimo, bisogna, che ricevano lo Scapolare benedetto dal Superiore della Religione, o da altro Sacerdote che dal Superiore abbia autorità (1).-»

« His perfecte cohaeret formula, seu ritus admissionis, quem habemus praescriptum a citatis Constitutionibus Ordinis, et insertum Breviario atque ritualibus libris. Sacer quippe ritus sic disponitur, ut prius afferantur preces ab habente auctoritatem fundendae super admittendum ad societatem, dein subdatur formula benedictionis habitus ab eodem peragenda, postremo exhibeantur verba a Sacerdote ipso proferenda dum habitum imponit suscipienti, ita « *Accipe vir, vel mulier devota hunc habitum benedictum etc.* » Itaque, vi huius formulae religiosissime in praxim deductae, ut receptio in societatem sit legitima, ab illo immediate habitus est imponendus, a quo idem benedictione est sanctificandus; atqui habitus, qui est tessera, et insigne Societatis, ab eo tantum est benedicendus, qui ad id speciali gaudet potestate, ergo ab hoc tantummodo ipse habitus est immediate imponendus.»

« Sed omnem de hac re dubitationem tollit, et praecidit praxis seu consuetudo in Ordine intemerate servata usque in praesens. Si enim, ut scite Beatus Augustinus, mos populi Dei, et instituta maiorum pro lege tenenda sunt, id maxime affirmandum est de consuetudine nostra in Religione integre servata, eos agnoscendi legitimos Confratres, et probandi, qui habitum receperint ab habente ad id potestatem, eos e converso habendi alienos, et extraneos, qui Stokianam vestem non obtinuerint ab eo cui legitimum ius insit illam imponendi; nulla profecto ex conditionibus, quae in consuetudine exiguntur, vel ad sensum legis authentice determinandum, vel ad novum ius instituendum, huic nostrae deest. Est in primis quam maxime ra-

(1) « Et ut eorumdem (devotorum) » ingressus sit legitimus, oportet ut recipiant scapulare benedictum a superiore » Ordinis, vel ab alio sacerdote, qui a superiore habeat auctoritatem.»

tionabilis, quia nihil rectae rationi conformius, quam actus substantiales, ad receptionem novorum sociorum, unice et exclusive reservare illis, qui in societate ipsa peculiarem ad id obtinent potestatem. Eadem firmat usus quotidianus a maioribus receptus, sancte, et illibate custoditus, hac potissimum de causa, quod persuasum semper omnibus de Ordine fuerit, nullas, et irritas prorsus futuras esse admissiones in Sodalitatem, in quibus praefata lex violata fuisset. Testes dabo omni exceptione maiores Simonem Grassi *Narratione etc. pag.* 30. « Sempre però » è necessario che nell' ingresso a questa Santa Compagnia qual- » sivoglia Scapolare sia benedetto, et dato da persona, che ab- » bia tale autorità dalla Religione Carmelitana (1).» Ioseph a Iesu *Instruzione all' Abitino c.* 10. *pag.* 245. « E se alcuno non rice- » vesse l' abito benedetto al collo dal Sacerdote, ma se lo met- » tesse da sè, ancorchè lo abbia preso dalla Compagnia, non » sarebbe bene ricevuto nella medesima (2).» Neque demum temporis diuturnitas desideratur in ea; ab instituta enim sacri Scapularis Societate septimum iam decurrit saeculum, nec ta-

(1) « Semper tamen est necessarium » ut in ingressu in hanc sanctam sodali- » tatem, quodlibet Scapulare sit benedi- » ctum, et datum a persona quae habeat » talem auctoritatem ab Ordine carmeli- » tico.»

(2) « Et si aliquis non susciperet ha- » bitum collo a Sacerdote, sed per se sibi » imponeret, etiamsi a Sodalitate illum » habuerit, non bene adscitus esset eidem » Sodalitati.»

Ad hanc confirmandam auctoritatem quam Consultor allegavit confert Indultum quod concessum fuit a R. P. Pio VII. die 8 Ianuarii 1803 Congregationi SS. Redemptoris a S. Alphonso Maria de Ligorio fundatae. Etenim cum Superior Generalis dictae Congregationis exposuisset, quod occasione sacrarum missionum in actu praedicationis, innumera fidelibus exhibentur scapularia benedicenda, quae tunc fideles in manibus gestant, ac postea manibus propriis sibi ipsis imponunt, et cum postulasset, ut, non obstante omissione praescriptae formae, in posterum fas sit supradictis Sacerdotibus praefatis Scapularibus benedicere, unica nempe formula, ac si eadem servata fuerit. SSmus annuit *pro gratia iuxta petita.* Post haec cum dubium exortum esset an deficiente impositione scapularis per manum sacerdotis, ac expressa receptione ad confraternitatem Ordinis, valida esset admissio fidelium in confraternitatem et fruantur indulgentiis et gratiis; S. Congregatio respondit: *Affirmative facto verbo cum SSmo pro sanatione ad cautelam quoad praeteritum, et pro concessione extensionis indulti, quatenus opus sit, quoad, futurum.* Quare speciale indultum requiritur in casu, in quo urgeat rationabile motivum, ut fideles sibi, scapulare benedictum a sacerdote, propriis manibus imponant, ut rite adscripti censeantur.

men, in tam longo temporis tractu, assignari poterit epocha ulla, qua, aggregationes de quibus agitur, non fuerint factae per eos, qui speciali auctoritate pollerent; nempe per Ordinis Superiores, vel per deputatos ab illis, factae inquam per traditionem habitus benedicti. »

« Demum haec ipsa S. Congregatio decreto suo 24 Augusti 1844 declaravit validas receptiones ad societatem Carmeli in quibus servata fuissent substantialia ex illis quae in ritu Ordinis praescribuntur. Substantialia vero designavit - benedictionem, et impositionem habitus - Atqui ut ex supradictis constat eiusmodi benedictio et impositio sacrae Vestis iuxta ritum Carmelitarum solis Praelatis, et deputatis ab illis, legitime permittitur, ergo etc....(1)»

« Liquet interim ex hactenus adductis I. Neminem ad Confraternitatem Carmeli pertinere, qui eamdem non fuerit legitime ingressus.»

« II. Eum de legitimo ingressu posse laetari qui habitum benedictum receperit ab habente ad id potestatem.»

« III. Eiusmodi auctoritatem ordinariam a Praelatis Ordinis possideri, delegatam absque iure subdelegandi reperiri in designatis ab illis.»

« IV. Eos, qui habitum receperint ab illo cui nec ordinaria insit, nec delegata facultas, manere extraneos ipsi mariali Societati.»

« V. Nec patronatum Virginis, nec participationem specialem bonorum Religionis Carmelitanae, neque indulgentias eosdem posse sibi vindicare. »

(1) In citato a Consultore decreto hoc dubium tertio loco positum reperitur «An » rata sit fidelium adscriptio Confraternitati supradictae quae fit a Sacerdotibus » quidem facultatem habentibus, non » servata tamen forma in Rituali, et » Breviario Ordinis Carmelitarum adscripta.» S. Congregatio rerpondit: *Affirmative dummodo sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in Benedictione et Impositione habitus ac in receptione ad Confraternitatem.*

Huiusmodi habitus receptio iam praescripta videbatur in Constitutione Pauli V. 30 Octobris 1606; nec non in Brevi Clementis XI. 24 Novembris 1702, in quo R. Pontifex confirmat quoddam Decretum Emi Sacripante, Ordinis Carmelitarum Protectoris, in quo dicitur : « ad» missos ad aliquam canonice erectam » Confraternitatem, huiusmodi teneri pri» ma vice recipere habitum, seu Scapulare » benedictum a Superioribus Religionis, » vel ab alio Sacerdote, cui dicta benedi» cendi facultas fuerit attributa.»

« Referente Antistite Rmo Novi Mexici ibidem quoad Confraternitatem Sacrae Vestis talis mos viget, ut Scapularia a Sacerdote habente auctoritatem benedicta laicus deferat, tradatque fidelibus in territorio consistentibus. Optime quidem si sermo sit de piis qui iampridem immediate sanctum habitum receperint a Sacerdote praedicto, potestate admittendi pollente. Quamvis enim, primo habitu benedicto, nulla praeterea sit necessitas, illo amisso, vel consumpto, novos benedictione sanctificandi, valde tamen laudabile erit, etiam istos benedictione sacratos assumere (1). Si vero agatur de fidelibus numquam per observantiam ritus substantialis, legitime Societatem ingressis, palam est, hos manere extraneos societati, utpote qui nec legitime, nec valide in ipsam potuerint referri. Laicus enim a Sacerdote missus, nec a seipso, nec a mittente, habuit potestatem requisitam ad aggregandos novos sodales, non a seipso, ut patet, non a mittente, quia delegatus in hoc casu non potest subdelegare (2) cum voluntas Ordinis concedentis talem potestatem, positive resistat huic subdelegationi. Actus igitur, quo fideles illi praesumi possent adscripti, est nullus, et invalidus, utpote destitutus essentialibus conditionibus supra expositis. Unde satis con-

(1) Ad haec quae Consultor indicavit, facit ulterius similis resolutio data dubio proposito die 27 Maii 1857. Quaesitum enim est: « an qui rite semel adscripti in » Sodalitate Scapularis B. M. V. de Monte » Carmelo, postea habitum sacrum Sodali- » tatis dimiserunt, teneantur ad novam » sacri habitus receptionem a potestate ha- » bente si velint Indulgentias praedictae » Sodalitati a summis Pontificibus conces- » sas lucrari: vel an sufficiat ut habitum sa- » crum ipsi denuo resumant simpliciter.» Sacra Congregatio respondit: *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Quare etiam ille qui habitum sacrum dimiserit, atque illum post quodcumque temporis intervallum, simpliciter reassumpserit, non indiget nova adscriptione, et sacri habitus receptione ab habente potestatem.

(2) Hoc descendit etiam ex generali regula, qua praescribitur, eum, qui a principe non est delegatus, subdelegare non posse, exceptis excipiendis. Responsio quaedam habetur S. Congr. data sequenti dubio, Parochus loci de la Savante Dioecesis Ambianensis, petens a S. Sede Indultum benedicendi sacrum Scapulare, hoc dubium proposuit S. C. Ind. I. « An hoc » idem indultum communicare possit tri- » bus aliis suis Confratribus.» Sacra Congregatio die 6 Augusti 1841 respondit: ad I. *Recurrat unusquisque singulariter pro impetratione facultatis benedicendi, et imponendi sacra Scapularia.* Censuit nimirum S. Congregatio directe dubium non solvere, cum altera haberetur via, qua petitioni fieret satis. Et forsan pro negativa responsione stetisset si illud diremisset. Tantum enim personale videtur fuisse indultum quod a S. Sede fuerat Parocho concessum.

stare videtur, fideles Novi Mexici, taliter habitum Virginis Karmelitidis recipientes, non posse lucrari indulgentias legitimis sodalibus concessas.»

« Consulerem proinde S. Congregationi ut Rmo Episcopo petenti responsum det sub hac vel aequivalenti formula. *Negative quoad devotos, qui pro ingressu in Societatem habitum benedictum de manu Sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt.*»

« Quae quidem sint dicta absque praeiudicio sanius sapientis, et sub censura etc.»

ANDEGAVEN.

Die 29 *Februarii* 1864.

Episcopus Andegavensis ex parte Parochi ecclesiae vulgo De Candé eiusdem Dioecesis Andegavensis, SSmo Patri sequentia humillime exposuit.

Quod S. Maxentiolus vulgo, S. Maxentiol, discipulus S. Martini Turonen. dioecesis decessit in urbe Cunaud Andegaven. dioecesis: ubi eius reliquias, maxima, semper omnes Christifideles prosequuti sunt, veneratione.

Quod ecclesia parochialis ab immemorabili eius corpus possidet.

Reliquiarium, quod illud custodit, saeculum XIII. habet adscriptum, sed omnino caret authentica et sigillo.

Eoque in statu publicae venerationi usque ad hos ultimos annos expositum fuisse, sed, ecclesiae instaurandae causa, in Sacrarium translatum, ubi nunc est sub Episcopi Oratoris sigillo.

Quod impossibile est probare, illa non esse ossa S. Maxentioli, nam sub hoc nomine populus Reliquiarium agnoscit.

Quod, transacto anno, ecclesiasticorum ab Episcopo Oratore missa legatio, dicta ossa ad examen vocavit, nullaque illi adversata est oppositio in formali recognitione.

Quod medicus agnovit ossa pertinere eidem corpori, exceptis duobus, quae alterius corporis sunt.

In Gallia vero, haud difficile est, in eadem urna invenire corpora, aut corporum partes pluribus Sanctis pertinentes.

Hisce expositis cum dubia exorta idem Praesul dirimere ex se non auderet, sequentia proposuit S. Congregationi resolvenda

Dubia.

I. « Cum desint authenticae literae, an possessio ab imme» morabili et non interrupta, ut etiam publicus cultus, idest, » certitudo moralis, sit res sufficiens ut dicto S. Maxentioli cor» pori veneratio tribuatur.»

II. « Quid de duobus ossibus pertinentibus alii corpori, mi» nime vero illi S. Maxentioli agendum sit, decetne in urna re» linquere, aut illa extrahere oporteat? »

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Die 29 Februarii 1864 censuit rescribendum:

Ad I. *Fideles non esse inquietandos.*

Ad II. *nihil esse innovandum.*

Ex iis colliges:

I. Non esse exturbandam longaevam fidelium venerationem, erga Reliquias, quas sine dubitatione coluerunt atque colunt uti reliquias alicuius Sancti, ex unico defectu legalis authenticitatis.

II. Neque esse aliquid innovandum in Reliquiis in eadem capsa ab immemorabili veneratis, quamvis nonnullae reperiantur quae ad eumdem Sanctum cuius reliquiarium nomen gerit, pertinere non videantur (1).

(1) Consentanea reputari potest Resolutio Sacrae Congregationis Indul. data 9 die Septembris 1675 ad sequens dubium: « An Cultrum e sepulchro Martyris sub » eius dorso repertum in aliquo coemete» rio, habendum sit pro instrumento Mar» tyrii, et exponi publice possit ut ei Fide» les cultum et venerationem exhibeant.» Ad quod S. Congregatio respondit: *Cultrum eiusmodi exponi posse una cum Corpore, sed non solum et seorsum.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. Feria III. die 26 Septembris 1865.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque, proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Historya Filosofii W. Zarysie, *seu* Lineamenta historiae Philosophiae, auctore Alberto Schwgler, ex quarta editione germanica in linguam polonicam translata, atque Appendice de Philosophia in Polonia aucta. A. F. K. Varsaviae 1863 in-8°.

L'Encyclique du 8 Décembre 1864 et la liberté. Adresse aux Évêques. Paris E. Dentu, Libraire-Éditeur 1865.

Ideal de la Humanidad para la vida con introduccion y comentarios, por D. Iulian Sanz del Rio Madrid, imprenta de Manuel Galiano 1860.

Il Sacerdozio è il canchero che rosica il Genere umano; per Giuli Zimmertzik; versione dell' originale Tedesco. Prima edizione 1865.

Storia ed esame dell' Enciclica e del Sillabo dell' 8 Decembre 1864; per l' abate Antonino Isaia. Torino 1865.

Roma papale, descritta in una serie di lettere con note da L. De Santis. Firenze 1865. *Decr. S. Officii Fer. IV.* 26 *Iulii* 1865.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. C. a Secretis relatis* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 30 *Septembris* 1865.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus.

Fr. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 30 *Septembris* 1865 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, ac in aliis locis solitis Urbis per me Aloysium Serafini apost. Curs.*

Philippus Ossani Maj. Curs.

APPENDIX IX.

DECRETUM DE LOCATIONIBUS ET ALIENATIONIBUS RERUM ECCLESIASTICARUM.

Sub hoc titulo venit quaedam resolutio S. C. Ep. et Reg. cuius occasione nonnulla emissa fuerunt Decreta, quae in causa supra exposita pag. 228. citantur, et sequentibus verbis continentur.

« Curia Episcopalis Assisiensis, datis Litteris ad S. Congregationem Negociis et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositam IV. Idus Mart. Anno MDCCCXXXV. duas quaestiones, seu dubia proposuit, videlicet.»

I. « Utrum ad legitimam sextae » et vigesimae oblationem requira» tur ea pecuniae vis, quae vicesi» mam et sextam iam oblati pretii » partem saltem exaequet; an vero » sufficiat quodcumque augmentum » titulo vicesimae et sextae?

II. « An ad maiorem Ecclesiae » utilitatem possit prorogari legiti» mum tempus, ut oblatores, si » velint, novas oblationes exhibere » valeant? »

Sacra Congregatio respondit:

« Ad primum *Affirmative ad pri*» *mam partem: Negative ad Secun*» *dam.*» (1)

« Ad secundum *Negative.*»

« Et dentur decreta de adiudi» candis bonis ecclesiasticis alias » edita, et praesertim quae sequun» tur.»

I. « In adiudicandis rebus ecclesiasticis observandae sunt leges latae a Benedicto XIV. in suo Motu Proprio edito die 23 Novembris 1742. pro Locationibus bonorum Cameralium.»

II. « Oblationes fieri debent in quadam summa certa, et explicita sine ulla conditione, aut augmento quod ex eventu pendeat, ac proinde si quis obtulerit ex. gr. decem nummos scutatos, vel supra meliorem quamcumque oblationem, vel supra eas oblationes, quae ad certam summam pervenerint, oblatio isthaec reiicitur veluti captiosa, et utilitati locorum piorum adversa.»

III. « Si quis vero in eadem oblatione, postquam summam certam obtulerit, polliceatur etiam se so-

(1) Quare si quis oblator promitteret puta, 50 pro vicesima vel sexta, dum vicesima vel sexta pars oblati pretii, esset maior hac summa, et ascenderet puta ad scut. 80; Deliberatarius qui primum pretium proposuit, et cui res alienanda adiudicata est salvo iure vicesimae et sextae, non tenetur hanc oblationem scut. 50 loco vicesimae vel sextae acceptare, et bona ecclesiastica de quibus agitur, huic Deliberatario erunt adiudicanda. Non idem tamen esset dicendum si pretium pro vicesima, vel sexta oblatum, summam 80 scut. excederet.

luturum ex. gr. decem nummos scutatos, vel supra aliam quamcumque oblationem, vel supra eas oblationes, quae certa summa contineantur, tum augmentum decem nummorum scutatorum, non aliorum oblationibus, sed certae summae ab eodem oblatae addendum erit.»

IV. « Si edicta proposita fuerint vi literarum S. Congregationis, et elapso termino, apertisque oblationibus, novae exhibeantur oblationes, tum oblationes omnes ad S. Congr. mittendae erunt, S. autem Congregatio, re adhuc integra, poterit pro suo prudenti arbitrio novas oblationes vel reiicere, vel mandare ut denuo edicta proponantur.»

V. « Idem ius novas oblationes vel reiiciendi, aut etiam edicta denuo proponendi, re adhuc integra, ad Executorem Beneplaciti Apostolici spectat, ubi ob peculiares aliquas rationes facultas adiudicandi eidem Executori tributa fuerit.»

VI. « Cuique licet oblationem eius, cui res adiudicata est, intra viginti dies ad vicesimam et ultra augere: hic terminus incipit a die, quo ex decreto Executoris Beneplaciti Apostolici res adiudicata fuerit.»

VII. « Si quis intra huiusmodi terminum vicesimam obtulerit, tunc ei cui res adiudicata fuit, significanda erit, eique decem dies permittuntur, intra quos declaret velit nec ne vicesimam acceptare.»

VIII. « Pro offerenda sexta, spatium trium mensium conceditur: hic terminus decurrit a die, quo primum res adiudicata est, si nemo vicesimam obtulerit; si vero oblata fuerit decurrit a die quo oblatori vicesimario res adiudicata fuit.»

IX. « Privilegium addictionis in diem (1), et restitutionis in integrum, sive ius vicesimae, et sextae, tectum, integrumque manet favore ecclesiae, etiamsi in decreto Executoris nulla mentio de ea facta sit.»

X. « Neque etiam pro invitandis oblatoribus necesse est ut edicta vicesimae et sextae proponantur.»

Romae die 18 Martii 1835.

T. A. Card. Sala Praefectus.

T. Archiep. Ephesinus Secret.

Huic Decreto S. Congr. Ep. et Reg. adiicimus leges quas observandas praecepit Benedictus XIV. in suo Motu Proprio edito die 23 Novembris 1742 pro locationibus bonorum cameralium; quasque leges S. Congregatio observandas praecipit in caeteris alienationibus iuxta id quod praescripsit in articulo I. huius Decreti. Constitutio itaque Benedicti XIV. ex Motu Proprio italice edita, quamque in latinum idioma vertimus, est sequens.

(1) Addictionem in diem, hoc exemplo describit Paulus *l.* 1 *lib.* 5 *ad Sab.* « In » diem addictio ita fiet: Ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis » intra kalendas ianuarias proximas meliorem conditionem fecerit quo » res a domino abeat.»

« Cum controversiae, quae, non minori iactura utilitatis publicae, quam privatae, in bonorum, nostrorum cameralium locationibus (1) deliberandis propter Oblatorum contentiones frequenter intercidunt, apprime graves sint, supremae vigilantiae nostrae referre arbitramur, et magni illius desiderii, quod iugiter fovimus, omnem litigii causam, quoad fieri potest, e medio tollendi, ipsis deliberationibus praescripta atque invariabili harum regularum et constitutionum norma apte providere. »

I. « Ut uno saltem anno antequam unaquaeque Cameralium bonorum locatio explicit, invitentur per consueta edicta ii qui eam affectant, ad exhibendam statuto die suam oblationem scripto, clausam, obsignatamque. »

II. « Ut cum dies aderit in edictis constitutus, in plena Congregatione Camerali explicentur literae, quae oblationes scriptas continent, atque illi adiudicetur locatio *prout de iure,* qui plus obtulit, et est caeteris optimus; salvo tamen iure et arbitrio Cameralis Congregationis, aliis subinde edictis tempus prorogandi ad oblationes exhibendas, quando nullam exhibitarum oblationum aequam ac rationi consonam, iuxta praesentem bonorum locandorum statum, fuisse arbitretur. »

III. « Ut deliberatione facta, eo quem descripsimus modo, copiosiori sive meliori offerenti, eaque a Nobis et summis Pontificibus Successoribus nostris comprobata, ante Instrumenti stipulationem ipsis viginti diebus supersedeatur, initio facto a die proxime sequente ipsam deliberationem, ut eo temporis intervallo, tum ii qui oblationis actum peregerunt, et victi repulsique sunt, tum ii qui nil obtulerunt, adiicere aliquid possint maximae oblationi, cui locatio deliberata fuit, dummodo eiusmodi additio, vicesima illius parte minor non sit: atque idcirco volumus statuimusque ut posthac omnes, quae sequentibus temporibus a generali Congregatione fient, locationes camerales, licet a Nobis nostrisque Successoribus subinde sive voce, sive rescripto, sive etiam chirographo speciali adprobentur, habeantur factae et adprobatae conditione *Addictionis in diem,* eodem viginti dierum intervallo durante, ita ut ille cui deliberata locatio fuit, nullum in eam locationem, dictae deliberationis et adprobationis vi, ius acquirat, quoties illo viginti dierum intervallo alius superveniat, qui illius oblationis saltem vicesimam partem adiiciat. »

VI. « Ut intervallo viginti dierum vix transacto, si alius non se stiterit, qui ipsam saltem vicesimam obtulerit, amplius non vigeat privilegium illud *Addictionis in diem* Camerae nostrae; sed absque mora, quin alia oblatio admittatur, stipulatio instru-

(1) Vertimus vocem italicam *Appalto,* in latinam *Locationem* vel *Conductionem.*

menti fiat eius nomine cui initio deliberata fuit locatio. At vero contra si, illo viginti dierum spatio, unus pluresve se stiterint, qui vicesimam saltem insuper obtulerint, poterit tum nostra Camera frui privilegio *Addictionis in diem;* atque eadem Congregatio Cameralis locationem illi deliberabit, qui saltem vicesimam addiderit: pluribus autem vicesimam ipsam offerentibus, illi locationem deliberabit, quem ipsa Congregatio optimum iudicaverit, vel plus quam caeteri obtulerit.»

V. «Ut adprobata sive per Nos, sive per Successores nostros eiusmodi deliberatione, ille qui plus quam caeteri obtulit, primo oblatori qui superatus est, denunciet ipse per se et quidem personaliter, atque edicat, additionem vicesimae partis vel maioris pretii ab se factam, et deliberatam sibi ipsi Cameralem locationem: post quam denunciationem concedantur illi eidem (primo oblatori) alii decem dies, ut si velit, possit, plus quam iste ultimus oblator exhibuit, offerre: qui si intra illud temporis intervallum obtulerit plus quam ipse ultimus oblator, ipsi eidem adiudicetur locatio, quin aliae additiones seu oblationes admittantur. At contra si intra illud tempus primus ille oblator qui superatus fuit, nil plus obtulerit quam secundus qui eum superavit, huius secundi nomine absque mora instrumenti stipulatio fiat; ita ut transactis decem illis diebus nullae aliae additiones seu oblationes nec ab illo primo oblatore, nec ab aliis quibusvis admittantur.»

VI. «Unus ab hac prohibitione alias maiores oblationes admittendi, excipitur casus, quo eveniat ut aliquis vel ex iis qui ad conductionem aspirarunt, vel ex iis qui nunquam adspirarunt, sextam pretii summi a primo vel secundo oblatore exhibiti partem adiiciat: eo enim casu nostra Camera *laesionis* nomine frui debebit privilegio *restitutionis in integrum;* quod beneficium (non item privilegium *Addictionis in diem*) Fisco competit, licet res iam integra non sit, licet sit confecta Instrumenti stipulatio, licet tandem conductor rem ipsam iam acceperit, et actu possideat: nec aliud in hoc casu exigere conductor potest, quam ut caeteris anteferatur, offerens et ipse aequum pretium, scilicet sextam insuper oblati pretii partem.»

«Sed quoniam si haec *restitutio in integrum* absque ulla temporis definitione (uti par esset) admitteretur, difficile admodum Camera invenire posset idoneos Conductores, ob metum quo unusquisque angeretur, ne ex locatione pellatur nomine *restitutionis in integrum,* postquam sua diligentia atque industria rem locatam meliorem fructuosioremque reddiderit; idcirco praecipimus ut sextae oblatio admittatur solummodo intra trium mensium spatium, initio facto a die quo vel communi modo, vel per privilegium supradictum *Addictionis in diem* deliberata fuit locatio illi qui opti-

mus inter oblatores iudicatus est, et plus quam caeteri obtulit, licet hic intra idem temporis intervallum stipulatus sit una cum Camera Instrumentum, et dispendia subierit, vel quidquid aliud peregerit quod ad Instrumenti stipulationem, vel ad bonum rei locatae regimen necessarium visum fuerit: cum nos velimus ut intra idem trium mensium intervallum sextae partis oblationi, et contractus rescissioni, nomine *restitutionis in integrum*, semper locus sit; atque idcirco ille cui locatio, ut supra dictum est, deliberata primo fuerat, si haec rescindatur, nec a Camera, nec ab ultimo oblatore expensarum, quas intra idem tempus forte perfecit, compensationem nullo modo exigere queat, sed solummodo; quando et ipse eamdem sextam offerre velit, vel maiorem pecuniam, quam lutimus oblator, huic et possit et debeat anteferri.»

VII. « Ut transactis ipsis tribus mensibus, deliberata locatione, contractus rescissioni locus amplius non sit, sed firmus stet, atque irrevocabilis toto ipso tempore constituto, iuxta formam et conditiones in deliberatione expressas. Dumtaxat ius remaneat Camerae contractum impugnandi in casu *laesionis ultra dimidiam*, *quatenus de iure*, et *prout de iure*, et iuxta Apostolicas constitutiones, absque ulla temporis praefinitione, nisi huic vel a Nobis vel a Successoribus nostris speciatim ac nominatim derogatum fuerit.»

VIII. « Demum huius circa camerales locationes praescriptionis occasione capta, gravaminibus prospicere volentes, quae a Conductoribus ecclesiasticae ditioni subditis populis quotidie fiunt, praecipimus ut in Instrumentis stipulandis cum ipsis Conductoribus, absque facultate nostra, aut speciali chirographo a Nobis subscripto, vel nostris Successoribus pro tempore, capitulum adiicere audeat nemo, quo vectigale aliquod tributum, aut Privativa, quae locatione contineatur, quovis modo extendatur et amplietur, ultra casus et terminos in ipsius tributi vectigalis vel Privativae institutione praescriptos, atque aliter quam antecedentium Conductorum tempore fuit communiter gestum observatumque, declarantes invalidum ac nullum quodcumque Instrumenti Capitulum, sive quodcumque edictum sive *Bannus* qui fieri deinceps contingat.»

« Quae praescriptiones volumus ut posthac adamussim observentur in omnibus cameralium locationum deliberationibus, nullitatis poena, ipso facto et ipso iure incurrenda, absque ulla Iudicis declaratione, et iuxta earumdem praescriptionum formam publicatio, et Edictorum renovatio, et supradictarum locationum stipulatio fieri debeat; quin imo iuxta earumdem formam debeant intelligi atque haberi publicata edicta, perfectae deliberationes, et publica Instrumenta stipulata, quia sic et non aliter praecipimus ac mandamus, et uti lex volumus ut hae

praescriptiones inviolabiliter observentur, quod haec mens nostra est ac firma voluntas. Volentes ac decernentes ut haec praesens nostra Caedula ex motu proprio recipienda ac describenda in plena Camera, inque eius libris iuxta Bullam Pii IV. Praedecessoris nostri *de registrandis* valeat, ac plenum suum effectum, exsecutionem et vigorem simplici nostra subscriptione obtineat, nec quidquam possit contra eam opponi subreptionis, obreptionis, aut cuiusvis alius vitii, aut nostrae voluntatis et intentionis defectum; et ut ita et non aliter debeat semper in praemissis iudicari, definiri, decidi, ac interpretari a Rmo Card. Camerario et a Praesule Thesaurario Generali, a plena Camera, e a quocumque Iudice et Tribunali, licet Collegiato et quod constet Rmis Cardinalibus, removentes ab ipsis et ab unoquoque eorum facultatem auctoritatemque aliter iudicandi, definiendi et interpretandi, declarantes iam nunc nullum, irritum et invalidum quidquid fieret aut his contrarium fieri attentaretur, licet nec accersitus, nec citatus, nec auditus esset Praesul nostrae Camerae Commissarius, sive alius quorum interesset, aut sua praesumeret interesse: Constitutionibus Pauli III. et Pauli IV., et Pii IV. Praedecessorum nostrorum *de rebus Ecclesiae et Camerae non alienandis* omni et cuicumque iuri et potestati nostrae Camerae, licet in Legum corpore clauso: Regulae nostrae Cancellariae *de iure quaesito non tollendo*, et quibuscumque aliis Constitutionibus et ordinationibus nostris Apostolicis, nostrorumque Praedecessorum, usibus, stylis, consuetudinibus, sententiis, decretis, et *rebus iudicatis* in similibus casibus, omnique alii rei quae obstet aut quae obstare possit, omnibus et singulis his, quorum hic formula expressa habetur, et ad verbum inserta ad supradictum solummodo effectum, ample atque expresse derogamus. Data in nostro Palatio Apostolico Quirinali hac die XXIII Novembris an. Dom. MDCCXLII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

IMPRIMATUR
Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

MATRIMONII.

Die 29 *Decembris* 1862. *Sess.* 24 *c.* 1 *de Refor. Matr.*

Compendium facti. Fervente inter Turcas et Moscovitas bello, Seius greco-schismaticus viginti annos natus, voluntariis Turcarum copiis nomen dedit, et quodam honore militari auctus, missus est praesidii causa in urbem A. In huiusmodi urbe excipi debuit, uti militaris hospes, in domo Titii graeci-catholici, qui Caiam unicam filiam, nondum 15 annos natam, habebat.

Seius amore Caiae captus, duobus elapsis mensibus a quo puellam viderat, de nuptiis cum ea conciliandis, apud parentes agere coepit. Interim ipse magna de se praedicabat, et divitem et nobilem *Boiari* filium, se esse ostentare videbatur. *Boiari* enim nomen, eo idiomate, quoddam divitum nobiliumque genus designat. Insuper se esse honestis moribus insignitum, Caiae parentibus venditabat.

Cogitantes itaque puellae parentes, se, eiusdem filiae bono, admodum esse consulturos, si huic iuveni eam nuptui traderent, Titius pater literis missis ad nobilem virum B., qui a secretis erat magni Principis provinciae et civitatis ex qua Seius ortum habuit, ab eo quaesivit, utrum revera *dives nobilisque* foret Seius, *bonisque moribus* commendaretur. Responsum accepit Titius hisce verbis: « iuxta informationes ex bono haustas fonte, iuvenis » Seius indolis est honorabilis; modus eiusdem agendi fuit sem- » per irreprehensibilis, et omnes qui eum norunt, me certiorem » fecerunt, eumdem esse bonis moribus praeditum sine vitiis » et defectibus. Orbatus est parentibus, quorum fortunae status » *admodum mediocris fuit;* attamen eiusdem superstes amita » bona possidet, eumdem benevolentia prosequitur, eritque Seius » unus ex eiusdem amitae haeredibus. Certior factus sum aliunde, » eamdem amitam donaturam esse Seio quamdam possessionem; » et animadverti, Seium favore gaudere Officialium, qui potentes » sunt in Principis familia, sub quorum protectione, facile obti-

» nere poterit civile vel militare officium.» Post haec, plura fausta Secretarius ille, Titio et nuptiis ominatus est.

Verum his adhuc non contentus Titius, Nepotem suum misit, ipso Seio comite, in eamdem Seii patriam, ut diligenter inquireret de vita, moribus, et Seii conditione, responsumque per literas Titius obtinuit priori conforme, imo quadam exaggeratione auctum, qua, plura bona possidens Seius traducebatur, nulla facta mentione, an esset *Boiari* filius.

Habitis itaque eiusmodi de Seio notitiis, matrimonio puellae consenserunt Parentes, obtentaque super cultus disparitate dispensatione, matrimonium rite celebratum est.

Elapsis aliquot mensibus ab hoc contracto coniugio, cum Titius, iuxta pacta conventa, peteret a Seio, dimidiam expensarum partem, quae in congruam ipsorum coniugum substentationem impendebantur, Seius, paupertatem suam causatus, solvendo se imparem confessus est. Tunc eiusdem ignobilitas, pauperies, vitae immorigeratae genus in lucem prodierunt: quin imo et cognomen ab ipso usurpatum; non enim *Seius*, sed *Seianus* appellari videbatur (1). Morum autem turpitudo vel ex eo eluxit, quod gallica lue infectus, uxorem suam iam coinquinaverat.

Quinto itaque a contractis nuptiis elapso mense, legitimum divortium Caia obtinuit: post quadriennium vero, porrecto supplici libello, ab Episcopo Titius postulavit, ut nullum matrimonium declararetur utpote *ex errore personae et qualitatis personae substantialis* contractum. Urgebat puellae Pater, pro eiusmodi declaratione nullitatis emittenda, Episcopum, ut filia nubere posset italico viro, sicut iam Seius vel Seianus in sua provincia ad alias nuptias convolaverat.

Universum huiusce rei negotium Episcopus S. Congreg. de Prop. Fide retulit, haec inter caetera enarrans: «Accersivi Titium » eiusque filiam, ab iisque petii separatim, utrum parati essent » iuramento firmare quod in scriptis exposuerant. Ipsi sine ulla » haesitatione iurarunt; nempe Pater iuravit se numquam eo » deventurum fuisse, ut filiam suam traderet fortunarum capta-

(1) De hac tamen cognominis usurpatione non satis ex actis constat. Certum est modo *Seium*, modo *Seianum* appellatum fuisse, ipse tamen de hac cognominis differentia quaesitus, uxori respondit: in eumdem cedere sensum; nec ulterius inquisitio facta est super hac nominis differentia.

» tori, erranti et desperato viro. Caia autem iuravit se inductam » fuisse, suumque dedisse consensum matrimonio illi, etsi conditio » expressa non fuerit, quia Seii dictis credidit, quatenus ipse » esset *Boiarus*, seu nobilis et dives; et huiusmodi qualitates » causam virtualem semper fuisse praestiti consensus.»

« Et reapse (prosequitur Episcopus) quando Titius dispen- » sationem a me petiit super cultus disparitate, ego aperte eam- » dem denegavi. Institit autem ipse per epistolam, scribens, me » tantum filiae suae dispensationem denegare, meque impedire » velle eiusdem felicitatem, cum *Boiarum* reperiisset, omnibus » ditatum fortunis, divitiis, bonis, curribus, equis etc.»

« Haec Eminentiae Vestrae dico, ut cognoscatur, eiusmodi » voluntatem tum Patris tum Filiae, causam praecipuam impel- » lentem fuisse etc., et iuxta S. Alphonsum de Ligorio in sua » Morali *art.* 2 *de impedim. dirim.* § 1 *de imped. erroris circa finem,* » tunc error redundat in substantiam, quia *directe* et principa- » liter intenditur qualitas, et minus principaliter persona.» Hisce porro enarratis Praesul ille a iudicio abstinuit.

Remisso examine huius causae ad S. Inquisitionis tribunal, mandatum fuit eidem Episcopo, ut acta processus conficerentur iuxta Constitutionem Benedicti XIV. quae incipit *Dei miseratione,* et iuxta instructionem. Instructio vero inter caetera continebat, ut preces renovarentur et fierent nomine Caiae, et Testes fide digni proponerentur, qui, formali habito examine, quae scirent sub iuramenti fide deponerent.

Testes qui examini subiecti fuerunt non alii sunt, nisi Pater, Mater et Puella, qui omnes deposuerunt quae usque adhuc exposita sunt, in eo praecipue insistentes, ut si notum esset Seium, filium non esse *Boiari*, neque honestum, certissime matrimonium initum non fuisset. Hisce actis itaque Romam transmissis, causa S. Congregationi Concilii ablegata fuit, ut *oeconomice* ex mandato SSmi proponeretur cum voto Theologi, et Canonistae, et cum animadversionibus Defensoris vinculi matrimonialis ex officio (1). Hisce confectis, causa proposita fuit sub infrascripto dubio.

(1) Tunc causa matrimonialis *oeconomice* proponi solet coram S. C. C. quando Partes litigantes sine strepitu iudicii causam proponunt, Defensores in Urbe sibi et Procuratores non constituentes. Attenta vere causarum gravitate cuius-

Vota in compendium redacta.

Plane consentiebant, tum Theologus, tum Canonista circa doctrinam quae respicit erroris impedimentum; discrepabant tamen circa doctrinae expositae applicationem. Doctrina enim circa huiusmodi impedimentum erroris invecta, ea est, qua distinguitur error personae, et error qualitatis. Error personae nullum reddit matrimonium. Qui enim in persona errant, non consentiunt in eam determinatam personam, cum qua actu contrahunt, sed in aliam prorsus diversam, quam mente concipiunt. Proindeque matrimonium subsistere non potest. Haec confirmabantur auctoritate S. Thomae 1. 2 *q.* 6 *art.* 8 Sanchez *lib.* 7 *de Matrim. disp.* 18. Error autem qualitatis, per se non infirmat matrimonium; attamen per accidens, illud reddit nullum in duplici casu.

Nempe quando qualitas uti conditio adiicitur, et exprimitur cui alligatur solummodo matrimonii consensus, ut si in contractu diceretur – contraho tecum dummodo dives sis. – Hoc in casu, deficiente conditione, deficit consensus, ideoque nihil inter contrahentes geritur. Alter casus est, quando qualitatis error, in personae errorem refunditur, licet discrepent Doctores in definitione determinanda, qua dignosci accurate possit, quando error qualitatis in personae errorem refundatur.

modi sunt causae matrimoniales, hoc pacto *oeconomice* pertractantur; exquiritur nimirum duplex votum, a Theologo nempe, et a Canonista, quod votum uterque super causae actis elaborant. Hisce votis confectis, traduntur simul cum actis Defensori ex officio causarum matrimonialium, qui suas facere debet *animadversiones*, id est omnia ea exponere quae militant favore matrimonii, adeo ut, quantum fieri possit, contendere semper debeat matrimonium esse validum; vel non constare de matrimonii nullitate; vel, si dispensatio quaeratur super matrimonio tantum rato, contendere etiam debet non esse dispensationi locum, sive quia dubium est, an matrimonium sit dumtaxat ratum, sive quia desunt iustae dispensationis causae. Hisce elucubratis, causa S. C. proponitur, quae libratis votis et animadversionibus, aliisque propria sapientia consideratis, iudicium profert; quod si est pro Matrimonii nullitate, dictus Defensor vinculi matrimonialis, tamquam si de causa propria ageretur, iterum novam audientiam petit, novamque defensionem concinnat, iuxta praescriptum Benedictinae Constitutionis *Dei miseratione* cuius observantiam Sacra Congregatio iugiter exigit in causis matrimonialibus.

Quod si, in hac iterata causae propositione, aliquid novi circa factum emergat, alia vota uti supra dictum est, a Theologo, et Canonista exquiruntur. Adeo caute Sancta Sedes in causis matrimonialibus procedit!

Extra eiusmodi casus, error qualitatis, matrimonium nullum non reddit. Ita more suo subtiliter S. Thomas *loc. cit.* « Error » qualitatis per se matrimonium non infirmat; is enim error ma- » trimonium non reddit involuntarium. Omnis error est causa » involuntarii, sed non omnis efficit involuntarium *simpliciter*, » sed is tantum qui est circa qualitatem *per se et natura sua re-* » *quisitam ad ipsius contractus essentiam;* at dum qualitas se habet » per accidens, solum involuntarium *secundum quid* habetur. Et » ratio est, quia nihil volitum, quin praecognitum; quando error » est in apprehensione rei non necessariae ad essentiam contra- » ctus, sed in accidenti quodam, efficit ut contractus sit quoad » essentiam voluntarius, ac proinde talis simpliciter, involunta- » rius autem secundum quid, et quantum ad accidens illud, in quo » versatur error.»

Dissentiebant autem vota, ut dixi, in doctrinae applicatione. Theologus enim existimabat erratum fuisse in persona, seu in qualitate quae in substantiam sive personam refunditur. Caia enim in plena persuasione erat nubendi Seio filio cuiusdam *Boiari*, nupsit autem Seiano, homini pauperi et gregario. Praesertim cum firmiter persuasum esset Caiae, eumdem esse, vernacula lingua, Seium, et Seianum. Hinc Caia firmissime putavit se nubere uni, dum alteri nupsit. Proindeque Theologus nullum censebat esse matrimonium.

E contra Canonista observabat, nominis reale discrimen asseri in actis, sed non probari, et in ea nominis diversitate, neque Titium Patrem argumenti vim posuisse, neque Caiam admodum institisse. Familia enim Titii sollicita non fuit an ex una, vel altera gente Seius ortus esset, sed potius de qualitatibus personae inhaerentibus, an esset filius divitis, et honestus adolescens, in quibus qualitatibus decepta fuit.

Observabat insuper in eo reponere vim argumenti Titii familiam, quod nempe, matrimonium certe initum non fuisset, si scivissent Seium neque filium fuisse *Boiari*, nec honestatem praesetulisse.

Quo desuper, animadvertebat, de hac persuasione non apprime constare. Etenim in testimonio supra enarrato Secretarii B., aperte dicitur, Seium orbatum esse parentibus *quorum fortunae status admodum mediocris fuit;* hinc colligi poterat filium non esse divi-

tis *Boiari*. Neque per se sibi aliquid divitiarum quaerere Seius potuerat, cum adhuc imberbis viginti annorum adolescens esset, et inferiores in voluntaria militia gradus obtineret.

Quod, si Titii Nepos admodum exaggeraverit testimonium Viri B., imo alia adiunxerit, quibus Seius describebatur uti dives et bona possidens, huic Nepoti utpote tenerae aetatis, et ipsi Seio, eo tempore, consociato, minus erat credendum. Caeterum ipsemet Nepos non rescripserat Seium esse *Boiari* filium, sed circa eiusmodi qualitatem, quae praecipua esse debuerat, omnino siluit.

In themate ergo potius erroris impedimentum excludi, quam probari videbatur. Quare Canonista non esse attendendas Caiae preces opinabatur.

Animadversiones Defensoris Matrimonii ex officio. — Defensor vinculi matrimonialis, priusquam ad causae meritum accederet, innuit, acta processus confecta non esse secundum praescriptum Benedectinae Constitutionis *Dei miseratione*. In actis enim conficiendis, defuit interventus Defensoris ex officio. Insuper, Titii familia tantum examini fuit subiecta, cum non deessent alii testes, qui examini sublici debuissent, nempe Secretarius B. et Titii nepos. Proindeque in themate deficiebat cuiuslibet probationis substantia. In causis enim gravissimis, quales Sacri Canones definiunt causas matrimoniales, testes debent esse omni exceptione maiores, *Argum. capit. licet* 1 *de Test.* quales non esse, dicebat, Caiae parentes. Deficiente itaque idonea probationis impedimenti substantia, iam ex hoc capite, mulieris petitio repellenda dicebatur.

Verum, ad causae meritum deveniens, contendebat, nullum intercessisse errorem, consensum vitiantem, sive ratione *personae*, sive ratione *qualitatum*. Observabat enim deesse errorem personae, quia Caia notitiam prius habuit ex visu, auditu, colloquiis, illius individuae personae, cum qua contraxit. Proindeque, contendebat, deesse personae errorem, qui tunc habetur cum contrahens supponit inire coniugium cum altero contrahente specialiter volito, et contrahit cum alio diverso, quem nec voluit nec elegit, ceu perpendit Conscius *de Separat. tor. l.* 1 *c.* 2. Sanchez *l.* 7 *disp.* 19 *n.* 28.

Nihil officere validitati matrimonii, subiungebat, et personae identitati, errorem in nomine, allegata auctoritate Sanchez qui

loc. cit. n. 38 ait: « non vitiari matrimonium ex solo nominis » errore, si de corpore constet.» (1)

Gradum deinde faciens ad errorem qualitatum, perpendebat, eiusmodi errorem, non vitiare matrimonium, nisi in pactum qualitas deducta fuerit, vel nisi in personae errorem redundet. Quae duae limitationes non verificabantur in facto. Non verificabatur prima, quia ipsamet Caia id fassa est. Respondit enim iudici interroganti « se non apposuisse in contractu conditionem illam, » cum firmiter sibi persuasum esset, Seium esse filium divitis » *Boiari,* sine qua persuasione, numquam consensum dedisset.»

Studebat vero excludere alteram limitationem, eo fere modo, quo Canonista in supra exposito voto disputaverat; et concludebat cum auctoritate Tropper *de impedim. error n.* 196. « Non » quaeritur Caia quid fecisses, sed quid feceris, seu an contraxeris » absolute, non vero an contraxisses; alioquin quam plurima con- » iugia periculo dissolutionis obnoxia erunt, si sufficeret aliquem » non fuisse contracturum, si postea primum cognita, antece- » denter novisset.»

Dubium.

« An constet de nullitate matrimonii in casu.»

Responsio.—Sacra Congregatio Concilii die 2 Iunii 1860 re discussa, a iudicio ferendo in causae merito abstinuit, et distulit resolutionem adiecta altera iniunctione hisce verbis: *dilata* (2), *et expleatur processus iuxta instructiones dandas a D. Secretario, una cum Defensore matrimonii.*

Causae prosecutio. Cum in praecedentibus actis, examini subiecti tantum essent Caia, eiusque Parentes, novae instructiones datae sunt, ut coram Episcopo sive idonea ecclesiastica persona ab Episcopo deleganda, et altero ecclesiastico viro *matrimonii defensore*, examini subiicerentur, si fieri possit, Secretarius B., nec non Nepos Titii.

Hisce mandatis obsecutus Episcopus, ipsiusque Vicarius generalis, responsiones sibi traditas a Secretario B., nec non acta confecta super examine Nepotis in altera episcopali curia, cui subiectus ipsemet Nepos reperiebatur, aliorum insuper testium depositiones Romam transmiserunt.

(1) Vide Append. XI. in seq. fasc. (2) Vide pag. 36 in nota.

Porro Secretarius B., in suis literis Episcopo exponebat: notitias, a se, Titio antea traditas, hausisse ex Officialibus publici ministerii. Virum enim Seium, se non novisse aiebat. Easque deinde erroneas reperiisse, praesertim super Seii ipsius indole. Seque paratum esse, haec, iuramento firmare, sed sua persona attenta, id necessarium non esse existimabat.

Titii Nepos, in altera Curia examini subiectus, coram ecclesiastico iudice et defensore matrimonii, sub iuramenti fide, iuxta interrogationes eidem exhibitas, haec inter caetera deposuit: se ivisse simul cum Seio in ipsius Seii urbem, qui admodum in ea notus erat. Seque non recepisse mandatum a Caia circa informationes capiendas. Historiam vero factorum hisce texuit verbis: « Seius in domo Caiae commoratus inquiebat, se virum satis » opulentum esse; in loco depositi, apud pupillare tribunal, » habere quamdam pecuniae vim, quam sibi vindicare non po- » terat, nisi maior sua soror fieret. Nescio ad quam summam » pecunia haec pertingeret. Aiebat insuper (Seius) se ad fami- » liam pertinere *non nobilem*, sed civilis conditionis, et honestis » moribus praeditam. Addebat, ius habere ad futuram haeredi- » tatem suae amitae, quin diceret in qua re consisteret haec » sperata haereditas. Ego in urbem Seii deveniens, ipso Seio » comite, notitias cepi a viro quodam divite, qui mihi dixit se » quidem Seium non noscere, tamen me certiorem fecit, omnes » huius nominis familias in eadem urbe commorantes, honestas » esse, et civilis conditionis. Easdem recepi notitias a Secreta- » rio B., qui Seium noscebat, et generatim alios audivi, qui bene » de Seio loquebantur. Post haec ad Titium rescripsi, confir- » mans ea, quae Seius de se patefaciebat.»

» Certus sum, ut matrimonium hoc contraheretur, in Caia » eiusque parentibus desiderium praevaluisse utilis positionis: » imo existimo, si hoc coniugium effectum suum sortitum non » esset, Caiam voluntati parentum fuisse obtemperaturam, quin » se angustiis traderet. Existimo insuper, quod, si Caia antea no- » visset, quae deinde de Seio reperta sunt, illi non nupsisset, » sed parentum voluntati plane restitisset, si Caiae impone- » rent etc.»

Praeter hos testes, alii quatuor interrogati fuerunt a Curia, qui testati sunt, se Titii familiam admonuisse, ne facile nuptui

traderent unicam filiam ignoto viro, qui voluntariis militum copiis nomen dederat.

Habitis itaque novis hisce actis iterum auditi Romae fuerunt Theologus, Canonista, et Defensor matrimonii, ex officio et reproposita fuit Causa S. Congregationi.

Quid existimaret Theologus. — In novo edito voto, Theologus, attentis noviter deductis, priorem opinionem immutavit, existimans satis in praesentia constare, errorem versari in simplici personae qualitate. Non enim Titio et Caiae constabat Seium esse nobilem et *Boiari* filium, imo contrarium ipsi ex literis acceperant, quamvis in persuasione essent, Seium esse et divitem, et honestum; aiebat insuper, satis ex actis apparere, Caiam inductam esse ad illud coniugium ineundum, ex divitiarum apparatu, nec non ex quodam affectu erga eumdem iuvenem. Ergo error fuit tantum qualitatis.

Quid existimaret Canonista. — Nihil ulterius adnotare putavit Canonista; quandoquidem, ex noviter deductis, confirmabantur ea, quae iam in priori voto deduxerat.

Palmam insuper retulit matrimonii Defensor, qui habuit sibi duo vota pro validitate matrimonii conformia, et ex novis actis, ea, quae iam animadverterat, confirmabantur.

Quare iterum propositum est

Dubium.

« An constet de nullitate matrimonii in casu.»

Resolutio. — Sacra Congregatio iterum causa discussa die 29 Decembris 1862 censuit respondere: *Negative.*

Ex iis colliges:

I. Errorem allegantem, debere illum concludenter probare.

II. In contrahendo matrimonio, errore personae interveniente, nihil inter contrahentes geri.

III. Hunc errorem personae tum haberi, cum ipsum individuum cum quo contrahitur, aliud plane sit ab illo, quod mente a contrahente concipitur.

IV. Non esse tamen errorem personae si individuum, quoad nonnullas qualitates dumtaxat, diversum sit ab eo quod mente concipitur.

V. Dari tamen posse qualitates mente praeconceptas, et directe intentas quae personam plane diversam *secumferant*, ab ea, cum qua actu contrahitur.

VI. Errorem circa eiusmodi qualitates recte dici *refundi in errorem personae* (1).

VII. Errorem autem circa caeteras qualitates non infirmare coniugium, nisi qualitas sub conditione *sine qua non* ponatur, ita ut matrimonio consentiatur, unice sub expressa qualitatis optatae conditione.

VIII. In praesenti autem casu non intervenisse personae errorem; non enim a Caia alia persona mente concipiebatur, quam illa praesens Seii persona, cum qua negotium gestum est.

IX. Qualitates a Caia praeconceptas in suo sponso reperiendas, non secumtulisse personam aliam a Seio diversam; Caia enim dumtaxat non reperiit illas qualitates, quas, in illa Seii persona cum qua contrahere intendit, reperiri cogitabat.

X. Neque eiusmodi praeconceptas qualitates, divitiarum nempe et honestatis, in Seii persona reperiendas, sub conditione fuisse deductas: quare de matrimonii nullitate nullatenus constabat (2).

LEGATI PII.

Die 27 *Augusti* 1864. *Sess.* 25 *c.* 4 *de Refor.*

Compendium facti. Pia Marchionissa morti proxima testamentum condens, haec edixit: *instituo haeredem filiam meam Agnetem, cum obligatione celebrare faciendi singulis sabatis sacrificium in altari Deiparae Virgini dicato.... et huiusmodi sacrificium, si poterit, celebrabit Presbyter N. pueri praeceptor...*

Itidem *pro anima mea desidero, ut celebretur singulis sabatis sacrificium coram Deiparae Virginis imagine, quod si poterit celebrabit Presbyter N. praeceptor mei nepotis.*

(1) Accurate videtur has qualitates determinare P. Illsung *tract.* 6 *dist.* 9 *n.* 68 hisce verbis: « error qualitatis redundat in personam, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personae, ut si velles contrahere cum primogenita, et tibi sistetur secundogenita. Si autem hanc quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam, et tua intentio non fertur in illam quatenus est primogenita, non fuit error in personam.»

(2) Vide Append. XI. in seq. fasc.

Huic Marchionissae dispositioni Agnes haeres sedulo satisfecit; verum, Agnete demortua, eius filii et haeredes ab Apostolica Sede postularunt, ut declararetur: I. an missarum legatum sit vere obligatorium. Et quatenus affirmative, II an eiusmodi obligatio cessaverit morte Agnetis.

Rogatus Ordinarius pro informatione et voto, suam aperuit mentem pro obligatione, et legati perpetuitate. Perpendebat enim quoad primum dubium, Testatricem eodem contextu haeredem vocare, et onus legati, eidem vocato haeredi imponere. *Instituo haeredem filiam meam Agnetem cum obligatione*.....nec eiusmodi sententiam elidi per alteram quae sequitur: *desidero ut celebretur*. Hac enim altera ratione loquendi, non aliud sibi voluit Testatrix, quam ut id, quod ceu legem statuerat, etiam precibus impetraret. Locuta nempe est veluti Mater cum filia, ut, alacriori modo, ex filiali amore, legatum, effectum suum sortiretur.

Quoad alterum dubium perpendebat eiusmodi legatum cohaerere cum qualitate haeredis, non enim filiae illud iniunxit uti filiae, sed uti haeredi filiae, proindeque eiusmodi legatum haereditatem sequi, non personam Agnetis dumtaxat. Id etiam confirmabat ex indefinita sententia bis inculcata *singulis sabatis*.

Disceptatio synoptica.

Rationum momenta favore haeredum quoad primum dubium. Favore haeredum *ex officio* quoad primum dubium observabatur verba Testatricis praeseferre potius velleitatem, desiderium, quam veram obligationis legem. Posteriora enim verba: *desidero ut celebretur*, declarare videntur priora obligationis verba, adeo ut *obligationis* vox, nonnisi improprie accipi deberet; quod si proprie accipienda esse censeretur, eadem obligationis lex correcta et submota dici deberet per posteriorem sententiam. Nihil enim prohibet quominus Testator priorem scripturam, posteriore corrigat. *L.* 17 *ff. in fin. de adim. vel transfer. leg.* Ideo novissimam voluntatem, novissimam conditionem et scripturam, praesertim in legatis, spectandam esse explorati iuris est. *L.* 6 §. 2 *ff. cit. tit. L.* 87 *ff. de condit. et demonst. L.* 12 §. 3 *ff. de Legat. et fideicom.*

Quare in casu, si haeres legato non satisfecisset, defuisset quidem officio pietatis, minime vero testamenti legi refragata esset.

Favore haeredum quoad secundum dubium. Observabatur insuper circa alterum dubium favore haeredum, verba testamenti non praeseferre perpetuitatem. Onus enim missarum non haereditati, sed Agneti nominatim adscriptum videbatur. Namque onus haeredi iniunctum, sub nomine proprio ac appellativo, operatur, ut legatum, personam oneratam non egrediatur. Card. De Luca *De legat. disc.* 34.

Neque obstare, subiungebatur, quod illiusmodi obligatio iniuncta fuerit Agneti, appellatione haeredis, insignitae; id enim tantum innuit, Testatricem locutam fuisse de haerede quam directe mentis et corporis oculis spectabat ceu dicitur in *Civitatis Castellanae* 28 *Augusti* 1723 §. *Praeter, et in Neapolitana legati pii* 23 *Februarii* 1850 §. *Absurda* (1). Id confirmabatur ex speciali circumstantia, qua Testatrix designaverat peculiarem personam, quae missas celebrare deberet, nempe praeceptorem pueri, eiusdem Agnetis nepotis.

Sed praeter huiusmodi observationes, quibus tantum ad praesentia personarum adiuncta Testatrix respexisse videbatur, alia fiebat observatio, qua, dicebatur, caetera perpetuitatis legati indicia, in themate deesse. Deerat siquidem quaevis substitutio priori haeredi, quoad missarum satisfactionem; deerat certi fundi designatio pro legati implemento; deerat praefinitio alicuius ecclesiae, vel altaris ubi sacrificia litanda essent, ex quibus indiciis argui solet perpetuitas. Piton. *De iurepatr. controv.* 34 *n.* 5.

Et in huiusmodi legatorum interpretatione, perpendebatur, S. C. Concilii saepe stetisse pro temporanea duratione. Sane *in Romana legati* 18 *Novembris* 1719 quaedam Testatrix legavit « Archiconfraternitati S. Hieronymi duos locos montium, cum » obligatione ut celebrarentur in dicta ecclesia viginti missae » lectae, et una mortuorum cum cantu.» Expleto una vice hoc onere, R. Fabrica S.Petri autumabat perpetuum fuisse legatum, et proposito S. C. C. dubio: « An onus missarum praescriptum in

(1) Ea est praxis quae viget in *Studio* S. Congregationis Concilii, nec non apud Secretarias aliarum Congregationum, ut ad confirmationem alicuius doctrinae capitis, allegentur etiam paragraphi aliarum causarum quae ad rem faciant, prouti fieri solet in aliis tribunalibus, et nominatim in S. Romana Rota. Hoc pacto servatur veluti specialis doctrinae legalis traditio, quae maxime confert in peculiaribus casibus ad sententiarum quae emittuntur conformitatem.

» legato de quo agitur sit temporaneum, et pro unica vice, seu » potius perpetuum in casu » responsum prodiit: *ad primam dubii partem affirmative, et ad secundam negative.*

Pariter in *Camerinen. Legatorum* 12 *Iunii* 1721 Testator, instituta uxore haerede, haec eidem iniunxit: « ut teneretur, et obli- » garetur quolibet anno celebrare officium in festivitate S. Petri » in dicta ecclesia et capella, cum eo missarum numero, quem » habere poterit dicto die S. Petri.» Cumque dubitaretur, an personae uxoris unice inhaereret legatum, dubium propositum fuit: « An legatum Petri Gentilis sit perpetuum » responsumque est: *negative.*

Rursum in una *Montisfalisci* 16 *Decem.* 1724 Testator voluit, « ut infrascripti eius haeredes... teneantur et debeant annuatim » celebrari facere unum anniversarium et missas annuales in dicta » ecclesia.» Ac insuper voluit, ut si quando praefati haeredes in satisfactione legati deficerent, fructus haereditatis devolverentur ad Confraternitatem Misericordiae per quinquennium, quo elapso ad haeredes rursus redirent. Dubitavit haeres remotus: « An onus » anniversarii et missarum annualium sit perpetuum, vel potius » temporaneum ad vitam haeredum testamentariorum » votisque consonum habuit responsum: *negative ad primam partem, et affirmative ad secundam.*

Denique in *Neapolitana Legati pii* haec Testator edixerat: « Volo et cupio ut D. Michael, insimul cum aliis duobus haeredibus » proprietariis, quolibet anno celebrare faciat pro anima mea meo- » rumque parentum 200 missas lectas annuas, nec ego desistam » Deum orare pro ipsis aliisque filiis meis...» Defunctis hisce haeredibus, eorumdem filii et haeredes a S. C. C. postularunt: «An » legatum expiraverit morte priorum haeredum, seu potius sit » perpetuo adimplendum per eorum successores in casu.» Et die 18 Maii 1850 responsum habuerunt, *affirmative ad primam partem, negative ad secundam* (1).

Quae haeredibus obstarent quoad primum dubium. — E contra circa primum dubium animadvertebatur, haeredum votis obstare

(1) Facile observare potes in hisce indicatis dumtaxat dispositionibus indicia adfuisse satis gravia, quae iudicare cogebant Testatores prae oculis habuisse peculiares personas haeredis, minime vero ipsam haereditatem. Ex qua observatione plane descendit legata imposita cum personis expirare debuisse.

ipsa Testatricis aperta verba – *cum obligatione* – Posteriora vero verba desiderium exprimentia, demonstrare, Marchionissam, adeo de eo legato fuisse sollicitam, ut variis modis, semel et iterum inculcare voluerit.

Quae obstarent quoad secundum dubium. Non esse dictam obligationem de qua agimus temporaneam sed perpetuam, videbatur posse deduci ex verbis quibus Testatrix cumulavit in Agnete honorem haeredis, simul cum onere legati - *Instituo haeredem filiam meam cum obligatione;* - adeo ut qualitati haeredis videbatur iniuncta obligatio. Porro « haeredis appellatio (inquit Ulpianus) » non solum ad proximum haeredem, sed etiam ad ulteriores re» fertur, nam et haeredis haeres, et deinceps, haeredis appel» latione continetur » Ac rursum « Haeredis appellatione omnes » significari successores credendum est, etsi verbis non sint » expressi.» *Leg.* 65 *et* 170 *de verb. signif.* cui consonant Auctores.

Quod si dubitatio adhuc superesset, an onus legati gravaret potius personam, quam haereditatem, animadvertebatur, in themate agi de causa pia, cuius favore in dubio legatum praesumi debere perpetuum tradunt Tiraquell. in *l. boves* §. *hoc sermone de verb. signif. limit.* 3 *n.* 6. Menoch. *Praesum.* 132 *n.* 3. In legatis enim piis latissimam sumendam esse interpretationem favore perpetuitatis, ratione pietatis ac divini cultus, *quoties vehementes contrariae voluntatis coniecturae desint,* docent Card. de Luca *de legat. disc.* 19 *n.* 7 et Rota *decis.* 35 *n.* 6 *cor. Molino.* Maxime vero id obtinere dicendum est, cum agitur de pio legato quod consistit in missis celebrandis, certis determinatis diebus, absque temporis limitatione, tum quia actus perscriptus reiterabilis est, tum quia annuum, vel menstruum vel hebdomadarium onus, absque temporis limitatione censetur perpetuum *arg. ex l. Caius ff. de ann. legat.* Lara *De annivers. lib.* 1 *c.* 3 *n.* 9. Leont. *De offic. Capell. quaest.* 5 *sect.* 1 *n.* 9. Pasqualig. *De sacrif. N. L. q.* 105 *n.* 2.

Eiusmodi exposita doctrina confirmabatur sequentibus S. C. C. resolutionibus. In *Urbanien. Legati die* 14 *Iunii* 1704 *lib. Decret.* 54 *pag.* 237, Testator voluit « quod infrascripti haeredes teneanntur celebrare facere missam unam qualibet hebdomada.» Insuper voluit « quod teneantur dicti haeredes quolibet anno *in* » *perpetuum* celebrare facere in dicta ecclesia festum S. An-

» tonii cum duodecim missis ad minus; quod si non fecerint, » Rector Plebis facere teneatur, et postea gravare dictos hae- » redes et successores.» Circa primum legatum quod veluti exceptum videbatur, quaesitum est: « An onus missae pro qualibet » hebdomada iniunctum in primo ex praedictis legatis sit per- » petuum, vel potius expiraverit per obitum haeredum institu- » torum in casu:» Responsum prodiit favore perpetuitatis: *affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Item in *Cervien. Legatorum* 30 *Iulii* 1785. Testator praeceperat, « ut infrascriptus haeres proprietarius, mortua haerede usu- » fructuaria, solveret singulis annis scutata 50 Rectori pro tem- » pore altaris B. Virginis... item ut ratione legati in suffragium » animae suae infrascriptus haeres universalis, mortua haerede » usufructuaria, 400 missas de Requie celebrare faceret quolibet » anno in suffragium animae Testatoris eiusdem.» Exorta inde » est quaestio: « an constet de perpetuitate, seu temporaneitate » legatorum de quibus agitur...» et soluta est responso: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ulterius in *Aprutina* 19 *Maii* 1787, Testator haeredem instituerat Sacerdotem N. eidem iniungens « ut celebret vel celebrare » faciat singulis annis missas quadraginta.» Vetita deinde quavis fundi gravati alienatione, iusserat, ut si haeres praecitatam dispositionem recusaret, eidem substituta esset primo loco ecclesia S. Francisci « cum iisdem oneribus et conditionibus;» secundo loco alios substituit. Proposito vero dubio: « An onus annuae ce- » lebrationis missarum primo haeredi iniunctum transeat ad eius » successores.» rescriptum fuit: *Affirmative.*

Denique in *Nepesina legati pii diei* 16 *Decemb.* 1797 Testator voluit « ut festivitas SS̃mi Rosarii celebretur per infrascriptos » eius haeredes (fideicommissarios) et filios quolibet anno, in » prima Dominica Octobris, ea maiore solemnitate qua po- » terunt, et celebraretur missa, qualibet prima dominica cuius- » cumque mensis, cum cera eorum sumptibus emenda, dando » illi sacerdoti qui missam celebraverit competentem eleemosy- » nam.» Proposita deinde fuit quaestio: « An legatum de quo agitur » expiraverit morte priorum haeredum, seu potius sit perpetuo » adimplendum per eorum successores in casu.» Et responsum fuit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Hisce expositis sequentia proponebantur solvenda

Dubia.

I. « An legatum missarum sit necessario obligatorium, seu » potius mere facultativum in casu.»

« Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.»

II. « An praedictum legatum expiraverit cum persona haere- » dis (Agnetis), seu potius perpetuo transierit ad eiusdem suc- » cessores in casu.»

Resolutio dubiorum.— Sacra Congregatio Concilii re discussa die 27 Augusti 1864 censuit legatum esse obligatorium et perpetuum, respondendo:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ex iis colliges:

I. In interpretatione talium legatorum, non minus attendi debere ad testatoris verba, quam ad mentem testatoris eiusdem, adiunctis consideratis.

II. Maxime vero attendi debere, an testator gravare voluerit *peculiares personas* quas haeredes instituit, vel potius *haereditatem* ad quam assequendam personas nominavit.

III. In priori casu legatum temporaneum censeri, et cum personis oneratis expirare; in altero vero casu censeri perpetuum, et ipsam sequi haereditatem.

IV. His consideratis, si anceps adhuc sit mens et testatoris locutio, ita tamen ut graviora indicia militent pro onere personali, legatum censeri temporaneum; si veluti paria militent indicia pro utraque dubii parte, legatum censeri perpetuum (1) prouti in praesenti casu contigisse videtur.

(1) Si eiusmodi normae prae oculis habeantur, disparet ea oppositio, quae prima fronte, ex allegatis superius resolutionibus, legenti videri forsan posset. Neque debet nimis exaggerari ea locutio, qua dicitur in dubio standum esse favore pii legati. Non enim in quocumque dubio haec dictio verificatur, sed in eo dubio, in quo iudicis mens, indiciis hinc inde spectatis, determinari rationabiliter non potest, potius ad unam, quam ad alteram dubii partem: in quo casu, duo extrinseca insuper in conflictu veniunt, nempe haeredis libertas, et favor piae causae, spectata Auctorum dicta sententia, favor piae causae vincit haeredis libertatem.

ABSOLUTIONIS A CENSURIS ET DISPENSATIONIS.

Die 20 *Novembris* 1824.

Summaria precum. Supplici oblato libello Sacerdos N. apud Sacram Concilii Congregationem, absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate, et rehabilitationem postulavit, eo quod militibus, qui ad perditos homines vulgo *Briganti* capiendos, vel profligandos proficiscebantur, sponte se adiunxerat, atque duo ex illis a militibus interfecti fuerant.

Requisitus de more Episcopus, haec S. Congregationi enarravit. Oratorem sectae carbonariorum nomen dedisse; incusatum postea fuisse a civili gubernio, de quodam homicidio, cum aliis patrato, a qua incusatione ut liberaretur sine regulari processu, eidem gubernio sese obtulit persecuturum armis facinorosos, et seditiosos homines, vulgo *Briganti*. Reapse, simul cum aliis militibus, adversos praefatos homines, ballista ignea armatus, processit, et in conflictu deventum est. Duo seditiosorum interfecti fuerunt, duoque mutilati ceciderunt. Orator tamen certiorem fecerat Episcopum, se nullatenus eorum quemquam in eo conflictu percussisse, ex directione quam igneae ballistae dederat. « Hodie (prosequebatur Episcopus) licet certum sit Ora» torem nullam habuisse partem in eo homicidio de quo incu» sabatur, neque percussisse in dicto conflitu seditiosos illos » homines, eidem nihilominus expedire consului, ut a S. Sede pe» teret censurarum absolutionem, in quas incurrerit, quoniam » pro eo quod spectat ad carbonariorum sectam, ex praeterito » vitae tenore poenam luit, suspensione, exercitiis spiritualibus » a me eidem iniunctis, aliisque mortificationis operibus, eum» que in religioso Conventu diu detinui. Idcirco existimo posse » Oratorem habilem fieri ad Sacrum celebrandum, cum ad bo» nam frugem rediisse videatur.»

Ea quae ex officio observarentur. Animadvertebatur *ex officio* Oratorem sese adscribentem carbonariae sectae, in excommunicationem incidisse latae sententiae, et R. Pontifici reservatam. Quamquam enim lateat, an post solemnem carbonariorum condemnationem, *idibus Septembris anni* 1821 (1) a Pontifice

(1) Vide Appendicem X. pag. 308.

pronuntiatam, eiusmodi sectae nomen dederit, vel in eadem perseveraverit; attamen excommunicationi obnoxius habendus esse videbatur propter Constitutiones Clementis XII, et Benedicti XIV.(1) quibus proscriptae et anathematis gladio percussae fuerunt Societates *dei liberi muratori,* seu *francs maçons.* Nam his Constitutionibus damnatam quoque sectam carbonariorum, satis innuit summus Pontifex (Pius VII) inquiens in literis enunciatae proscriptionis, se graves poenas in carbonariorum societatem decernere, *praesertim cum carbonarii passim contendant, se duabus illis Clementis XII., et Benedicti XIV. Constitutionibus non comprehendi, nec sententiis, et poenis in illis latis subiici.*

Addebatur insuper, Oratorem ex triplici capite irregularem devenisse. Si enim Orator in excommunicationem incidit, eo quod inter carbonarios fuit cooptatus, irregularis profecto evasit, propter violationem censurae rebus divinis operam dando, *cap. penult., et ult. De Cleric. excom.,* siquidem credibile non est, perditum hominem a Sacrificio celebrando, statim ac inter sectarios fuit recensitus, abstinuisse; praesertim ne concives in patrati criminis suspicionem adducerentur.

Deinde ubi praedicari coeptum est, Oratorem esse in numero carbonariorum, ipsique praeterea tribui commissum homicidium, in irregularitatem incidit, si non ex infamia iuris, at certe ex infamia facti procedentem. Ad hanc enim irregularitatem incurrendam satis habetur vulgata opinio de tali patrato crimine, propter quod, bona delinquentis existimatio, apud probos et honestos viros, laeditur; licet infamia, nec ab ipso iure expresse, nec per sententiam iudicis irrogetur, *argum. l. Neq.* 2 *Cod. De dignitat.,* Ferraris *Biblioth. verb. Infamia n.* 3. Reiffen. *lib.* 5 *Decretal. tit.* 27 §. 3 *n.* 53. Illos autem, qui sectae carbonariorum adscribi non erubuerunt, et homicidii rei apud iudicem insimulantur, infames esse dubitari nequit.

Denique, observabatur, cum Orator, propria sua electione, inter milites fuerit adnumeratus, et armis instructus, ad bellum adversus facinorosos homines fuerit profectus, in eosque ballistam igneam iteratis vicibus exploserit, irregularis evasit ex defectu lenitatis, quamvis moraliter certus ipse sit neminem occidisse, aut mutilasse. Nam etsi per solam militiae saeculari adscriptio-

(1) Vide Appendicem X. pag. 301 et 304.

nem, irregularitas non incurratur, uti declaravit S. Congregatio C. in *Laodicen.* 30 *Septembris* 1648 *apud Monacel. tom* 4 *suppl. ad tom.* 2 *n.* 71, nihilominus qui militiae nomen dedit, et inter armatas copias versatus est, non modo gravis culpae reus, quoniam a SS. Canonibus Clerici prohibentur propria manu pugnare; verum etiam irregularis dicendus est, licet ipse neminem occiderit, sed alii tantummodo milites interfecerint iuxta receptam a S. C. C. sententiam in *Ipren. Irregularitatis* 13 *Ianuarii* 1703 *in Brigatien. Habilitationis* 30 *Martii* 1805, *in Forolivien. Dispensationis* 17 *Februarii* 1816 *et in Matelicen. Irregularitatis* 3 *Augusti eiusdem anni.*

Patet hinc (concludebatur) quam longe dictus sacerdos aberraverit ab ea vitae integritate, atque innocentia, quam clericis convenire ipsamet edocet naturalis ratio, et quam ab iisdem servari volunt sacri Canones, et praecipit Apostolus. Criminibus autem par debetur poenitentia. At mortificationis opera, et spiritualia exercitia ab Oratore peracta, satis esse non videntur, praesertim ad delendum scandalum ab eo illatum, sese abscribendo carbonariorum sectae, cuius impietate etiamnum Orbis ingemiscit.

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii expositis precibus respondere censuit die 14 Iunii 1823 : *Pro gratia quoad absolutionem a censuris; quoad dispensationem et rehabilitationem expectet, et det maiora signa poenitentiae et constantis emendationis.*

Prosecutio earumdem precum. Rediit post eiusmodi responsionem supplex Sacerdos, et etiam atque etiam efflagitavit, ut ei dispensationis et rehabilitationis gratia largiretur. Episcopus iterum de more rogatus animi sui sensum ita aperuit. « Certus sum » Oratorem vitam agere in summis angustiis ob tot infortunia » eidem obvenientia, ob mortem repentinam Patris, ob pauper- » tatem eidem superventam. Interim alere debet suam familiam, » novem constantem personis. Ipse autem a recta ratione vi- » vendi non desistit, verae emendationis signa praebens; puto » scandali periculum deesse si habilis iterum fiat ad missam in » suo oppido celebrandam, in quo quilibet eum noscit, eiusdem- » que indigentias et familiae, nec non praesentem vitae tenorem » a culpis immunem. »

Post huiusmodi Episcopi testimonium *ex officio* inter cetera observabatur agi non de promovendo, sed de iam ad Ordines promoto, (1) in quo casu dispensatio seu rehabilitatio, secluso scandalo, et peracta poenitentia, concedenda videbatur. *Concil. Trid. sess.* 14 *Cap.* 7 *de Reform. et in Calaritana Irregularitatis* 19 *Ianuarii* 1793.

Concurrebat insuper Oratoris paupertas, qui, una cum sua familia, gravissimis aerumnis ab Episcopo indicatis, premebatur; paupertatem vero miserta S. Congregatio C. pro dispensatione SS̃mum consulendum non raro censuit, ut in *Auximana Irregularitatis* 27 *Augusti* 1789.

Responsio.— Die 20 Novembris 1824 S. Congregatio C. censuit respondere: *peractis spiritualibus exercitiis in loco et pro tempore arbitrio Episcopi, pro gratia, et ad D. Secretarium cum SS̃mo* (2).

Ex quibus colliges:

I. Presbyterum damnatis sectis misere illaqueatum, si sacra peragat, ex censurae ipso facto incursae violatione, irregularem fieri.

II. Irregularem posse fieri Presbyterum ex infamia facti, quamvis nec ab ipso iure expresse, nec per iudicis sententiam infamis declaretur.

III. Irregularem pariter ex defectu lenitatis fieri Presbyterum, qui inter milites ad pugnandum propria manu processerit, quamvis ipse, in pugnae conflictu, neminem occiderit, vel mutilaverit.

IV. Neminem tamen irregularem fieri per simplicem militiae adscriptionem, quamvis Presbyteris id a sacris Canonibus prohibeatur.

(1) Vide pag. 91 §. IV.

(2) Haec clausula *ad Dominum Secretarium cum SS̃mo*, aequivalet alteri *facto verbo cum SS̃mo* Vid. p. 89 in nota.

ABSOLUTIONIS A CENSURIS, ET DISPENSATIONIS.

Die 8 *Maii* 1824.

Summaria precum. Titius postquam a proprio Episcopo tonsuram, et quatuor ordines minores acceperat, Romam venit, ubi, impetrato Apostolico Indulto, subdiaconus, et deinde diaconus est ordinatus. In patriam deinde reversus, semel et iterum a proprio Episcopo ad presbyteratus ordinem promoveri enixe postulavit. Interrogatus ab eodem Episcopo, utrum sectae carbonariorum esset addictus, id aperte negavit, et de iuramento requisitus, iurare non dubitavit. Itaque presbyteratu insignitus die 7 Aprilis 1821, sequenti die primam missam, et postea decem alias celebravit.

At Episcopus certior factus, praedictum sacerdotem esse carbonariorum sectae devinctum, statim ipsum a divinis suspendit, monuitque, ut dispensationem ab irregularitate contracta, impetraret ab Apostolica Sede; ac demum iussit, ut in aliqua domo religiosa diuturno tempore operibus poenitentiae vacaret. Ad coenobium A. se contulit Titius, in quo 19 dies mansit: verum impar sumptibus diurnis ferendis, inde secessit, domique suae vixit, donec, mense Iulii 1822, operam dedit spiritualibus exercitiis per dies decem, eadem per idem tempus repetiit mense Augusti.

Interea, a die 30 Martii 1822, pro absolutione ab irregularitate S. Congregationi Concilii preces obtulit; sed audita Episcopi informatione, die 8 Ianuarii 1823, dimissus fuit responsione *lectum* (1) Cum iterum supplicasset mense Martio eiusdem anni, rescriptum fuit de more: *expleto anno recurrat commendatus ab Episcopo, et interea det ulteriora signa poenitentiae et constantis emendationis.* Mense Iulio sequenti, anno adhuc non expleto, tertiam supplicationem porrexit, et *in decretis* responsum est.

Verum, spe haud fractus Titius, die 13 Augusti eiusdem anni 1823, quartum libellum obtulit, una cum commendatitia epistola, qua Episcopus asseruit: Oratorem dedisse ac iugiter dare evidentia resipiscentiae signa, et ex eiusdem agendae vitae

(1) Vid. pag. 144 in nota.

ratione, satis ostendere suam constantem emendationem. Proindeque sibi suadebat Episcopus, Oratorem esse imploratam gratiam consecuturum.

Ea quae ex officio observarentur. — Animadvertebatur *ex officio,* Oratorem longe ante Constitutionem Pii VII. f. r., carbonariorum sectae nomen dedisse; poenitentem deinde, ac proprio Episcopo obedientem, suam retractationem emisisse, priusquam eadem Constitutio ederetur, quae data est idibus Septembris 1821. Tunc autem inter Theologos disputatum est, an generalis a Benedicto XIV promulgata societatum secretarum damnatio, carbonariorum sectam comprehenderet.

Observabatur insuper effluxisse integrum annum, et ultra, a die qua Oratori rescriptum fuerat *lectum,* (istae enim preces S. C. propositae fuerunt die 8 Maii 1824) et ab Episcopo commendatum, absolutionem postulare.

Quare favendum Oratori videbatur, licet non appareret quo tempore Orator carbonariis se adiunxerat, et ante cuiusnam ordinis susceptionem id evenerat, ideoque non constare, an una, vel pluribus irregularitatibus esset irretitus.

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii die 8 Maii 1824 respondere censuit: *expectet ad alium annum, et interim inserviat alicui ecclesiae, det maiora signa poenitentiae, et constantis emendationis, et post annum recurrat commendatus ab Episcopo.*

Ex duabus expositis causis colligere potes:

I. Presbyteros impiissime eiusmodi sectis illaqueatos a Sancta Sede non absolvi, nisi longa dederint poenitentiae, et resipiscentiae signa.

II. S. Concilii Congregationem tenuisse, Constitutiones Clementis XII et Benedicti XIV, quamvis tantum sectam – *dei liberi muratori,* seu *francs-maçons* – explicite nominarent, comprehendere etiam ceteras sectas eiusdem indolis. Non enim nomen damnatum fuerat, sed sectarum indoles.

III. Vehementer eos errare, qui putant, praecedentes et subsecutas R. Pontificum Constitutiones, sectas anathemate proscribentes, vim suam non exercere, iis in regionibus, ubi, a civili potestate, memoratae sectae tollerantur. Iniquitas enim, vel favore prosecuta, vel etiam ad triumphum provecta, suam non amittit naturam.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SUPER SANATIONE CONTRACTUS SEU CONCORDIA.

Compendium facti. Cuiusdam beneficii possessor a S. C. Ep. et Reg. supplex apostolicum beneplacitum postulaverat, ut fundum beneficialem, cuius quantitatem quinque rublos aestimatam fuisse exponebat, in emphiteusim Titio dare posset pro spatio annorum nonagitanovem, constituto canone scutatorum novem in singulos annos. Episcopus Dioecesanus super veritate precum referre, suamque sententiam ex instituto Sacri Ordinis edere iussus, inspecta fide, quam curaverat, idonei probique agrimensoris, (quam *peritiam* vocant), vera ab Oratore exposita fuisse, et contractum emphiteuticum in evidentem beneficii utilitatem cessurum esse rescripserat. Itaque S. C. die 19 Novembris anni 1829 precibus annuit, edito in haec verba rescripto, – *benigne commisit Episcopo, ut veris existentibus narratis, et constito sibi de evidenti beneficii utilitate, petitam facultatem pro suo arbitrio et conscientia impertiatur.* – Aliae consuetae accedebant clausulae, nulla adiecta conditione experimentum praemittendi *Vigesimae* ac *Sextae,* quae eo temporis tanta cum severitate minime usitabantur; nondum enim generalia S. C. ea de re decreta adhuc sancita et edita fuerant (1).

Die 22 Decembris eiusdem anni, Pro-Vicarius Generalis, et Cathedralis Archipresbyter memoratum rescriptum executioni mandarunt *apostolicis facultatibus* (ita aiebant ipsi) *nobis tributis utentes.* At vero ab Episcopo nullam specialem delegationem eum in finem obtinuerant, aut saltem nequaquam constabat, eadem ipsos delegatione instructos fuisse. Forte iis diebus Episcopus gravissima morbi vi tenebatur, qua confectus non multos post dies, eodem mense Decembri exeunte, praesentem hanc cum aeterna vita commutavit. Paulo post Titius per acta Notarii legitimum emphiteuticae concessionis instrumentum con-

(1) Vid. Append. IX. pag. 251.

fici studuit, et in utilem beneficialis fundi possessionem ingredi non retardavit.

Post haec fundum ipsum ad meliorem culturae conditionem provexit, unde uberior ex eo reditus annuus percipi coeptus est. Praeterea, cum fundus ipse obnoxius esset pascuorum servituti in utilitatem hominum municipii localis, cuius vi nonnisi in tres annos culturae subiici poterat, Titius, beneficio legis edictalis publice editae usus, soluta praescriptae pecuniae summa, fundum ab omni servitutis onere liberavit; unde factum est, ut dominus pro sui arbitrio commodoque agrum illum excolere et conserere non amplius prohiberetur.

Anno 1859 Titius e vita decessit, unica filia minorenni haerede relicta, additaque, huic, curatrice matre ipsa, tametsi haec posthac ad secunda vota, prout reapse accidit, transitum fecisset. In hoc rerum statu dubitatio exorta est, an concessio emphiteutica valida et efficax habenda foret ea de causa, quod Pro-Vicarius Generalis et Archipresbyter, Executores rescripti diei 19 Nov. 1829 speciali ab Episcopo, cui executio a S. Cong. nominatim commissa fuerat, delegatione muniti non fuisse videbantur. Itaque, curante matre uti filiae suae tutrice, novae preces S. C. Ep. et Reg. oblatae sunt, quibus exorabatur, ut omne, quod forte in rescripto memorato exequendo occurrisset, vitium, apostolica benignitate sanaretur.

Rogatus de more Episcopus, qua occasione elementa conquirebat, quibuscum responsionem S. C. remittendam conficeret, deprehendit fundum beneficialem, de quo agebatur, non coerceri ad quantitatem enarratam in precibus anni 1829, nempe rublorum quinque, sed enimvero ad rublos decem supra tres insuper extendi. Nihilominus benigne cum pupilla agi posse autumabat, dummodo canon annuus scutatorum novem congruenter ad aequitatis normam adaugeretur. Itaque Sacer Ordo Episcopo in mandatis dedit, ut amicam conciliationem institueret. Beneficii administratores (quippe beneficio interim vacante fructus beneficiales per decennium cuidam religioso Instituto ex S. Sedis venia fuerant addicti) cum ex testimoniali agrimensoris fide a toto fundo emphiteutico scutata centum percipi posse colligerent, annuum canonem ad scutata quinquaginta assurgere debere contendebant: at vero curatrix huius agrimen-

soris testimonium impugnans, tam opimum esse fundi beneficialis annalem fructum pernegabat; adeoque canonis augmentum ad scutata triginta offerebat. Cum vero partes inter se minime convenirent, res ad S. Congr. iudicium deducta est.

Disceptatio synoptica.

Quid contra preces excipieretur. — Duae erant exceptiones, quae potissimum obiiciebantur; nimirum intrinseca nullitas emphitheutici contractus ex precum subreptione et obreptione derivans, et nullitas extrinseca decreti executorialis ex defectu potestatis in executoribus. De prima ante omnia sermo sit, in qua magnae disquisitionis opus haud erat; namque res ipsa loquebatur, in precum narratione anni 1829 falsum fuisse expositum. Et sane; fundus beneficialis mensuram rublorum quinque praeseferre dictus fuerat: at vero, rebus denique accuratius inspectis, absque omni dubitatione compertum fuerat, fundum ipsum ad rublos tresdecim ascendere.

Neque autem respondere proderat, rem hanc bona cum fide sine contradictione processisse. Nam in iure canonico incompertum est, obreptioni et subreptioni locum esse etiamsi huiusmodi vitium ignoranter acciderit: satis est enim, ut preces veritate nequaquam nixas fuisse dignoscatur. Si enim S. C. eo modo, quo vere erat, se rem habere agnovisset, gratiam expetitam sine dubitatione denegasset, tam exigua praesertim annui canonis solutione praefinita: quod iuxta commune SS. CC. ius, et interpretum doctrinam sufficit, ut subreptio et obreptio adesse dicatur, adeoque gratia, utpote tam substantiali infecta vitio, veluti nulla radicitus habenda sit.

Tametsi vero huiusmodi difficultatem nullo in pretio habendam esse per summam liberalitatem concedere velles, altera super rescripti executionis nullitate offendebatur, quae superari nullimode poterat. In primis enim statuebatur huiusmodi gratiarum rescripta, a Sacris Almae Urbis Congregationibus impertiri solita, tum demum perfectionem adipisci, cum ab eo cuius arbitrio et conscientiae remittuntur rite executioni demandata fuerint. Interpositio enim quae nedum permittitur executori, sed et iniungitur, *prudentis arbitrii et conscientiae*, frustanea esset ac nugatoria. Hinc est, quod ex Doctorum, praesertim eorum, qui

res practicas apprime callent, auctoritate ac sententia, huius generis rescripta tamquam conditionalia reputantur, quae videlicet ex conditione executionis peragendae dependent (1).

Hoc posito, subsumebatur, rescriptum in casu de quo agitur, imperfectum plane dicendum esse, si eiusdem executio tamquam nulla deprehenderetur: conditio siquidem isthaec substantialis adimpleta minime fuisset, et quod initio vitiosum esset, non potuisset tractu temporis convalescere. Iamvero inefficacia decreti executorialis meridiana luce clarior sese prodebat. Quamvis enim executionem peregisset Pro-Vicarius Generalis, cui canonica iura ordinariae iurisdictionis partem generatim loquendo, ex ipsius officii vi permittunt, nihilominus huic auctorationi, sui sunt certi statutique fines, quos eidem transilire datum non est (2). Hoc enim in casu ne Vicarius Generalis nulliter agat, necesse est, ut Episcopus specialem eidem facultatem conferat, sive generatim in literis, quibus ad hoc ministerium adsiscitur, sive singulatim in casibus peculiaribus, toties quoties iidem supervenerint. Quod vero executio beneplaciti Apostolici Episcopo nominatim commissi inter facultates Vicario Generali ordinario competentes accenseri nequeat, vel ex hoc ipso arguitur, quod alienatio rerum Ecclesiae, neque ipsi Episcopo permissa est, utpote summo Pontifici reservata: hoc unum Episcopo integrum est, ut Generalem Vicarium subdelegare non impediatur; quan-

(1) Monacellius disciplinae S. C. apprime gnarus, quippe qui per quatuordecim annos eiusdem S. Congregationis officialem egit, in suo opere *Formul. Leg. tit.* 14 *form.* 4 *n.* 1 ita scribit: « Beneplacitum Apostolicum super alienatione bonorum ecclesiarum et locorum piorum ecclesiasticorum, sive expediatur per Datariam, sive a Congregationibus Concilii et Episcoporum ac Regularium, habet regulariter in ventre clausulas, quae reddunt gratiam conditionalem, et quae inducunt formam per executorem praecise servandam, ut dixit Rota.» Idem fere concinit Rigantius *Reg* 52 *n.* 76 *ac* 73 Rosa *Exec. Lit. Apost. cap.* 13n. 67 Quibus addi posset Romanae Rotae auctoritas in permultis cum antiqui, tum recentis oevi decisionibus.

(2) Certum et indubitatum est, quod » per generalem Vicarii constitutionem » non censetur in eum translata facultas, » quae competit Episcopo iure speciali,» ait Fagnanus ad *cap. Quoniam De offic. Deleg. n.* 10; namque, ut ipse subdit, « in » iurisdictione delegata non fit extensio » de persona in personam.» Itaque in Concilii Tridentini dispositionibus, quoties aliquid Episcopo *ex iurisdictione delegata* tribuitur, receptum est, idipsum non censeri permissum Vicario Generali, si non accedat specialis Episcopi auctoratio. Vid. Leuren. *De Vic. Ep. Qu.* 111 *et Qu.* 194 Piring *De offi. vic. lib.* 1 *t.* 28 *n.* 91 aliiq.

doquidem ex *cap. Quoniam de off. Del.* – Delegatus a principe potest subdelegare. –

Porro specialis huiusce auctoritatis ab Episcopo, qui adhuc superstes erat acceptae, nulla in decreto executoriali mentio facta fuerat, ceu superius indicatum est. Neque ceteroquin pars adversa legitimis probationibus demonstrabat, expressum Episcopi mandatum nequaquam defuisse; prouti ipsi solide comprobare necessario incumbebat, quatenus actus illius robur stare voluisset (1).

Cum itaque rescriptum anni 1829 omni ex parte corrueret, implorata sanatio vel omnino pernegari debuisset, ne gratia in damnum tertii, idest beneficii vergeret, vel saltem ad eam aequalitatem canon persolvendus propius referri debuisset, quam iustitia hinc inde praescriberet. Neque enim recto consilio Oratrici accessiones fundo factas, et beneficium liberatae servitutis opponere fas erat: quoniam Titius triginta et amplius annorum decursu naturalem fundi beneficialis fructum ex quantitate rublorum tresdecim perceperat, quando nonnisi ex quinque tantum rublis compendium illud consequi debuisset. Unde sequebatur, ut melioramenta in fundo peracta ex ipsius fundi fructibus satis superque compensata dici deberent.

Quid istis exceptionibus responderetur. — Oratrix aiebat in exarandis precibus S. C. anno 1829 exhibitis normam desumptam esse ab Ecclesiastico Episcopalis Curiae censu, in quo, fundo beneficiali, quantitas rublorum quinque abscribitur. Eidem se conformavit agrimensor ab Episcopo deputatus, necnon et ipse Episcopus in literis S. C. remissis. Error autem, quo pro tresdecim rublis, quinque tantummodo sumpti expressique fuerant, ex eo certe occasionem habuit, quod octo, qui supererant rubli, in solo, montibus, saxis, arena constrato positi erant, adeoque nullius fere culturae idonei, ita ut si posthac, aliqua ex parte nonnihil redituum percipiebatur, id emphiteutae industriae dum-

(1) Ad rem tradit Monacel. *Form. leg. Tit.* 1 *form.* 1 *n.* 32. « Praesumptio stat » pro nullitate actus, nisi probetur com- » missio, quam probare tenetur ipse Vica- » rius, vel alius qui eam supponit, ut eam » in rem in individuo docent... et est ge- » nerale, quod quando qualitas seu ido- » neitas requiritur a lege, non praesumi- » tur, sed est probanda, cum sit qualitas » extrinseca, licet intrinseca praesumatur » adesse. »

taxat imputandum esset. Itaque si soli quantitas inspiceretur, error, magnum aliquod protendere videbatur; si vero qualitas spectata fuisset, errorem eumdem in accidentalibus versatum esse facile apparebat: quod iuxta sententiam Interpretum rerum canonicarum omnem subreptionem obreptionemque excludit. Reiff. *Lib.* 1 *Dec. tit.* 3 *n.* 189.

Quod vero pertinet ad rescripti nullitatem ex defectu potestatis, subiiciebat Oratrix, Episcopum ipsum, cum adhuc sana valetudine uteretur, consuetam inquisitionem de veritate precum instituisse, ac rebus cognitis, pro sua conscientia S. C. retulisse, emphiteusim evidenti utilitati futuram. Quin imo Episcopus eo etiam devenerat, ut contractus eiusdem stipulationem impense commendaret. Quo posito quid pro suo arbitrio et conscientia sentiret, iam ipse satis superque patefecerat: hinc in executione rescripti non uti executorem *mixtum*, sed uti *merum*, sese gessisse existimandus erat, proptereaque gratiae valor a data rescripti computari debebat, minime vero a decreto executoriali. Utcumque vero se res haberet, praesumi non potest, quin eius mandato Vicarius Generalis rescriptum executus fuisset; cum praesertim Episcopus mandatum solo etiam nutu dare potuisset. Denique lapsus annorum plusquam triginta a rescripto anni 1829 ad preces ab Oratrice oblatas, omnem defectum ex iuris principiis iam purgavisse dicendus erat.

Nihilo tamen secius Oratrix aliena non erat ab aequa et rationabili aliqua transactione, in qua negabat fundi beneficialis reditum ad scutata centum ascendere; quin imo multo inferiorem eum esse demonstrabat ex syngraphis locationis tempore minime suspecto retro stipulatis. Quando itaque canonem ad scutata triginta attollere non dissentiret, conditionem certissime utillimam sese obtulisse inquiebat, si praesertim ratio haberetur melioris culturae in fundum illatae, ac prae primis liberationis a servitute pascuorum, ex qua uberior fructuum recollectio, ingenti non sine damno, antea intercipiebatur.

Dubium.

« An et quomodo concedenda sit implorata sanatio in casu.»

Resolutio dubii.—S. C. Ep. et Reg. die 26 Febr. 1864 rescripsit: *Affirmative pro sanatione, aucto tamen canone ad scut.* 30 *a die*

prima currentis anni, melioramenta, comprehensa etiam affrancatione, cedant favore beneficii, et serventur ceterae conditiones in primo rescripto appositae, facto verbo cum SSmo.

Ex iis colliges:

I. Beneplacitum Apostolicum ex obreptione et subreptione obtentum pro alienatione rerum Ecclesiae, non suffragari.

II. Obreptionem autem et subreptionem, toties verificari, quoties falsitas exponitur, vel veritas tacetur.

III. Id etiam accidere si ex ignorantia cum bona fide processerit, quando vitium in substantialibus versatur (1).

IV. Colliges rescripti executionem, Episcopi *arbitrio* et *conscientiae* remissam, efficere ut gratia facta non dicatur nisi accesserit executio.

V. Ad eiusmodi executionem procedere non posse Vicarium generalem, nisi huic, specialis facultas ab ipso delegato Episcopo concedatur.

VI. In rebus enim ubi Episcopus ex facultate delegata procedit, Vicarius generalis procedere nequit, sine speciali subdelegatione, ab eodem Episcopo, habita.

DISTRIBUTIONUM.

Die 1 Martii 1861.

Compendium facti. Extat in dioecesi A. parochialis ecclesia, in qua Archipresbyter parochus praeest septem aliis presbyteris praebendatis sive beneficiatis. Onus, quod in eos incumbit, est celebrandi solemnitates in eadem ecclesia intra annum occurrentes, vesperis, et missis cum cantu.

Insuper iidem fixa anniversaria celebrant, quae ex Benefactorum dispositionibus celebrari debent, ac distributiones et emolumenta pro his recipiunt, nec non propter cadaverum associa-

(1) Celeberrima est iuris dispositio Innocentii III., rescriptorum obreptionem et subreptionem respiciens, quae legitur in capite 20 Decretalium.

tionem, aliasque sacras functiones quae occurrunt, quaeque adventitiae dicuntur.

Dicti Praebendati, licet Archipresbytero in curam animarum incumbenti, ultro concederent distributiones, si, consuetis anni solemnitatibus, functionibus non adsisteret: tamen eidem ius, quadam die denegarunt, percipiendi ceteras distributiones, et emolumenta propter fixia anniversaria et functiones adventitias, quibus ratione curae animarum non intererat.

Confugit Archipresbyter ad Episcopum, cuius Vicarius generalis decretum emisit favore Archipresbyteri eiusdem, attenta praesertim consuetudine, et ita, ut Archipresbyter redintegrari deberet in emolumentis illis, quae eidem denegabantur.

Huic decreto non acquiescentes Praebendati, appellarunt ad S. C. Ep. et Reg., in qua, audita Episcopi informatione, quaestio resoluta fuit per responsionem ad dubium quod in calce ponitur.

Disceptatio synoptica.

Utraque contendentium pars innitebatur consuetudini. Contendebat enim Archipresbyter suos antecessores, licet absentes propter animarum curam, percepisse dictas distributiones quae cum fixis anniversariis cohaerebant. E contra Praebendati ostendere curabant hanc consuetudinem, si intervenerit, respexisse solummodo urgentes casus curae animarum, in quibus Archipresbyteri praesentia omnino exigeretur. Verum de hac consuetudine *in facto* sive favore unius, sive favore alterius partis, non plene firma et determinata videbatur.

Ea quae ex officio observarentur. — Praemittebatur Concilii Trid. decretum *cap.* 3 *sess.* 22 *de Refor.* in qua legitur « Quod » si alicui ex praedictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, vel » collegiatis, de iure seu consuetudine iurisdictio, administratio, » vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi » cura animarum immineat, cui, is, qui dignitatem obtinet, in- » cumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata ecclesia » resederit ac ministraverit, tanquam praesens sit, ac divinis in- » tersit, in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habeatur. »

Proferebantur insuper Resolutiones S. C. C. quas refert Benedictus XIV *in Inst.* 107, quae quotidianas distributiones respi-

ciunt; nimirum in *Mediolanen.* 3 *Febr.* 1609 – Sacra Congregatio censuit, *Oratorem habentem onus curae animarum adnexum, si tempore, quo divina officia celebrantur, audiat confessiones, vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat, lucrari debere distributiones quotidianas, etiamsi divinis non intersit.* Item in una *diei* 19 *Septembris* 1643, idem firmatur, *si eo tempore sit in actu dictam curam exercendi, et sacramenta administrandi.*

Observabatur autem idem etiam obtinere in Urbe in capitulis in quibus unus ex canonicis est vicarius curatus, qui, licet non intersit choro, ratione muneris parochialis, percipit tamen quotidianas distributiones, prouti habetur in *Augustana Distributionum* 14 *Decemb.* 1844. Iudicandum itaque erat, an idem ius applicandum esset in ecclesia parochiali de qua agitur, quae neque est cathedralis, neque collegiata.

Ad distributiones vero extraordinarias quod attinet, seu eventuales et incertas quae, communi vocabulo, appellari solent *inter praesentes*, observabatur, S. Congregationem C. attendisse saepe ad capitularia statuta, et peculiares consuetudines ceu in *Anagnina servitii Chor. et Distrib.* 20 *Novem.* 1819 *ad dub. XII.*, in *Aquilana Indulti* 26 *Iunii* 1745, *in Spoletana et Reatina* 3 *Aprilis* 1841.

Quod si in praesenti casu minus firma et determinata consuetudo videretur, tota quaestio ad iuris tramites diiudicanda erat.

Ad normam itaque iuris, quod apud S. C. C. obtinet, distinguebantur dictae extraordinariae distributiones in eas, quae determinatis anni diebus pro fixis functionibus conceduntur, et in illas quae adventitiae, et incertae sunt, quaeque obveniunt ex. gr. propter funera, missas cum cantu, preces novendiales etc., quae pendent a libera fidelium voluntate. Ad primas itaque distributiones quod attinet, dicebatur eas percipi ab eo, qui, licet non intersit, veluti praesens, ex privilegio, in choro habetur, dummodo tamen non obstet testatorum voluntas, ut S. C. C. definivit in *Lucana Exempt. et Emolum.* 30 *Ianuarii* 1858. In ea enim recensetur hoc dubium IV.: «An debeatur *(Iubilato)* portio » emolumentorum provenientium ab anniversariis fixis in casu;» cui responsum est: *affirmative dummodo non obstet voluntas testatorum* (1). Et magis ad rem de qua agimus, in *Asculana, die*

(1) Vide pag. 203. §. *Quin imo.*

20 *Nov.* 1830 *ad dub. IV.* « An et quae distributiones ac emo- » lumenta percipere possint canonici curati absentes a chorali » servitio, pro exercenda animarum cura in casu» S. C. C. respondit: *affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta, exceptis, iis, quatenus non intersint, quae ex voluntate testatorum debentur tantum actu praesentibus.*

Ad adventitias distributiones quod attinet, dicebatur, S. Congregationem C. consuevisse eas denegare, iis qui realiter non intersunt. Ad hoc confirmandum allegabatur Resolutio in *Lucana Exempt. et Emolum. ad III. V. et VI. dubium* quam videbis inferius.

Dubium.

« An, et quomodo, et quaenam distributiones debeantur Ar- » chipresbytero Parocho in exercitium officiorum parochialium » incumbenti, ita ut locus sit redintegrationi etiam emolumen- » torum, quae eidem denegata sunt in casu.»

Resolutio dubii. — Sacra Congregatio Epis. et Reg. causa in examen revocata die 1 Martii 1861, censuit respondere: *quoad distributiones et emolumenta provenientia ex anniversariis fixis, affirmative, onerata conscientia Archipresbyteri; quoad reliqua dentur Resolutiones dubiorum III. V. et VI. in Lucana; et iuxta normas datas, esse locum redintegrationi.*

Indicata porro dubia in Lucana, eorumdemque respectivae resolutiones, sunt eiusmodi.

III. « An canonico iubilato, licet non intervenienti, debeatur » portio emolumentorum provenientium ex associatione cadave- » rum, et ex respectivis funeralibus in casu.»

V. « An debeatur portio emolumentorum provenientium ab » anniversariis incertis, et extraordinariis in casu. »

VI. « An debeatur portio emolumentorum provenientium ex » missis cantatis adventitiis, quae, occasione festorum ad Bene- » factorum petitionem, celebrantur a capitulo in ecclesiis civi- » tatis et territorii in casu. » Sacra Congregatio Concilii die 30 Ianuarii 1858 respondit ad III. *negative in omnibus.* Ad V. et VI. *negative.* (1)

(1) Forsan quaeris cur S.C. dixerit in dubio III. *negative in omnibus,* cum in aliis duobus dicit tantum *negative.* Ratio est quia in tertio dubio plura comprehendebantur, in aliis vero unum tantum quaerebatur.

Ex iis colliges:

I. Leges canonicas, quae pro capitulis cathedralibus, sive collegiatis statutae sunt, facile protendi ad eos, qui, collegialiter ad instar canonicorum, quaedam choralia officia exercere debent. Ubi enim viget eadem legis ratio, ibi eadem esse debet legis dispositio.

II. Colliges: praebendatum cum onere adnexo curae animarum, praesentem in choro censeri, eius onerata conscientia, dum incumbit in parochialia officia; proindeque huic omnes deberi quotidianas distributiones.

III. Imo, eidem deberi etiam distributiones extraordinarias, quae ob fixa anniversaria distribuuntur, nisi obstet Benefactorum voluntas, vel statutum, vel certa consuetudo (1).

IV. Percipere tamen non posse ea emolumenta, quae, ob adventitias ecclesiasticas functiones, iis qui inserviunt distribuuntur.

(1) Indicata regula habenda est prae oculis in casu, in quo, quis a choro ita abest ex legitima causa, ut vel ex iure, aut ex indulto sine exceptione consideretur uti *choro praesens*. Ita ex. gr. in *Savonen. Distributionum* 18 *Dec.* 1745 ad dubium: « an Canonicus N. tempore infirmitatis » participare valeat de omnibus distribu- » tionibus, tam ordinariis tam extraordi- » nariis, ac quibuscumque aliis emolu- » mentis, et obventionibus, prout parti- » cipant caeteri canonici interessentes in » casu» responsum fuit: *affirmative exceptis iis, quae sive ex voluntate Testatoris, sive ex statuto et consuetudine ecclesiae, debentur tantum actu interessentibus.*

Item in *Aquilana Indulti* 26 *Iunii* 1745 concessum fuerat indultum Canonico N. abessendi a choro ratione infirmitatis. Cum quaestio mota esset super emolumentis quae percipere debuerat; ad dubium II. « an et quibus emolumentis » perfrui debeat in casu:» S. C. C. respondere censuit: ad II. *deberi omnia emolumenta exceptis iis, quae sive ex dispositionibus Testatorum, sive ex statuto, et consuetudine ecclesiae; debentur tantum actu inservientibus: et amplius.*

Denique in *Spoletana seu Reatina punctaturarum diei* 3 *Aprilis* 1841, concessum fuerat iubilationis indultum Canonico N. cum solitis clausulis, nimirum: *ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro personaliter interesset.* Nulla porro habebatur consuetudo, vel statutum quod receptionem distributionum limitaret; dictus enim Canonicus fuit primus in ea ecclesia qui iubilationis indulto frueretur. Quaesitum est: « An Canonicus N. participare » debeat de punctaturis, seu fallentiis » aliorum Canonicorum, si choro non in- » tersit in casu.» S. C. C. respondit: *affirmative cum nihil obstat, vel ex statutis, vel ex consuetudine.*

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

DECRETUM S. R. U. INQUISITIONIS

CIRCA OCCULTAS SECTAS.

Archiepiscopis Baltimorensi Cincinnatensi, ac Neo-Eboracensi, nec non Episcopis Albanensi, Bostoniensi, Brooklynensi, Buffalensi, Burlingtonensi, Hortfordiensi, Newarcensi ac Portlandensi.

« Plura ad Sanctam Sedem delata sunt circa Societatem quae appellatur Fratrum Fenorum, aut Fenianorum, eaque Supremae Congregationi Universalis inquisitionis submissa fuere, ut quid de illis sentiendum foret decerneretur. Porro Sanctissimus Dñus Noster Pius PP. IX., audito Emorum Inquisitorum suffragio, Amplitudini Tuae notificandum mandavit Decretum Fer. IV. 5 Augusti 1846 quod sic se habet: *Societates occultae de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando* (1). Voluit praeterea Sanctitas Sua, ut Tibi subiungeretur, recurrendum esse ad Sanctam Sedem, et quidem omnibus adamussim expositis rerum adiunctis, si quae forte difficultates in applicatione praedicti Decreti inveniantur (2).»

« Quoniam vero recenter assertum est in quibusdam foliis periodicis, ac signanter in *The Connaught Patriot,* declarationem prodiisse a Sede Apostolica, iuxta quam *Feniani inquietandi non essent,* idcirco Suprema Congregatio S. Officii, Amplitudini Tuae significandum decrevit praedictam assertionem omnino falsam fuisse.» Precor Deum etc.

13 Iulii 1865.

Al. C. Barnabò, Praef.

H. Capalti, Secretarius.

(1) In nonnullis ephemeridibus hoc decretum reperiebatur insertum, ante SSmi Allocutionem diei 25 Septem. pr. elapsi.

(2) Haec subiunctio, in hoc speciali Decreto, cohaeret cum Capite V. *Decretalium, De Rescriptis* in quo haec leguntur: « Si quando aliqua tuae fraternitati » dirigimus, quae animum tuum exaspe- » rare videntur, turbari non debes: et » infra. Qualitatem negotii pro quo tibi » scribitur, diligenter considerans, aut » mandatum nostrum reverenter adim- » pleas, aut per literas tuas, quare adim- » plere non possis, rationabilem causam » praetendas etc.»

Recole modo verba, quae in solemni Allocutione, in Consistorio secreto diei 15 Septembris habita, SSmus Dominus Noster protulit, nimirum: « Atque hic in consessu Vestro memora- » tas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones confirmantes, » *Massonicam illam, aliasque eiusdem generis Societates*, quae » specie tenus diversae (1) in dies coalescunt, quae contra Ec- » clesiam *vel* legitimas potestates *seu palam* seu clandestine ma- » chinentur, auctoritate Nostra Apostolica, reprobamus et con- » demnamus (2), atque ab omnibus Christifidelibus *cuiuscumque* » conditionis ac dignitatis, et *ubicumque* terrarum sint, *tamquam* » *per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus etc.* »

Ex expositis colligere potes:

I. Inanem esse eorum sectariorum exceptionem, qua ex eo se non comprehendi putant sub Constitutionum, de quibus agimus, sanctione, quia iactant, se nihil adversus Ecclesiam Dei moliri. Verba enim superius relata disiunctiva sunt - *contra Ecclesiam, vel legitimas potestates – adversus Ecclesiam, vel gubernium.*-

II. Insuper, inanem esse exceptionem, qua ex eo se non comprehendi putant, quia conventicula non secreto, sed palam habent. Verba enim pariter disiunctiva sunt - *seu palam, seu clandestine machinentur.*-

(1) Pari propemodum circumstantia, Patres concilii Lateranensis IV. sub anathemate comprehenderunt multiformes haereses, variis nominibus appellatas, quae in dies succrescentes, demoliri videbantur vineam Domini Sabaoth, hisce verbis: « condemnantes haereticos univer- » sos, quibuscumque nominibus cense- » antur, *facies quidem diversas habentes,* » *sed caudas ad invicem colligatas, quia* » *de vanitate* (alias de varietate) *conve-* » *niunt in idipsum.* »

(2) Iam ab initio Sui Pontificatus, eiusmodi Societates SSmus solemniter reprobavit, et condemnavit in memorabili Enciclica diei 9 Novembris 1846, hisce verbis : « Iam vero probe nosci- » tis, Venerabiles Fratres, alia erro- » rum monstra, et fraudes, quibus hu- » ius saeculi filii catholicam religionem, » et divinam Ecclesiae auctoritatem, eius- » que leges acerrime oppugnare, et » *tum sacrae, tum civilis potestatis* » *iura conculcare conantur.* Huc spectant » nefariae molitiones contra hanc Roma- » nam Beatissimi Petri Cathedram, in qua » Christus posuit inespugnabile Ecclesiae » suae fundamentum. Huc *clandestinae* » *illae sectae e tenebris, ad rei, tum sa-* » *crae, tum publicae exitium et vastita-* » *tem emersae, atque a Romanis Ponti-* » *ficibus Decessoribus Nostris iterato* » *anathemate damnatae suis Apostolicis* » *Literis, quas Nos Apostolicae Nostrae* » *potestatis plenitudine confirmamus, et* » *diligentissime servari mandamus.* »

III. Nec minus inanem alteram esse, qua putant, eiusmodi Constitutiones, locum non habere, ubi a civili gubernio (quod est commentum pravae doctrinae) sectae tolerantur, vel peculiarem exigere, pro locorum diversitate, applicationem et executionem. Verba enim sunt: - *ab omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque conditionis ac dignitatis, et ubicumque terrarum sint, tamquam per Nos proscriptas, et reprobatas haberi, volumus.*-

IV. Neque iuramentum, quod in huiusmodi sectis exigi solet de secreto servando, est quid essentiale, ut eae damnatae dicantur. - *exigant, vel non exigunt iuramentum de secreto servando.*-

V. Quare ex eo eiusmodi societates iam damnatae intelliguntur, quia *occultae sectae sunt*, idest societates spuriae, et adulterinae, quae ex praeposteris theoreticis principiis in subversionem publici ordinis, occultis subdolisque mediis, in sinu societatis organicam subsistentiam sibi comparant (1).

(1) Si placet, ad haec adverte. Praesenti ordine divinae providentiae inspecto, *quoniam omnis Potestas a Deo est*, duae tantum sunt in proprio ordine supremae independentes societates, et potestates; civilis nempe et ecclesiastica, quarum prior, inferior et subordinata est alteri, ratione originis, mediorum, et finis; quaelibet alia societas et potestas suprema et independens, quae neque civilis sit, neque ecclesiastica, utpote ordini praesenti divinae providentiae adversa, esse non potest nisi anomala, et spuria.

Eiusmodi autem sunt societates illae, quae occultae sectae congrue nominantur. Ipsae enim, in sinu civilis societatis, occultis subdolisque mediis organicam subsistentiam sibi comparantes, potestatem, singulari quadam ratione, exercent legislativam, iudiciariam, coactivam, executivam in suos et in alios; ita, ut in exercitio huius sibi adscriptae potestatis, plane independentes sint, eamque nomine proprio exerceant. Se gerunt ergo uti societates et potestates supremae et independentes.

E contra vero, a societatibus et potestatibus supremis, et independentibus, quas Deus in praesenti statuit ordine, plane distinguuntur. Sermo tantum fieri potest de destinctione a civili potestate. Sane eiusmodi occultae societates, licet in sinu oriantur civilis societatis, et in eam suas venas, fibrasque reconditas ample diffundant; tamen, quatenus societatem constituunt, aliae omnino sunt, a civilibus constitutis societatibus, in quibus plus vel minus, ratione locorum, lucem reformidantes, vitam agunt. Alia pariter est a civili potestate, ea, quam exercent, utpotequae independens est, et nomine proprio exercent.

Sunt ergo societates anomalae et spuriae, et potestatem sibi usurpant, quae, a Deo, vel uti auctore ordinis naturalis, vel supernaturalis, non derivat.

Hisce breviter animadversis, iam patet, quid respondendum sit, a catholico, obiectioni illi in aequivocatione verborum positae, quae in pravarum ephemeridum colluvie, iterato vel legitur vel supponitur,

VI. Denique colliges, quam male sibi consulant civilia gubernia, sive acatholica, sive catholica, quae veram Christi Ecclesiam despiciunt, vel eamdem, uti suspectam novercam habentes, liberrimum impediunt suae auctoritatis exercitium, sive

nimirum: *hominibus inest nativum ius in societatem pro lubitu coeundi, et societatem constituendi.* Respondetur enim satis, si dicatur, homini ius non inesse coeundi in societatem, quae sit abortus, et monstrum, ordini divinae providentiae adversum.

Cui obiectioni, nimis indulgere ille videretur, qui indirecta tantum ratione responderet. Firmiter enim tenendum est, non dari potestatem nisi a Deo, eamque in praesenti rerum ordine duplicem esse, ratione duplicis societatis; naturalis una, quae dum in actu constituitur, societas civilis dicitur; supernaturalis altera. Si itaque tertia interponatur societas, quae neque una neque altera sit, eiusmodi societas, in praesenti providentiae ordine, esse non poterit nisi monstrum, eiusque potestas cum a Deo esse non possit, erit tenebrarum potestas.

Neque tibi difficultatem creent speciales illae societates, et quidem amplissimae, quae sunt, et esse possunt, multiplicis generis, in ipso sinu civilis, vel ecclesiasticae societatis, in quibus etiam iurisdictio exerceatur, ut est ex. gr. exercitus; ut est ordo religiosus. Ista enim peculiaria collegia, sunt partes illius superioris societatis, ad quam pertinent, et ita ut membra, magis, quam caeteri, de societate sive civili, sive ecclesiastica participent. Quaere ex. gr. a milite, an sit civis, respondebit tibi: non solum civis sum, sed etiam miles. Quaere a religioso, an sit catholicus, respondebit tibi: non solum catholicus, sed et religiosus; magis igitur per huiusmodi societates peculiares, membra devinciuntur societatibus illis supremis, ad quas pertinent, et potestatem quam exercent, a potestate respectiva, sive civili, sive ecclesiastica mutuantur.

Pete, e contra, a membro alicuius sectae ex. gr. massonicae, ad quam societatem supremam pertineat; ipsum, si se bene noscat, spreta civili, et ecclesiastica societate, respondere debebit: sum tantum membrum societatis massonicae, quae utitur etiam regibus veluti instrumentis ad suos obtinendos fines. Si autem se plene non agnoscat, respondere tibi poterit; sum membrum massonicae, civilis, et ecclesiasticae societatis. Vides itaque tres introduci diversas et independentes societates, et cohaerentes potestates, quarum, cum duae tantum esse possint legitimae, in ordine praesenti, civilis nempe, et ecclesiastica, tertium illud societatum genus, spurium dicendum est, earumdemque potestas, si ita appellari possit, erit tenebrarum potestas.

Haec quidem dicenda videntur, si eiusmodi sectae considerentur solummodo *secundum se,* quatenus sunt societates, et potestates, abstractione facta a fine, quem sibi praestituunt, vel praestituere possunt, qui tandem est perturbatio et subversio utriusque societatis, civilis et ecclesiasticae; praescindendo a mediis quibus sibi adscriptam potestatem exercent, quae solent esse illicita et flagitiosa; praescindendo a modo, quo membra in societatem cooptantur, qui impius esse solet; praescindendo a pactis quae interveniunt, quae sunt prorsus immoralia; praescindendo a doctrinis, quas profitentur, quae esse solent atheismus, pantheismus, socialismus, aliaeque affines.

Haec itaque omnia, si placet, accurate considera, quibus adiunge harum societa-

regio *placet*, sive regio *exequatur*, aliisque modis. Haec enim gubernia, praeterquamquod debito suo officio non satisfaciunt, temporali etiam utilitati praepostere prospiciunt.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

AESINA.

Die 16 *Septembris* 1865.

« Quum Editor Kalendarii Dioeceseos Aesinae, et Coeremoniarius Episcopalis, sequentium Dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisierint, nempe:

I. « Sacra Rituum Congregatio die 4 Septembris 1773 *in una* » *Conchen.*(1) in occurrentia Festi Sancti Eliae Prophetae cum Sab-

tum amplitudinem; diuturnitatem; vigorem seu furorem; membrorum tenacissimam adaesionem societati, eiusdemque erroribus; et communem in diversitate nominum conspirationem in malum; et deinde denegare non poteris supremum architectum harum societatum (quoniam effectus causae proportionati esse debent) alium esse non posse, praeter illum, qui in Sacris Literis dicitur princeps huius mundi, qui societatum saltem proceribus phisico influxu inspiret, et in eis operetur; hinc mirum esse non debet, si in eiusmodi societatibus, magis eluceant diabolicae quaedam manifestationes, quae, dum prius dicebantur magia, theurgia, goëtia, negromantia, magicae extases, etc., permutata forma, hodie dicuntur spiritismus, vel etiam, mirabiles magnetismi effectus.

(1) Caeremoniarum Magister ecclesiae cathedralis Conchensis S. R. C. exposuerat « per totam Dioecesim Conchensem, festum S. Eliae prophetae cum officio, et missa sub ritu duplici, die 6 Martii a Rmo Ordinario designata, quotannis celebrari; quae dies aliquando concurrens cum sabato quatuor temporum post Dominicam primam Quadragesimae, cum evangelium praedicti festi sit unum cum evangelio feriae currentis, nempe: *Assumpsit Iesus etc.* de Transfiguratione; eidem S. C. supplicavit, quatenus declarare dignaretur sequens infrascriptum dubium, videlicet: « An in » tali concurrentia, tres lectiones tertii » nocturni dicendae sint de festo, sine » nona lectione feriae; vel, an dicenda » sit nona lectio feriae, non obstante, quod » idem sit evangelium, vel homilia di- » stincta; vel, an tres lectiones dicendae » sint de feria, ut accidit in festo Expe- » ctationis Partus B. M. V. 18 Decem- » bris, quando occurrit in feria quatuor » temporum; vel, an sit sumendum pro » S. Elia aliud evangelium de aliquo » communi, et quale commune illi re- » spondeat?»

Et S.C. rescribendum censuit: *Quando sexta dies Martii cadat in sabatum*

» bato Quatuor Temporum Quadragesimae idem Evangelium ha-
» bente, ac illud Festi praedicti, decrevit: de Feria fieri debere
» Commemorationem sine eius Homilia pro IX, Lectione, non ob-
» stante dispositione Rubricae particularis pro Festo Expectatio-
» nis Partus Beatae Mariae Virginis: unde quaeritur, an hoc ipsum
» servandum sit, quando dies Octava Immaculatae Conceptionis
» eiusdem Beatae Mariae incidat in Feriam IV. Quatuor Tempo-
» rum Adventus, quae pariter idem Evangelium habet, ac illud
» Octavae supradictae.»

II. « Quum Evangelium Missae Immaculatae Conceptionis non
» contineat nisi exiguam partem Evangelii Feriae quartae Quatuor
» Temporum Adventus; quaeritur, an occurrente Octava Conce-
» ptionis in dicta Feria, legi debeat in fine Missae Evangelium
» Feriae.»

III. « An, die Octavae Immaculatae Conceptionis, legi debeant
» in primo Nocturno Lectiones diei Festi, vel de Scriptura occur-
» rente, quando eadem dies Octavae, non incidet in Feriam IV.
» Quatuor Temporum.»

IV. « Habetur ex Rubrica, Calicem debere esse vel aureum,
» vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteam intus au-
» ratam: unde quaeritur, an liceat Episcopo consecrare Calicem ex
» stamno, ex aere, vel aurichalco cum cuppa eiusdem materiei,
» tamen aurata.»

« Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinales aedes hodierna die habito, audita relatione a subscripto Secretario facta, propositis Dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuere.»

Ad I. *Omittatur IX. Lectio Homiliae Feriae Quatuor Temporum.*

Ad II. *Omittatur ultimum Evangelium.*

Ad III. *Provisum in Rubrica Officii Immaculatae Conceptionis.*

Ad IV. *Standum Rubricis.*

Atque ita responderunt et servari mandarunt. Die 16 Septembris 1865.

quatuor temporum vernalium, una cum officio S. Eliae, non est in fine missae legendum evangelium feriae, quod idem est, ac evangelium festi: sed in laudibus, sicut et in missa, habebitur eius commemoratio, cum suis antiphonis, versiculo, et oratione; omissa tamen eius homilia pro nona lectione.

CATHACEN.

Die 16 *Septembris* 1865.

« Rmus Dominus Raphael De Franco Episcopus Cathacen. exposuit: Sacrorum Rituum Congregationem sequentia duo Decreta edidisse, nempe *Primum*. – An officium quodcumque cum Octava incidens in Dominicam, quoties die propria praepeditur ab alio Festo maioris ritus vel dignitatis, neque reponi possit infra Octavam, recitari valeat die Octava scilicet in Dominica immediate sequenti: Sacra Rituum Congregatio respondit *Affirmative* die 7 Decembris 1844. - *Alterum* - Nequit praefatum Festum reponi in Dominica infra Octavam, vel in diem Octavam cadente, cum Dominica sit dies impedita, et non libera ut per se patet: Sacra Rituum Congregatio die 17 Septembris 1853 in Veronen. ad III. Ita in Kalendario perpetuo P. Aloisii de Carpo edito Ferrariae.-»

« Hisce Decretis modo superius relato expositis, idem Rmus Episcopus, quum ipsa quamdam contradictionem praeseferre videantur, eidem Sacrorum Rituum Congregationi sequentia quatuor dubia enodanda humillime proposuit nimirum.»

I. « An sint genuina ambo dicta Decreta quae videntur con» traria.»

II. « Si genuina, an secundum abroget primum.»

III. « Si non abrogat quomodo sint intelligenda.»

IV. « An sacrorum Rituum Congregationis Decreta circa trans» lationem et repositionem Sanctorum Octava gaudentium, uno » eodemque modo, intelligi debeant, tum si Festa praedicta sint » fixe assignata cuidam mensis dici, tum si mobilia sint, sci» licet assignata alicui Dominicae aut Feriae.»

«Haec porro Dubia, super quibus Sacra Congregatio voluit, ut alter ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris, suam in scriptis sententiam proferret, quum subscriptus Cardinalis Praefectus retulerit in ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, hodierna die ad Quirinale habitis, Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt.»

Ad I. II. et III *dentur Decreta authentica.*

Ad IV. *Negative: sed si translationes sint ob occursum diei Dominicae impeditae, servetur postremum Decretum in Veronen. si*

vero in aliam incidant diem, decreta non prohibent, ut reponantur in die octava.

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit et servari mandavit. Die 16 Septembris 1865.

Decreta porro authentica, quibus datur responsio ad I. II. et III. dubium, heic adiicimus, eaque cum aliis adnexis dubiis exponimus, utpotequae de festorum occurrentia abunde agunt. Ad solutionem tamen expositae quaestionis, sufficit consideratio secundi dubii in sequenti *Venetiarum* decreto, et tertii dubii in altero decreto in *Veronen.*

VENETIARUM.

Die 7 Decembris 1844.

« Quum Sacerdos Angelus Marianus Ciseo civitatis Venetiarum proprii parochi ecclesiae sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum, votis obsequens, detineretur in explendo variationes in Kalendario Venetiarum, pro clero memoratae parochiae servitio addicto, duplicem difficultatem reperiit, quae ambo, sequentibus dubiis pro opportuna solutione Sacrorum Rituum Congregationi ab ipso propositis, locum dedere, nimirum: »

I. « An, occurrente officio S. Vitalis martyris quarto kalendas » Maii, quod a memoratae ecclesiae clero ex Apostolico indulto » recitatur ritu duplicis secundae classis cum octava, Dominica » tertia post Pascha, cui assignatum est officium Patrocinii S. Io- » seph, Beatae Virginis Mariae Sponsi, eadem Dominica fieri de- » beat de S. Vitale, vel potius de Patrocinio S. Ioseph, translato » iuxta Rubricas officio S. Vitalis. »

II. « An officium quodcumque cum octava incidens in Domi- » nicam, quoties die propria praepeditur ab alio festo maioris » ritus, vel dignitatis, neque reponi possit intra octavam, reci- » tari valeat die octava immediate sequenti. »

« Et Sacra eadem Congregatio subsignata die in ordinario coetu ad Vaticanum coadunata, referente me Secretario, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit. »

Ad I. *faciendum esse de festo primario, seu de S. Vitale.*

Ad II. *affirmative.* Die 7 Decembris 1844.

VERONEN.

Die 17 *Septembris* 1853.

« Ut in Divina Psalmodia explenda, omnia ita disponantur in Kalendario Veronen. ut nulla prorsus appareat dissonantia, ab iis quae tum a Rubricis tum a Decretis disponuntur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposita fuere, nimirum: »

I. « Quum Clero civitatis ac dioecesis Veronen. a s. m. Pio » Papa VII., sub die 16 Novembris 1819 concessa fuerit facul- » tas recitandi officium de solemnitate Corporis Christi singulis » Octavae diebus, excepta tamen occurrentia officii ritus du- » plicis primae aut secundae classis; quaeritur, an illud verbum » *occurrentia* late sit intelligendum, ita ut in exceptione com- » prehendantur duplicia primae vel secundae classis etiam trans- » lata, iuxta declarationem S. R. C. diei 10 Septembris 1796 » in una *Panormitana* (1).»

II. « Quum iuxta decretum S. R. C. diei 12 Martii 1836 in » una *Dubiorum* (2) ad II., de diebus octavis semper recitari » debeat officium, etiam intra octavas privilegiatas, etsi in con- » cessionibus non fuerit facta de iisdem diebus octavis specialis » exceptio: quaeritur, an in dioecesi Veronensi officium ritus

(1) In ea *Panormitana* sic legitur : « Cum Clero civitatis et dioecesis panormitanae a S. Sede Apostolica concessa fuerit octava privilegiata solemnitatis SSmi Corporis Christi, ita, ut singulis diebus octavae, etiam impeditis officio duplici, facultas sit recitandi officium cum missa de eadem solemnitate, exceptis duplicibus primae et secundae classis ; orta est dubitatio sacerdoti...« an in hu- » iusmodi exceptione comprehendantur » duplicia primae, et secundae classis tan- » tum occurrentia, vel non translata.» S. R. C. respóndit : *in exceptione comprehendi etiam translata.*

(2) In eo decreto reperiuntur quatuor dubia, quorum priora duo haec sunt : I. « An iis in locis in quibus Officium Sa- » cratissimi Cordis Iesu gaudeat ritu du- » plici secundae classis, habeat etiam pri- » mas vesperas proprias, cum commemo- » tione octavae SSmi Corporis Christi ; » vel, an vesperae esse debeant de memo- » rata octava.»

II. « Quum in concessionibus octava- » rum privilegiatarum interdum non ex- » primatur, an intra ipsas locum habeant » dies octavae aliorum festorum; quaeri- » tur, an standum sit particularibus con- » cessionibus; vel potius, an sequenda lex, » quod de diebus octavis semper recitari » debeat officium etiam intra octavas pri- » vilegiatas.» S. R. C. respondit ad I. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

» duplicis primae vel secundae classis, gaudens octava, quoties » die propria praepeditur alio festo maioris ritus, vel dignita- » tis, neque reponi possit diebus praecedentibus solemnitatem » Corporis Christi, recitari valeat prima die, infra octavam » SS̃mi Corporis Christi, vel saltem die, qua alias ageretur de » die octava praedicti festi.»

III. « Quum in Dominica iuxta decretum S. R. C. diei 12 » Martii 1618 in *Conchen.* (1) confirmatum ab altero decreto » eiusdem S. C. diei 16 Februarii 1754, in una *Urbis,* (2) agi » non possit de festo duplici translato; quaeritur, an per decla- » rationem factam ab eadem S. C. sub die 7 Decembris 1844 » in una *Venetiarum ad II.* derogatum fuerit declarationi factae » in una *Urbis* de anno 1754; vel, an praedictum decretum in » una *Venetiarum*, intelligendum sit de festis cum octava in » gratiam concurrentis populi alicui Dominicae diei affixis, ita » ut, huiusmodi in casu impedimenti, amandari valeant ad sub- » sequentem Dominicam, si tota hebdomada fuerit impedita, ne » in populo, ob dilationem festi ultra octavam, devoti animi » sensus minuatur.»

IV. « Iuxta decretum S. R. C. diei 2 Augusti 1691 in *Ro-* » *mana Dubiorum ad X.,* (3) feria sexta post octavam Ascensio- » nis fieri potest de festo semiduplici translato, quod ad aliam » diem esset amandandum, si in praedicta feria occurreret dies » infra octavam Titularis: quaeritur, an in hoc casu agendum » sit officium de praedicta feria, ut autumant nonnulli, vel de » die infra octavam Titularis, cui aliunde Symbolum iure com- » petit.»

(1) In citata *Conchen.* datur hoc generale principium, quod est ratio sequentis decreti in una *Urbis* 16 Februarii 1754: *appellatione festi novem lectionum venire et intelligi etiam diem Dominicam.*

(2) Sequens fuit propositum dubium: « Festum duplex secundae classis habens » octavam cadit in Dominicam impeditam » officio altioris ritus, sed sine octava: » quaeritur, utrum officium praedicti festi » possit reponi in subsequenti Dominica, » cum alias sit octava eiusdem festi, et tota » hebdomada sit impedita, vel potius de- » beat fieri de Dominica, et dictum offi- » cium reponi prima die non impedita » post dictam Dominicam.» S. R. C. rescripsit: *negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

(3) In decimo dubio quaerebatur: «An » feria sexta post octavam Ascensionis » possit fieri de festo semiduplici trans- » lato.» S. R. C. respondit: ad X. *affirmative.*

V. « Iuxta Decretum S. R. C. diei 23 Maii 1846 in *Tuden.* (1), » in ecclesiis, in quibus non solet quotidie missa decantari tam » in festo S. Marci, quam in triduo Rogationum, si fiat Proces- » sio, legenda est missa Rogationum in qua fieri debet comme- » moratio festi occurrentis cum sola tertia oratione, quae secundo » loco praescribitur in missa Rogationum: quaeritur, an prae- » dictis diebus semper legi debeat in missa Praefatio Paschalis, » in missis Rogationum, etiam in casu occurrentiae alicuius » octavae, Praefationem propriam, habentis (2).»

« Quae quidem dubia quum per me subscriptum S. eiusdem C. Secretarium proposita fuerint in ordinariis comitiis ad Quirinale, subsignata die habitis, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, super iisdem maturo diligentique examine instituto, rescribendum censuerunt:»

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Recitandum ex praecedenti die infra octavam.*

Ad III. *Non fuisse unquam citatis decretis derogatum.*

Ad IV. *Agendum de die infra octavam.*

Ad V. *Legendam Praefationem octavae si eiusdem commemoratio locum habeat in missa.*

Atque ita rescripserunt, propositaque dubia declararunt. Die 17 Septembris 1853.

(1) In *Tuden.* secundo loco hoc dubium fuit propositum: « Sub die 12 No- » vembris 1831 Sacra R. C. decrevit.- In » ecclesiis in quibus non solet quotidie » missa decantari, vel adest solus Paro- » chus, in festo S. Marci ac in triduo Ro- » gationum, etiamsi occurrat festum du- » plex si fiat processio, legenda est missa » rogationum; secus legenda est de fe- » sto cum commemoratione earumdem: » quaeritur ergo, si post Processionem le- » gatur missa Rogationum debet in ea fieri » commemoratio festi occurrentis, et de- » bent fieri omnes aliae commemorationes » quae dicendae essent in missa diei? Vel, » his omnibus omissis dicendae sunt se- » cunda, et tertia orationes, quae in missa » Rogationum dicendae praescribuntur in » missali? Ad quod dubium S. R. C. re- » spondit: *faciendam esse commemora-* » *tionem festi occurrentis cum sola tertia* » *oratione quae secundo loco praescri-* » *bitur in missa Rogationum.*

(2) Relinquimus sextum dubium quod respicit tantum speciale privilegium.

APPENDIX X.

LITERAE APOSTOLICAE QUIBUS SECTAE OCCULTAE ET CLANDESTINAE DAMNANTUR.

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam Rei Memoriam.

« Quo graviora mala Christi Dei et Servatoris Nostri Gregi imminent, eo maiorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in Beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi et regendi potestas et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiae specula positi sint, longius prospicere insidias, quas Christiani Nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen numquam assequentur) exterminandam, easque tum Fidelibus indicare et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices Praedecessores Nostri, vigilias Boni Pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis, sectas extremum Ecclesiae exitium minitantes prohibendas et penitus delendas curarunt. Nec ex Annalium Ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest Pontificiae huius sollicitudinis memoria. Quae Nostra et Patrum Nostrorum actate gesta sunt a Romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se se obiicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. Praedecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam *de' Liberi Muratori* sive *des Francs Maçons* sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino Catholicae Ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta Constitutione cui initium *In Eminenti* edita Quarto Kalendas Maias Anno 1738 cuius tenor is est, qui subiicitur.»

« Clemens Episcopus Servus Ser» vorum Dei - Universis Christifi» delibus salutem et Apostolicam » Benedictionem - In eminenti Apo» stolatus specula, meritis licet » imparibus divina disponente cle» mentia constituti iuxta creditum » Nobis Pastoralis providentiae de» bitum, iugi (quantum ex alto » conceditur) sollicitudinis studio » iis intendimus, per quae erro» ribus vitiisque aditu intercluso

» Orthodoxae Religionis potissimum » servetur integritas atque ab Uni- » verso Catholico Orbe difficillimis » hisce temporibus perturbationum » pericula propellantur.»

« Sane vel ipso rumore publico » nunciante Nobis innotuit longe » lateque progredi, atque in dies » invalescere nonnullas Societates, » Coetus, Conventus, Collectiones, » Aggregationes, seu Conventicula » vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *Francs* » *Maçons* aut alia quavis nomencla- » tura pro idiomatum varietate nun- » cupata, in quibus cuiuscumque » Religionis et Sectae homines affe- » ctata quadam contenti honestatis » naturalis specie, arcto aeque ac » impervio foedere secundum leges, » et statuta sibi condita invicem » consociantur, quaeque simul clam » operantur tum districto iureiu- » rando ad Sacra Biblia interposito, « tum gravium poenarum exaggera- » tione inviolabili silentio obtegere » adstringuntur.»

« Verum cum ea sit sceleris na- » tura, ut se ipsum prodat et cla- » morem edat sui indicem, hinc » Societates seu Conventicula prae- » dicta, vehementem adeo fidelium » mentibus suspicionem ingesserunt, » ut iisdem Aggregationibus nomen » dare apud prudentes et probos » idem omnino sit ac pravitatis et » perversionis notam incurrere; nisi » enim male agerent, tanto nequa- » quam odio lucem haberent. Qui » quidem rumor eo usque percre- » buit, ut plurimis Regionibus me- » moratae Societates per saeculi po- » testates tamquam Regnorum se- » curitati adversantes proscriptae, » ac provide eliminatae iampridem » extiterint.»

« Nos itaque animo volventes » gravissima damna, quae ut plu- » rimum ex huiusmodi Societatibus » seu Conventiculis, nedum tempo- » ralis Reipublicae tranquillitati, ve- » rum etiam Spirituali Animarum » saluti inferuntur, atque idcirco tum » Civilibus tum Canonicis minime » cohaerere sanctionibus, cum divino » eloquio doceamur diu noctuque » more servi fidelis et prudentis Do- » minicae Familiae praepositi, vigi- » landum esse, ne huiusmodi ho- » minum genus veluti fures domum » perfodiant, atque instar vulpium » vineam demoliri nitantur, ne vi- » delicet simplicium corda pervert- » tant, atque innoxios sagittent in » occultis, ad latissimam, quae ini- » quitatibus impune patrandis inde » aperiri posset viam obstruendam, » aliisque de iustis ac rationabilibus » causis Nobis notis easdem Socie- » tates, Coetus, Conventus, Col- » lectiones, Aggregationes seu Con- » venticula *de' Liberi Muratori* seu » *Francs-Maçons*, aut alio quocum- » que nomine appellatas, de non- » nullorum Venerabilium Fratrum » Nostrorum S. R. E. Cardinalium » consilio, ac etiam Motu-proprio » et ex Apostolicae potestatis ple- » nitudine, damnanda, et prohibenda » esse statuimus, et decrevimus, » prout praesenti Nostra perpetuo

» valitura Constitutione damnamus » et prohibemus.»

« Quocirca omnibus et singulis » Christifidelibus cuiuscumque sta- » tus, gradus, conditionis, ordinis, » dignitatis, et praeeminentiae sive » Laicis sive Clericis, tam Saeculari- » bus, quam Regularibus etiam spe- » cifica et individua mentione et » expressione dignis, districte, et » in virtute sanctae obedientiae » praecipimus, ne quis sub quovis » praetextu aut quaesito colore au- » deat vel praesumat praedictas So- » cietates *de' Liberi Muratori*, seu » *Francs-Maçons* aut alias nuncupa- » tas inire vel propagare, confovere » ac in suis aedibus, vel domibus, » seu alibi receptare atque occulta- » re, iis adscribi aggregari aut in- » teresse, vel potestatem seu com- » moditatem facere, ut alicubi, » convocentur, iisdem aliquid mini- » strare, sive alias consilium, auxi- » lium, vel favorem palam, aut in » occulto directe vel indirecte per » se vel per alios quoquomodo prae- » stare, nec non alios hortari, indu- » cere, provocare, aut suadere, ut » huiusmodi Societatibus adscriban- » tur, annumerentur, seu intersint, » vel ipsos quomodolibet iuvent ac » foveant, sed omnino ab iisdem » Societatibus, Coetibus, Conven- » tibus, Collectionibus, Aggrega- » tionibus seu Conventiculis prorsus » abstinere se debeat sub poena Ex- » communicationis per omnes ut » supra contrafacientes ipso facto » absque ulla declaratione incurren- » da, a qua nemo per quemquam, » nisi per Nos seu Romanum Ponti- » ficem pro tempore existentem, » praeterquam in articulo mortis » constitutus, absolutionis benefi- » cium valeat obtinere.»

« Volumus insuper, et manda- » mus, ut tam Episcopi et Praelati, » Superiores, aliique Locorum Or- » dinarii, quam haereticae pravitatis » ubique Locorum deputati Inqui- » sitores adversus transgressores, » cuiuscumque sint gradus, status, » conditionis, ordinis, dignitatis, vel » praeeminentiae, procedant et in- » quirant, eosque tamquam de hae- » resi vehementer suspectos condi- » gnis poenis puniant atque coer- » ceant; iis enim, et eorum cuilibet » contra eosdem transgressores pro- » cedendi, et inquirendi, ac condi- » gnis poenis coercendi et puniendi, » invocato etiam ad hoc, si opus » fuerit, brachii saecularis auxilio, » liberam facultatem tribuimus et » impertimur.»

« Volumus autem, quod ea- » rumdem praesentium transumptis » etiam impressis manu alicuius » Notarii publici subscriptis et si- » gillo Personae in Dignitate Ec- » clesiastica constitutae munitis, » eadem prorsus fides adhibeatur, » quae ipsis originalibus Literis » adhiberetur, si forent exhibitae, » vel ostensae.»

« Nulli ergo hominum liceat hanc » paginam Nostrae declarationis, » damnationis, mandati, prohibi- » tionis, et interdictionis infringere,

» vel ei ausu temerario contraire. » Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et » Pauli Apostolorum eius se noverit » incursurum. »

« Datum Romae apud Sanctam » Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo Quarto Kalendas Maii Pontificatus Nostri Anno Octavo. »

« Haec tamen recolendae Memoriae Benedicto XIV. itidem Praedecessori Nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum, latam in Clementis dudum mortui literis Excommunicationis poenam iam evanuisse, quod Benedictus eas Literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum Pontificum leges obsolescere, nisi a Successoribus expresse approbentur, et praeterea manifeste patebat a Benedicto saepius Clementis Constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de Sectariorum manibus extorquendam iudicavit Benedictus edita nova Constitutione cuius initium - *Providas* - XV. Kalendas Aprilis Anno Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo primo, qua Clementis Constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut aiunt, specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est Benedicti Constitutio. »

« Benedictus Episcopus Servus » Servorum Dei - Ad perpetuam Rei » memoriam - Providas Romanorum Pontificum Praedecessorum » Nostrorum leges atque sanctiones, » non solum eas quarum vigorem » vel temporum lapsu vel hominum » neglectu labefactari aut extingui » posse veremur, sed eas etiam quae » recentem vim, plenumque obtinent robur, iustis gravibusque id » exigentibus causis novo Auctoritatis Nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus. »

« Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens PP. XII. » per suas Apostolicas Litteras Anno » Incarnationionis Dominicae Millesimo Septingentesimo Trigesimo » Octavo quarto Kalendas Maias, » Pontificatus sui Anno Octavo datas, et Universis Christifidelibus » inscriptas, quarum initium est *In* » *eminenti* nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, Conventicula seu Aggregationes vulgo » *de' Liberi Muratori*, seu *des Francs-Maçons*, vel aliter nuncupatas in » quibusdam Regionibus tunc late » diffusas atque in dies invalescentes » perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena » Excomunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, » a qua nemo per alium quam per » Romanum Pontificem pro tempore » existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel praesumeret huiusmodi » Societates inire, vel propagare,

» aut confovere, receptare, occul-
» tare, iisque adscribi, aggregari,
» aut interesse, aut alias prout in
» eisdem Literis latius et uberius
» continetur, quarum tenor talis
» est videlicet etc. etc. etc.»

« Cum autem sicut accepimus ali-
» qui fuerint qui asserere, ac vulgo
» iactare non dubitaverint dictam
» Excomunicationis poenam a Prae-
» decessore Nostro ut praefertur im-
» positam non amplius afficere,
» propterea quod ipsa praeinserta
» Constitutio a Nobis confirmata non
» fuerit, quasi vero pro Apostolica-
» rum Constitutionum a Praedeces-
» sore editarum subsistentia Ponti-
» ficis Successoris expressa confir-
» matio requiratur.»

« Cumque etiam a nonnullis piis
» ac Deum timentibus viris Nobis
» insinuatum fuerit ad omnia ca-
» lumniantium subterfugia tollenda,
» declarandamque Animi Nostri cum
» eiusdem Praedecessoris mente ac
» voluntate uniformitatem, magno-
» pere expediens fore, ut eiusdem
» Praedecessoris Constitutioni no-
» vum confirmationis Nostrae suf-
» fragium adiungeremus.»

» Nos licet hucusque dum plu-
» ribus Christifidelibus de viola-
» tis eiusdem Constitutionis legibus
» vere poenitentibus, atque dolenti-
» bus, seque a damnatis huiusmodi
» Societatibus seu Conventiculis o-
» mnino recessuros, et nunquam in
» posterum ad illas et illa redituros
» ex animo profitentibus absolutio-
» nem ab incursa Excomunicatione
» tum antea saepe, tum maxime
» elapso Iubilaei Anno benigne con-
» cessimus, seu dum facultatem
» Poenitentiariis a Nobis deputatis
» communicavimus, ut huiusmodi
» poenitentibus, qui ad ipsos confu-
» gerent, eamdem absolutionem No-
» stro nomine et auctoritate impertiri
» valerent, dum etiam solicito vigi-
» lantiae studio instare non praeter-
» misimus, ut a competentibus Iudi-
» cibus et Tribunalibus adversus
» eiusdem Constitutionis violatores
» pro delicti mensura procederetur,
» quod et ab eis reipsa saepe prae-
» stitum fuit, non quidem probabi-
» lia dumtaxat, sed plane evidentia
» et indubitata argumenta dederi-
» mus, ex quibus Animi Nostri sen-
» sus ac firma et deliberata voluntas
» quoad censurae per dictum Cle-
» mentem Praedecessorem ut prae-
» fertur impositae vigorem et sub-
» sistentiam satis aperte inferri de-
» buerant; si quae autem contraria
» de Nobis opinio circumferretur
» Nos eam securi contemnere pos-
» semus, causamque Nostram iusto
» Dei Omnipotentis iudicio relin-
» quere, ea verba usurpantes, quae
» olim inter sacras Actiones recitata
» fuisse constat. *Praesta quaesumus*
» *Domine, ut mentium reprobarum*
» *non curemus obloquium, sed eadem*
» *pravitate calcata exoramus ut nec*
» *terreri nos lacerationibus patiaris*
» *iniustis, nec captiosis adulationibus*
» *implicari, sed potius amare, quod*
» *praecipis:* Ut habet antiquum Mis-
» sale, quod Sancto Gelasio Prae-

» decessori Nostro tribuitur, et a » Venerabili Servo Dei Iosepho Ma- » ria Cardinali Thomasio editum fuit » in Missa, quae inscribitur: *contra* » *obloquentes*.»

« Ne tamen aliquid per Nos im- » provide praetermissum dici vale- » ret, quo facile possemus mendaci- » bus calumniis fomentum adimere, » atque os obstruere, audito prius » nonnullorum Venerabilium Fra- » trum Nostrorum S. R. E. Cardina- » lium consilio, eamdem Praedeces- » soris Nostri Constitutionem prae- » sentibus ut supra de verbo ad » verbum insertam in forma speci- » fica, quae omnium amplissima et » efficacissima habetur, confirmare » decrevimus, prout eam ex certa » scientia, et Apostolicae Auctori- » tatis Nostrae plenitudine earum- » dem praesentium Literarum tenore » in omnibus et per omnia, perinde » ac si Nostris Motu proprio, Aucto- » ritate, ac Nomine primum editae » fuissent, confirmamus, roboramus, » et innovamus, ac perpetuam vim » et efficaciam habere volumus et » decernimus.»

« Porro inter gravissimas prae- » fatae prohibitionis et damnationis » causas in praeinserta Constitutione » enunciatas una est, quod in huius- » modi Societatibus et Conventiculis » cuiuscumque Religionis, ac Sectae » homines invicem consociantur, » qua ex re satis patet, quam magna » pernicies Catholicae Religionis pu- » ritati inferri valeat. Altera est ar- » ctum et impervium secreti foedus, » quo occultantur ea, quae in hu- » iusmodi Conventiculis fiunt, qui- » bus proinde ea sententia merito » aptari potest, quam Caecilius Na- » talis apud Minucium Felicem in » causa nimirum diversa protulit: » *Honesta semper publico gaudent*, » *scelera secreta sunt*. Tertia est iusiu- » randum, quo se huiusmodi secreto » inviolabiliter servando adstrin- » gunt, quasi liceat alicui cuiuslibet » promissionis aut iuramenti obtentu » se tueri quominus a legitima po- » testate interrogatus omnia fateri » teneatur, quaecumque exquiruntur » ad dignoscendum an aliquid in » huiusmodi Conventibus fiat quod » sit contra Religionis, aut Reipu- » blicae statum, et leges. Quarta » est, quod huiusmodi Societates non » minus civilibus, quam canonicis » sanctionibus adversari dignoscun- » tur, quum scilicet iure civili omnia » Collegia et Sodalitia praeter pu- » blicam auctoritatem consociata » prohibeantur, ut videre est in Pan- » dectarum libro XLVII. Tit. 22 *de* » *Collegiis, ac Corporibus illicitis*, et » in celebri Epistola C. Plinii Caecilii » Secundi quae est XCVII Lib. X, in » qua ait edicto suo secundum Im- » peratoris mandata vetitum fuisse, » ne Haeteriae essent, idest ne So- » cietates et Conventus sine Prin- » cipis auctoritate iniri et haberi » possent. Quinta est quod iam in » pluribus Regionibus memoratae » Societates, et Aggregationes Sae- » cularium Principum legibus pro- » scriptae, atque eliminatae fuerunt.

» Ultima demum, quod apud pru-
» dentes et probos viros eaedem
» Societates et Aggregationes male
» audirent, eorumque iudicio qui-
» cumque eisdem nomina darent,
» pravitatis et perversionis notam
» incurrerent. »

« Denique idem Praedecessor in
» praeinserta Constitutione Episco-
» pos et Superiores Praelatos, alios-
» que Locorum Ordinarios excitat,
» ut pro illius exequutione, si opus
» fuerit, brachii saecularis auxilium
» invocare non praetermittant. »

« Quae omnia et singula non so-
» lum a Nobis approbantur, et con-
» firmantur, eisdemque Ecclesiasticis
» Superioribus respective commen-
» dantur et iniunguntur, verum
» etiam Nos ipsi pro Apostolicae sol-
» licitudinis Officio praesentibus No-
» stris Literis Catholicorum Prin-
» cipum omniumque Saecularium
» Potestatum opem et auxilium
» quoad praemissorum effectum in-
» vocamus, et enixo studio requi-
» rimus, quum ipsi supremi Prin-
» cipes et Potestates electi sint a
» Deo Defensores fidei Ecclesiaeque
» Protectores, ideoque eorum mu-
» nus sit idoneis quibusque rationi-
» bus efficere, ut Apostolicis Consti-
» tutionibus debitum obsequium, et
» omnimoda observantia praestetur,
» quod iis in memoriam revocarunt
» Trident. Synodi Patres *sess.* 25,
» *cap.* 20, multoque antea egregie de-
» claraverat Imperator Carolus Ma-
» gnus suorum Capitularium *tit. I,*
» *c.* 2, ubi post demandatam omni-
» bus sibi subditis Ecclesiasticarum
» sanctionum observantiam haec ad-
» didit: *Nam nullo pacto agnoscere*
» *possumus qualiter Nobis fideles exi-*
» *stere possunt, qui Deo infideles et*
» *suis Sacerdotibus inobedientes appa-*
» *ruerint.* Quapropter cunctis Ditio-
» num suarum Praesidibus, et Mi-
» nistris iniungens, ut omnes, et
» singulos ad debitam obedientiam
» Ecclesiae legibus exhibendam om-
» nino compellerent, gravissimas
» quoque poenas adversus eos in-
» dixit, qui hoc praestare negligе-
» rent, subdens inter alia: *Qui autem*
» *in his (quod absit) aut negligentes*
» *eisque inobedientes fuerint inventi,*
» *sciant se nec in Nostro Imperio*
» *honores retinere, licet etiam filii*
» *Nostri fuerint, nec in Palatio lo-*
» *cum, neque Nobiscum, aut cum No-*
» *stris Societatem aut Communitatem*
» *ullam habere, sed magis sub distri-*
» *ctione et ariditate poenas luent.* »

« Volumus autem, ut earumdem
» praesentium Transumptis etiam im-
» pressis manu alicuius Notarii pu-
» blici subscriptis, et sigillo Per-
» sonae in dignitate Ecclesiastica
» constitutae munitis, eadem fides
» prorsus adhibeatur, quae ipsis ori-
» ginalibus literis adhiberetur, si
» forent exhibitae vel ostensae. »

« Nulli ergo hominum liceat
» hanc paginam nostrae confirma-
» tionis, innovationis, approbatio-
» nis, commissionis, invocationis,
» requisitionis decreti et voluntatis
» infringere, vel ei ausu temerario
» contraire. Si quis autem hoc atten-

» tare praesumpserit, indignatio-
» nem Omnipotentis Dei, ac Bea-
» torum Petri et Pauli Apostolorum
» eius se noverit incursurum.»

« Datum Romae apud Sanctam
» Mariam Maiorem Anno Incarna-
» tionis Dominicae millesimo septin-
» gentesimo quinquagesimo primo,
» decimo quinto kalendas Aprilis,
» Pontificatus nostri anno unde-
» cimo.»

« Utinam qui rerum tunc potie-
bantur, tanti haec decreta fecissent,
quanti tum Ecclesiae tum Reipubli-
cae salus postulabat! Utinam sibi
persuasissent in Romanis Pontifici-
bus Beati Petri Successoribus, non
modo Ecclesiae universae Pastores,
et Magistros, sed etiam strenuos eo-
rum dignitatis defensores, et dili-
gentissimos periculorum quae im-
minent indices suspicere se debere!
Utinam potestate illa sua usi essent
ad sectas convellendas, quarum pe-
stifera consilia iis a Sede Apostolica
fuerant patefacta. Iam ab eo tem-
pore rem plane confecissent. At
cum, sive sectariorum fraude res
suas callide occultantium, sive im-
prudentibus nonnullorum suasioni-
bus, causam hanc negligendam vel
saltem levissime tractandam iudica-
verint, ex veteribus illis Massonicis
sectis, quae nunquam friguerunt,
aliae complures exortae sunt multo
illis deteriores et audaciores. Has
omnes veluti sinu suo complecti
visa est Carbonariorum secta, quae
ceterarum princeps in Italia aliisque
nonnullis in regionibus habebatur,
et in varios veluti ramos divisa no-
mine tenus diversos, acerrime Ca-
tholicam Religionem, et Supremam
quamque civilem legitimam pote-
statem impugnandam suscepit. Qua
calamitate ut Italiam, aliasque re-
giones, imo et ipsam Pontificiam
ditionem (in quam, impedito tan-
tisper Pontificio Regimine, illa ir-
repserat una cum exteris hominibus
eius invasoribus) liberaret felicis re-
cordationis Pius Septimus, cui Nos
suffecti sumus, Carbonariorum se-
ctam, quocumque tandem nomine
pro locorum, idiomatum, et ho-
minum diversitate appellaretur, gra-
vissimis poenis damnavit edita Idibus
Septembribus anno millesimo octin-
gentesimo vigesimo primo, Constitutione, cuius initium - *Ecclesiam a Iesu Christo.* - Huius etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est eiusmodi.»

« Pius Episcopus Servus Servo-
» rum Dei - Ad perpetuam rei me-
» moriam. - Ecclesiam a Iesu Chri-
» sto Servatore nostro supra firmam
» petram fundatam, et adversus
» quam ipsemet Christus promisit
» numquam portas inferi praevali-
» turas, tot saepe ac tam formido-
» losi hostes aggressi sunt, ut nisi
» divina illa, et quae transire non
» potest promissio intercessisset,
» metuendum videretur ne ipsa il-
» lorum aut vi, aut artibus, aut
» calliditate circumventa penitus in-
» teriret. Quod vero superioribus
» temporibus evenit, id etiam et

» praecipue quidem luctuosa hac no-
» stra aetate factum est, quae no-
» vissimum illud tempus esse videtur
» tanto ante ab Apostolis praenun-
» tiatum, quo (1) venient illusores
» secundum desideria sua ambulan-
» tes in impietatibus. Nec enim
» quemquam latet, quanta scele-
» storum hominum multitudo diffi-
» cillimis hisce temporibus conve-
» nerit in unum adversus Dominum
» et adversus Christum eius, qui id
» praecipue curant, ut deceptis per
» Philosophiam et inanem falla-
» ciam (2) fidelibus et ab Ecclesiae
» doctrina avulsis ipsam Ecclesiam
» irrito licet conatu labefactent, et
» evertant. Quod ut facilius asseque-
» rentur, eorum plerique occultos
» coetus clandestinasque sectas coe-
» gerunt, ex quibus futurum spe-
» rabant ut plurimos in suae con-
» iurationis, et sceleris societatem
» liberius pertraherent.»

« Iampridem Sancta haec Sedes
» his sectis detectis magna liberaque
» voce contra eas clamavit, et con-
» silia, quae clam ab iis essent inita
» contra Religionem, imo et contra
» civilem Societatem patefecit. Iam-
» pridem omnium excitavit diligen-
« tiam, ut caverent, ne his sectis
» id conari liceret, quod nefarie
» meditabantur. Verum dolendum
» est his Sedis Apostolicae studiis
» non eum exitum respondisse, quem
» ipsa spectabat, et scelestos ho-
» mines numquam a suscepto con-
» silio destitisse, unde consequuta
» tandem ea mala sunt, quae nos-
» metipsi perspeximus: Imo homi-
» nes, quorum superbia ascendit
» semper, novas etiam secretas So-
» cietates inire ausi sunt.»

« Commemorari hoc loco debet
» Societas nuper orta et longe la-
» teque in Italia aliisque in regio-
» nibus propagata, quae licet in
» plures sectas divisa sit, ac pro
» earum varietate diversa ac distin-
» cta inter se nomina aliquando as-
» sumat, re tamen, sententiarum,
» et facinorum communione, et foe-
» dere quodam inito una est, et
» Carbonariorum plerumque solet
» appellari. Simulant illi quidem
» singularem observantiam et mirifi-
» cum quoddam studium in Catho-
» licam Religionem, et in Iesu Chri-
» sti Servatoris nostri personam et
» doctrinam, quem etiam societatis
» suae rectorem et magnum magi-
» strum nefarie aliquando audent
» appellare. Verum sermones hi, qui
» super oleum molliti videntur, ni-
» hil aliud sunt quam iacula ad tu-
» tius vulnerandos minus cautos a
» callidis hominibus adhibita, qui
» veniunt in vestimentis ovium, in-
» trinsecus autem sunt lupi rapaces.»

» Sane severissimum illud iusiu-
» randum, quo veteres Priscillia-
» nistas magna ex parte imitantes,
» pollicentur se nullo unquam tem-
» pore nullove casu vel patefacturos
» hominibus in Societatem non ad-
» scriptis quidquam quod eam So-
» cietatem respiciat, vel communi-

(1) In Epist. B. Iudae Ap. 18. — (2) Coloss. Cap. II, 8.

» caturos cum iis, qui in gradibus » inferioribus versantur aliquid quod » ad gradus pertineat superiores, » clandestina illa praeterea et ille- » gitima conventicula, quae more » a pluribus Haereticis usurpato ipsi » habent, et cooptatio hominum » cuiuscumque Religionis et sectae » in suam Societatem, etsi cetera » deessent, satis persuadent nullam » memoratis eorum dictis fidem ha- » beri oportere. »

« Verum coniecturis et argu- » mentis opus non est, ut ita de » eorum dictis iudicetur, quemad- » modum superius indicatum est. » Libri ab ipsis typis editi, quibus » ratio describitur, quae in Con- » ventibus superiorum praesertim » graduum adhiberi solet; eorum » Catechismi, et statuta, aliaque » authentica et ad fidem faciendam » gravissima documenta, nec non » eorum testimonia qui cum eam » Societatem deseruissent, cui an- » tea adhaeserant, eius errores et » fraudes legitimis iudicibus pate- » fecerunt, aperte declarant, Car- » bonarios id praecipue spectare ut » magnam licentiam cuique dent, » Religionem, quam colat, proprio » ingenio, et ex suis opinionibus » sibi fingendi, indifferentia in Re- » ligionem inducta, qua vix quid- » quam excogitari potest pernicio- » sius, ut Iesu Christi passionem » per nefarias quasdam suas caere- » monias profanent, ac polluant, » ut Ecclesiae Sacramenta (quibus » nova alia a se per summum sce- » lus inventa substituere videntur) » et ipsa Religionis Catholicae my- » steria contemnant, utque Sedem » hanc Apostolicam evertant, in » quam, quoniam in ea Apostolicae » Cathedrae semper viguit Principa- » tus (1), singulari quodam odio af- » ficiuntur, et pestifera quaeque ac » perniciosa moliuntur. »

« Nec minus, ut ex iisdem con- » stat monumentis, scelesta sunt, » quae Carbonariorum Societas tra- » dit de moribus praecepta, quamvis » confidenter iactet se a suis Secta- » toribus exigere, ut charitatem ac » omne virtutum genus excolant, et » exerceant ac diligentissime ab omni » vitio abstineant. Itaque libidinosis » voluptatibus impudentissime ea » favet, docet licere eos interficere, » qui datam de secreto, quod su- » perius memoratum est, fidem non » servaverint; et licet Apostolorum » Princeps Petrus praecipiat, ut » Christiani (2) omni humanae crea- » turae propter Deum subiecti sint, » sive Regi quasi praecellenti, sive » Ducibus tamquam ab eo missis etc., » iubeatque Paulus Apostolus (3), » ut omnis anima potestatibus su- » blimioribus subdita sit; ea tamen » Societas docet integrum esse sedi- » tionibus excitatis reges ceterosque » imperantes, quos per summam in- » iuriam tyrannos passim appellare » audet, sua potestate expoliare. »

« Haec, aliaque huius Societatis » dogmata, et praecepta sunt, ex

(1) S. Aug. Epist. 43. — (2) Petr. II, 13. — (3) Rom. III, 14.

» quibus ea extiterunt in Italia fa-
» cinora nuper a Carbonariis com-
» missa, quae adeo gravem hone-
» stis, piisque hominibus moerorem
» attulerunt. Nos igitur, qui specu-
» latores domus Israel, quae est
» sancta Ecclesia, constituti sumus,
» et qui pro pastorali nostro mu-
» nere cavere debemus, ne Domini-
» cus Grex nobis divinitus creditus
» ullum damnum patiatur, existi-
» mamus in causa tam gravi non
» posse ab impuris horum hominum
» conatibus cohibendis abstinere.
» Exemplo etiam commovemur fe-
» licis recordationis Clementis XII.
» et Benedicti XIV. Praedecessorum
» nostrorum, quorum alter quarto
» kalendas maias anni millesimi se-
» ptigentesimi trigesimi octavi Con-
» stitutione - *In eminenti* - alter de-
» cimo quinto kalendas aprilis anni
» millesimi septingentesimi quinqua-
» gesimi primi Constitutione - *Pro-*
» *vidas* - damnarunt et prohibuerunt
» Societates *dei liberi Muratori* seu
» *Francs Maçons*, aut alio quocum-
» que nomine pro regionum, et
» idiomatum varietate appellatas,
» quarum Societatum fortasse pro-
» pago, vel certe imitatio haec Car-
» bonariorum societas existimanda
» est. Et quamvis iam duobus Edi-
» ctis per Nostram Status Secreta-
» riam propositis hanc Societatem
» graviter Nos prohibuerimus, me-
» moratos tamen Praedecessores No-
» stros sequentes graves poenas in
» hanc Societatem solemniori qui-
» dem ratione decernendas putamus,
» praesertim cum Carbonarii passim
» contendant se duabus illis Cle-
» mentis XII. et Benedicti XIV. Con-
» stitutionibus non comprehendi,
» nec sententiis, et poenis in illis
» latis subiici.»

« Audita igitur selecta Congre-
» gatione Venerabilium Fratrum No-
» strorum S. R. E. Cardinalium, et
» de eius consilio, ac etiam Motu
» proprio, et ex certa scientia ac
» matura deliberatione Nostris de-
» que Apostolicae potestatis pleni-
» tudine praedictam Societatem Car-
» bonariorum, aut alio quocumque
» nomine appellatam, eius Coetus,
» Conventus, Collectiones, Aggre-
» gationes, Conventicula damnanda,
» et prohibenda esse statuimus et
» decrevimus, prout praesenti Nostra
» perpetuo valitura Constitutione
» damnamus et prohibemus.»

« Quocirca omnibus et singulis
» Christifidelibus cuiuscumque sta-
» tus, gradus, conditionis, ordinis,
» dignitatis, ac praeeminentiae sive
» laicis sive clericis tam saeculari-
» bus, quam regularibus etiam spe-
» cifica, et individua mentione, et
» expressione dignis, districte et in
» virtute sanctae obedientiae prae-
» cipimus, ne quis sub quovis prae-
» textu, aut quaesito colore audeat,
» vel praesumat praedictam Societa-
» tem Carbonariorum, aut alias
» nuncupatam inire vel propagare,
» confovere, ac in suis aedibus, seu
» domibus vel alibi receptare, atque
» occultare, illi, et cuicumque eius
» gradui adscribi, aggregari, aut in-

» teresse, vel potestatem, seu com-
» moditatem facere, ut alicubi con-
» vocetur, eidem aliquid ministrare,
» seu alias consilium, auxilium vel
» favorem palam, aut in occulto di-
» recte vel indirecte per se, vel per
» alios quoquomodo praestare, nec
» non alios hortari, inducere, provo-
» care, ac suadere, ut huiusmodi So-
» cietati, aut cuicumque eiusdem
» gradui adscribantur, annumeren-
» tur, aut intersint, vel ipsam quo-
» modolibet iuvent ac foveant, sed
» omnino ab eadem Societate, eius-
» que Coetibus, Conventibus, Aggre-
» gationibus, seu Conventiculis pror-
» sus abstinere se debeat sub poena
» excomunicationis per omnes ut
» supra contrafacientes ipso facto
» absque ulla declaratione incur-
» renda, a qua nemo per quemquam,
» nisi per Nos seu Romanum Pon-
» tificem pro tempore existentem,
» praeterquam in articulo mortis
» constitutus, absolutionis benefi-
» cium valeat obtinere.»

« Praecipimus praeterea omni-
» bus sub eadem excomunicationis
» poena Nobis et Romanis Pontifi-
» cibus successoribus Nostris reser-
» vata, ut teneantur denunciare
» Episcopis, vel caeteris ad quos
» spectat eos omnes, quos noverint
» huic Societati nomen dedisse, vel
» aliquo ex iis criminibus, quae
» commemorata sunt, se inqui-
» nasse.»

« Postremo, ut omne erroris pe-
» riculum efficacius arceatur, da-
» mnamus, et proscribimus omnes
» Carbonariorum, ut aiunt, cate-
» chismos et libros, quibus a Carbo-
» nariis describuntur, quae in eorum
» conventibus geri solent, eorum
» etiam Statuta, Codices, ac Libros
» omnes ad eorum defensionem
» exaratos, sive typis editos, sive
» manuscriptos, et quibuscumque
» fidelibus sub eadem poena maioris
» excomunicationis eodem modo re-
» servatae prohibemus memoratos
» libros, vel eorum aliquem legere,
» aut retinere, ac mandamus, ut il-
» los vel locorum Ordinariis, vel
» aliis, ad quos eosdem recipiendi
» ius pertinet, omnino tradant.»

« Volumus autem quod praesen-
» tium literarum nostrarum tran-
» sumptis etiam impressis, manu ali-
» cuius notarii publici subscriptis,
» et sigillo personae in dignitate ec-
» clesiastica constitutae munitis,
» eadem fides prorsus adhibeatur,
» quae ipsis originalibus Literis
» adhiberetur, si forent exhibitae,
» vel ostensae.»

« Nulli ergo hominum liceat
» hanc paginam Nostrae declara-
» tionis, damnationis, mandati,
» prohibitionis et interdictionis in-
» fringere, aut ei ausu temerario
» contraire. Siquis autem hoc at-
» tentare praesumpserit, indigna-
» tionem Omnipotentis Dei, ac Bea-
» torum Petri, et Pauli Apostolorum
» eius se noverit incursurum.»

« Datum Romae apud Sanctam
» Mariam Maiorem anno Incarnatio-
» nis Dominicae millesimo octingen-
» tesimo vigesimo primo idibus Se-

» ptembris Pontificatus nostri anno » vigesimo secundo. »

« Non multo post editam hanc a Pio VII. Constitutionem ad supremam Beati Petri Cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea praesertim memoranda est quae - *Universitaria* - dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum Universitatibus habeat, in quibus Iuvenes a nonnullis Magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, eiusdem mysteriis, quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur. »

« Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatae, et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europae Principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt? Quot, et quam gravia non raro decernere, vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquillitatem tueantur? »

« Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata, et praecepta; eius dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas, qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur. »

« Nec putandum est, omnia haec mala, aliaque, quae praetermissa a Nobis sunt, clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri, quos de Religione et Republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent: Codices et Statuta, quibus sua consilia, et instituta explicant, aperte declarant cuncta, quae iam memoravimus, et quae ad legitimos Principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se coniunctas. »

« Quae cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem ut nulla ex iis iactare possit se Apostolica sententia Nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et etiam Motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris Societates occultas omnes, tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam et Supremas civiles potestates proponunt, quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur Praedecessorum Nostrorum literis in hac Nostra Constitutione iam allatis, quas expresse confirmamus. »

« Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictas Societates, quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare, atque occultare, illis, et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, aut indirecte, per se, vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere ut huiusmodi Societatibus, aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, earum Coetibus, Conventibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excomunicationis per omnes ut supra contrafacientes, eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

« Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excomunicationis poena Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel ceteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his Societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse. »

« Praecipue vero iusiurandum illud impium plane, ac scelestum,

quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos, quae ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea Superioribus sive Ecclesiasticis, sive Laicis patefaciunt, omnino damnamus, et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est iusiurandum, quod in *iustitia* pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad iniustam caedem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem Societatem, moderentur ius habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum, et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fideiussorem appellare? Rectissime Patres Concilii Lateranensis III. inquiunt can. 3. « *Non enim dicenda* » *sunt iuramenta, sed potius periuria,* » *quae contra utilitatem Ecclesiasti-* » *cam, et SSñorum Patrum veniunt* » *instituta.* » Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia, sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam, et in publicis scriptis dicant *non est Deus,* audeant tamen iusiurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt. »

« Haec a Nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc vero vestram Ven. Fratres Catholici Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, operam non postulamus modo, sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et Universo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in Vos non parcentes Gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem quam Vos. Illud tenete a Vobis maxima ex parte pendere hominum Vobis commissorum in Religione et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus, *qui mali sunt,* eoque tempore, quo plures *non sustinent sanam doctrinam,* perdurat tamen permultorum Fidelium in Pastores suos observantia, quos iure suspiciunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum eius. Utimini igitur in Ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per Vos Sectariorum dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant Vobis auctoribus et magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima Religionis nostrae mysteria, et purissima Christi praecepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut Vos verbis alloquamur Praedecessoris Nostri Clementis XII. in sua Epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiae Catholicae diei 14 Septembris anni 1758. *Repleti simus obsecro fortitudine Spiritus Domini, iudicio, et virtute, ne tamquam canes muti non valentes latrare, Greges Nostros patiamur fieri*

in rapinam et Oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidem deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes Nosmetipsos obiiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de Episcopatus vigore; et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.»

« Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium Carissimi in Christo Filii nostri Catholici Principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea Vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cuius in Dignitate Successores, et nominis licet indigni Haeredes sumus, ad Leonem Imperatorem scribens usus est: *Debes incunctanter advertere Regiam potestatem Tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata restituas.* Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad Catholicam Religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro Imperio subiectorum incolumitatem, sectae illae a Vobis coercendae sint. Religionis enim causa hoc praesertim tempore, cum Societatis salute ita coniuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus Religionis, quam vestrae potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut Religionem, aut Regiam ullam potestatem superesse.»

« Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestrae potestatis amplificationi studere, tum eius eversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta ut suadeant Nostram, et Episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda iura, tum ex iis, quae propria sunt Apostolicae huius Cathedrae, et *Ecclesiae principalis*, tum ex iis, quae ad Episcopos pertinent, qui in Nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in Religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes quae Vestro Imperio subiiciuntur, si forte perspiciant everti terminos, quos de rebus sacris Christus et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam Regiminis formam immutandam et destruendam.»

« Vos etiam omnes o Dilecti Filii, qui Catholicam religionem profitemini, peculiari oratione et hor-

tationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri Vobis poterit ex coniunctione cum hominibus qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios Conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique clament se publici Ecclesiae et Societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis iam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum Ave iubet Ioannes in secunda sua Epistola *cap.* 10, et quos primogenitos Diaboli appellare Maiores Nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus Vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod Religioni adversetur, imo nihil vel praedicari vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim iusiurandum illud nefarium, quod iam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione iurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse leviori-bus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quae graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum Societatum vim, et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt, consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. Cap. I, *qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*»

« Postremo eos, qui cum iam essent illuminati, et gustavissent donum coeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Eius enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare iustos, sed peccatores, et se Pastori aequiparavit, qui, relicto reliquo grege, sollicite ovem quaerit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei, et Iesu Christi filii eius misericordia, et clementia desperare. Recipiant igitur sese tan-

dem aliquando, et iterum ad Iesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi Patris, qui Filios prodigos iamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero ut quantum in Nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has Apostolicas Litteras in Regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque Confessario, modo sit ex eorum numero qui a locorum, in quibus degunt Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in Urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit, (quod Deus Misericordiarum Pater avertat) ut committat, illud temporis spatium quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat, et vere resipiscat, eo elapso, continuo et obligatio denunciandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem iuramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis, vel a Nostris Successoribus, aut ab iis, qui a Sede Apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.»

« Volumus autem, quod praesentium Nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.»

« Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, confirmationis, innovationis, Mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.»

« Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octigentesimo Vigesimo quinto Tertio Idus Martii Pontificatus Nostri Anno Tertio.»

—

Huic amplissimae Leonis XII. Constitutioni, in qua omnes inseruntur solemnes sectarum damnationes, a Romanis Pontificibus antea inflictae, adiungere potes confirmationem earumdem a Pio VIII. fel. rec. peractam, qui ab initio sui Pontificatus in epistola encyclica diei 24 Maii 1829 §§. 6 et 7 sequentia edixit:

« Hac vero sublata Sacrarum Literarum corruptione, vestrarum » est partium, Venerabiles Fratres, » adversus occultas illas hominum » factiosorum Societates curas convertere, qui in Deum, et Principes » infensi, toti in eo sunt, ut Ecclesiae » labem, regnis perniciem, orbi » universo perturbationem importent, viamque ad flagitia sternant, » fraeno verae fidei confracto. Qui » quidem cum tenebricosissimi arcani religione, improbitatem suorum coetuum, susceptaque in ipsis » consilia celare adnitantur, gravem » hac ipsa ex causa earum turpitudinum suspicionem iniecerunt, » quae deinceps pro temporum asperitate, veluti a puteo abyssi, in » summam rei sacrae, et publicae » iacturam eruperunt. Hinc iterato » anathemate a Summis Pontificibus » praedecessoribus Nostris Clemente XII., Benedicto XIV., Pio VII, » Leone XII. cui meritis longe imparibus suffecti sumus, occultae » id genus sectae, quocumque demum nomine nuncuparentur, confixae fuerunt, datis in eam rem » apostolicis literis, quarum ordinationes de Apostolicae Potestatis » plenitudine confirmamus, et omnino servari mandamus; qua in re » ne quid detrimenti a talium secta» rum conspiratione Ecclesia, et publica res capiant, omni studio » advigilabimus, instantia vestra » quotidiana in tantum operis ad» vocata, ut induti armaturam zeli, » strenue in unitate spiritus commu» nem Nostram, imo verius Dei » causam agamus ad destructionem » munitionum, quas putida homi» num nequam opponit impietas.

« Hic porro de alia ex occultis » hisce societatibus haud ita pridem » constituta scribere ad vos spe» ciatim decrevimus, quae ad ado» lescentium animos corrumpendos » coaluit (1), qui in gymnasiis, ac ly» ceis instituuntur. Pravos, et qui » discipulos in vias Baal deducant » per doctrinas, quae secundum » Deum non sunt, magistros ad» scisci, praecipua ipsorum ac ve» teratoria curatio est, cum probe » noscant, ex doctorum praeceptis » mentes, moresque auditorum ef» fingi. Quo fit, ut eo iam talium » adolescentium licentiam perva» sisse ingemiscamus, ut religionis » metu proiecto, amota disciplina » morum, doctrinae purioris san» ctitate oppugnata, iuribus sacrae, » et civilis potestatis conculcatis, » nullius eos neque flagitii, neque » erroris, neque ausus pudeat, apud » quos vere dicere possumus cum » Leone Magno (2) lex est menda» cium, diabolus religio, sacrificium » turpitudo. Haec vos mala a ve» stris dioecesibus propellite, Fra» tres, et qua valetis, auctoritate, » et gratia contendite, ut viri non » literarum scientia dumtaxat, sed » vitae etiam, ac pietatis commen-

(1) Leo XII. hanc sectam explicite damnaverat quae dicitur *universitaria* vid. supra pag. 313. — (2) In Serm. 5 de ieiun. X mensis, cap. 4.

» datione spectati rectae iuvenum » institutioni praeficiantur. »

Eadem confirmatio fuit repetita in epistola encyclica SSmi D. N. diei 9 Novembris 1846 (1).

Vides itaque quanta constantia Romana Petri Sedes institerit, ut eiusmodi sectae proscriptae, et damnatae haberentur, et quam merito eorum veluti segnities reprehendenda sit, qui pro muneris ratione, ea qua par est vigilantia non adlaborant, ut Christi oves a tanta incredulitatis peste retrahantur, et sub mellitis Sectariorum sermonibus publicae beneficientiae, et honestatis, non decipiantur.

ANIMADVERSIO.

Ea est praxis quae apud Secretariam SS. Rituum Congregationis viget, ut non respondeat per literas, privatorum supplicationibus, vel dubiis circa rem liturgicam, ab iisdem privatis, propositis. Quare si quis privatus aliquid huiusmodi postulet, necesse est ut in Urbe statuat, qui nomine ipsius apud dictam Secretariam instet, responsionesque authenticas recipiat.

Supplicationes insuper vel dubia quae per Agentes Dictae Secretariae porriguntur, a proprio cuiuscumque Ordinario subscripta esse debent.

(1) Vid. pag. 291 in nota 2.

IMPRIMATUR
Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

PIAE SODALITATES.

Die 7 Septembris 1865.

P. Vincentius Basile e Societate Iesu, missionarius Apostolicus inter Slavos meridionales, cum et sua ipsius experientia, et ex aliorum missionariorum relatione, probe norit, quantam animarum stragem edant colloquia, et ioci inhonesti, supplex SSm̃um Patrem oravit, ut institutionem piae Sodalitatis, in honorem immaculatae Virginis Mariae, et angelici iuvenis S. Aloisii Gonzagae, ad colloquia, et iocos inhonestos extirpandos dignaretur adprobare.

Officia porro eorum, qui cooptarentur in hanc societatem proponebat, quae sunt eiusmodi:

I. « Abstinere a verbis iocisque inhonestis, nec pati, quoad » eius fieri possit, ut coram ipsis, haec fiant ab aliis. »

II. « Ad confessionem sacramentalem, et sacram communio- » nem accedere diebus festis Immaculatae Conceptionis (cui sa- » cra est haec societas), Purificationis, Annunciationis, Assum- » ptionis, Nativitatis, Rosarii Bm̃ae Virginis Mariae, nec non » S. Aloisii Gonzagae, piae huius societatis patroni, vel Dominica » die infra eius festi octavam.»

III. « Salutationem angelicam in honorem Immaculatae Vir- » ginis quotidie recitare cum illo brevi encomio – *Benedicta sit* » *sancta et Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptio* (1) – et » semel *Pater*... *Ave*... et *Gloria*... in honorem S. Aloisii Gon- » zagae, ad impetrandam, eorum intercessione, in sancto propo- » sito perseverantiam.»

IV. « Immaculatae Virginis numisma collo suspensum gestare » in promissi testimonium atque indicium. »

(1) Quamvis ex italico idiomate in latinum preces vertamus, sciendum tamen est hoc nihil officere indulgentiarum lucro; quaecumque enim sit versio, sufficit ad id, ut haec fidelis existat. Etenim die 29 Decembris 1864 in audientia habita a Cardinali Praefecto Sacrae Congreg. Indulgent., SSm̃us Dominus Noster declaravit *indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles.*

Post haec, Missionarius Orator exoptabat ut haec pia societas uniretur piae societati ad blasphemiam extirpandam Romae constitutae mense Augusto 1840, atque frueretur indulgentiis, quae illi concessae sunt.

Exoptabat praeterea plenariam indulgentiam in festis modo commemoratis; et indulgentiam quingentorum dierum sociis recitantibus ipsam salutationem angelicam, et Pater... Ave... et Gloria... de quibus supra fit mentio.

Exoptabat demum, ut haec pia societas a *quoquam Sacerdote possit ubique terrarum constitui* annuente loci Ordinario.

Ex Audientia SS̃mi habita die VII. Septembris anno 1865.

«*SS̃mus Dñus Noster Pius Divina Providentia Papa IX. referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide Card. Praefecto, mature perpensis, benigne probavit piam Sodalitatem, de qua in precibus, erigendam tamen de consensu Ordinarii loci, in quo efformanda ipsa erit, eidemque adscriptis, dummodo preces et iniuncta opera ab Instituto fideliter impleant, petitam Unionem, et Indulgentiarum participationem, quae Piae Sodalitati ad extirpandas blasphemias et imprecationes, Romae, erectae per Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum die* 20 *Augusti* 1840, *concessa sunt, impertitus est. Indulsit insuper Indulgentiam Plenariam applicabilem etiam animabus in Purgatorio detentis, lucrandam in Festivitatibus B̃mae Mariae Virginis et S. Aloisii Protectoris supraenunciatis, a sociis, qui vere poenitentes confessi et sacra Communione refecti, Ecclesiam seu Oratorium publicum hisce diebus visitaverint, ibique pro scopo associationis, pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, S. Matris Ecclesiae exaltatione, ac iuxta mentem Sanctitatis Suae, pias ad Deum preces effuderint, ea tamen lege ut in mensibus in quibus hae Festivitates occurrunt, suspensa intelligatur plene, plenaria Indulgentia quolibet mense lucranda a sociis praedictae Sodalitatis pro blasphemiae extirpatione, et novae isti sodalitati per communicationem Indulti: Nec non Indulgentiam ter centum dierum similiter applicabilem Defunctis, recitantibus* Ave *et* Pater *ut in precibus. Tandem concessit ut pia haec Sodalitas ubicumque a quovis Sacerdote sive saeculari, sive Regulari, annuentibus Locorum Ordinariis institui valeat. Praesenti in perpe-*

tuum valituro, absque ulla Brevis expeditione, exhibendo tamen in Actis S. Congreg. Indulgentiarum.» «Datum Romae ex aedibus S. Congreg. de Propaganda Fide die et anno ut supra.»

Al. Card. Bernabò Praef.

« Praesens Rescriptum exhibitum fuit in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1865. Ad formam Decreti eiusdem S. Congreg. diei 14 Aprilis 1856 ac eius exemplar asservatur in Actis. In quorum fidem etc.

» Datum Romae in eadem Secretaria die et anno ut supra.»

Philippus Can. Cossa Substitutus.

Post haec, opus est exponere ea documenta, quae spectant ad sodalitatem, pro extirpandis blasphemiis, institutam.

DOCUMENTA.

Anno 1840 P. Ioannes Baptista Sacchetti e Societate Iesu, missionarius urbanus, occasione missionis extraordinariae, quae fiebat mense Septembris eiusdem anni in locis Urbis *Transtiberim*, et *ad Montes*, exoptavit uti remedio, quod aliis in locis plane efficax fuerat repertum, ad detestabile blasphemiae vitium, malasque imprecationes extirpandas. Huiusmodi autem remedium in eo situm est, nimirum, in constitutione piae societatis fidelium quae tota insistat, divina opitulante gratia, hisce vitiis extirpandis.

Proponebat itaque officia praestanda ab iis qui cooptarentur, quae sunt sequentia.

I. « Qui cooptati sunt, a blasphemia, atque omni imprecatione » mala iugiter abstinebunt. »

II. « Qui aliis praesunt cuiusmodi sunt Parentes, Domini, Ma» gistri, in suis subditis, blasphemias, malasque imprecationes » impedire sibi proponent. »

III. « Qui haec impedire nequeant, in audienda aliqua blas» phemia, vel mala imprecatione, secum ipsi dicent: – *Benedictus* » *sit Deus – Benedictum nomen sanctum eius.* »

IV. « Singulis diebus pro conversione blasphemantium *Pater*... » et *Ave*... recitabunt. »

V. « Singulis diebus dominicis in eamdem intentionem reci» tabitur in ecclesia a Parocho quinquies, *Pater*... et *Ave*.., ea » hora quam opportuniorem ipsemet existimabit. »

*

Ut autem fideles magis magisque excitarentur ad ea officia implenda, atque ita eiusmodi pia unio iugiter protenderetur, Orator humiliter supplicavit Romano Pontifici, ut dignaretur concedere huic, Romae, erigendae sodalitati, easdem indulgentias, quibus gaudent illae in Belgio, et Hollandia erectae ex Apostolico Rescripto diei 7 Aprilis 1835.

Ex Audientia SSmi

« *SS. Dñus N. Gregorius PP. XVI. omnibus utriusque sexus Christifidelibus Piae Sodalitatis, de qua in precibus, de Emi Urbis Vicarii licentia erigenda adscriptis, Indulgentiam Plenariam semel in mense, die uniuscuiusque arbitrio eligenda, dummodo preces et iniuncta opera ab Instituto praescripta singulis diebus per mensem persolvendo, eadem die vere poenitentes Confessi ac S. Communione refecti aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, Haeresum extirpatione, S. Matris Ecclesiae exaltatione, ac iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, clementer est elargitus. Insuper iisdem Christifidelibus in mortis articulo constitutis, et rite dispositis SS. Iesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocantibus Indulgentiam Plenariam benigne concessit; et tandem quavis Dominica recitando quinquies Pater, Ave, et Gloria, uti in precibus, tercentum dierum Indulgentiam, ac pro quocumque pio Opere, vel quacumque precum recitatione, iuxta sensum et regulas praefatae Sodalitatis, Indulgentiam centum dierum peramanter impertitus est. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione, facta quoque facultate easdem Indulgentias animabus in Purgatorio detentis applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.* »

«Datum Romae ex Secr. S. Congr. Indul. Die 20 Augusti 1840.»

C. Card. Castracane Praef.

Hannibal Ginnasi Secr.

Ita reperitur in Regesto huius S. Congregationis Indulgentiarum. In quorum Fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 20 *Septembris* 1865.

Philippus Can. Cossa Substitutus.

Demum anno 1843 die 8 Augusti R. P. Gregorius XVI. fel. rec. praefatum indulgentiarum rescriptum ad universum catholicum orbem extendit novo decreto, quod est sequentis tenoris.

GREGORIUS PP. XVI.

« Ad perpetuam Rei memoriam. Expositum Nobis est a non-
» nullis religiosis viris, ipsis in votis esse, ut Piae Sodalitates,
» quibus cura sit teterrimum blasphemiae, et imprecationis vi-
» tium inter homines extirpandi, tempore Sacrarum Missionum
» ubique istituendae iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus ex Re-
» scripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei xx. Augusti
» Anni MDCCCXL. ditata est pia Sodalitas eadem de causa Romae
» erecta in Oratorio, cui a Patre Gravita nomen. Nobis propte-
» rea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune pro-
» videre, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica digna-
» remur. Nos igitur piis huiusmodi supplicationibus permoti,
» deque Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum
» eius auctoritate confisi, per presentes concedimus, et imper-
» timur, ut Piae Sodalitates ad extirpandas blasphemias, et im-
» precationes, tempore Sacrarum Missionum de licentia tamen
» locorum Ordinariorum, ut praefertur, ubique instituendae omni-
» bus et singulis Indulgentiis fruantur, et gaudeant, quibus per
» praedictam concessionem locupletata reperitur eadem Pia So-
» dalitas de Urbe, dummodo tamen pro illis consequendis, iniun-
» cta pietatis opera adimpleantur. In contrarium facientibus non
» obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpertuis futuris tem-
» poribus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum
» transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu tamen ali-
» cuius Notarii publici subscriptis, ac Sigillo personae in Eccle-
» siastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubi-
» que adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent
» exhibitae, vel ostensae. »

« Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo Tertio. »

A. Card. LAMBRUSCHINI.

Ex expositis documentis colliges:

I. Praeclaram de qua loquimur sodalitatem adversus colloquia iocosque inhonestos, ubicumque erigatur, de consensu tamen Ordinarii loci, iisdem frui indulgentiis quae concessae reperiuntur sodalitati adversus blasphemiam institutae, dummodo iniuncta opera nostrae sodalitatis impleantur.

II. Indulgentias autem omnes, quibus gaudet nostra societas, quae etiam applicari possunt piis fidelium defunctorum animabus, singillatim esse sequentes: 1. Plenaria indulgentia semel in mense, die uniuscuiusque arbitrio eligenda, dummodo socii eadem die vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti, aliquam ecclesiam, vel publicum oratorium visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, S. Matris ecclesiae exaltatione, ac iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint. 2. Plenaria indulgentia in festivitatibus SS. Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, Rosarii B̃mae V. Mariae, nec non S. Aloisii Gonzagae, sub iisdem conditionibus, effusa etiam prece, una cum aliis praescriptis precibus, pro associationis scopo, ita tamen, ut suspensa hisce mensibus maneat, prior mensilis plenaria indulgentia. 3. Plenaria indulgentia in articulo mortis siquidem corde, si ore non possint, Sanctissimum Iesu nomen poenitentes socii invocaverint. 4. Indulgentia trecentorum dierum quovis dominico die, si recitaverint quinquies *Pater... Ave...* et *Gloria...* pro scopo associationis, iuxta modum qui indicatur n. V. in precibus pro institutione sodalitatis adversus blasphemiam, nempe si Parochus in ecclesia hora quam existimabit opportuniorem quinquies recitaverit *Pater... Ave...* et *Gloria...* pro associationis scopo (1). 5. Indulgentia tercentum dierum recitantibus *Ave* et *Pater* ut in precibus n. III. in quo haec legitur conditio – Salutationem angelicam in honorem B. Virginis quotidie recitare cum illo brevi encomio *Benedicta* etc., et semel *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem S. Aloisii Gonzagae etc. 6. Indulgentia centum dierum pro quo-

(1) Hanc indulgentiam sicut etiam illam quae indicatur infra n. 6 sufficienter erues ex nostrae societatis favorabili unione, cum societate adversus blasphemiam, benigne concessa ad effectum huius Societatis indulgentiis fruendi per communicationem indulti.

cumque opere, vel quacumque precum recitatione, iuxta sensum et regulas nostrae societatis.

Pro opportunitate heic adiungimus praeclaras alias preces indulgentiis ditatas, quibus cohaerenter sive uni sive alteri societatis scopo, socii uti poterunt.

Oratio ad B. Mariam Virginem.

« O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque » ut me Tibi probem devotum, consecro Tibi hodie oculos meos au- » res meas, os meum, plane me totum, quoniam itaque tuus sum, o » bona Mater, serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam. »

Aspiratio in quavis tentatione

« O Domina mea, o Mater mea! memento me esse tuum. Serva » me, defende me ut rem ac possessionem tuam (1). »

Laudes Nominis Domini

Benedictus sit Deus.
Benedictum Nomen Sanctum eius.
Benedictus Iesus Christus Deus verus, et Homo verus.
Benedictum nomen Iesu.
Benedictus Iesus in Sanctissimo Altaris Sacramento.
Benedicta Magna Dei Mater, Sanctissima Maria.
Benedicta sua Sancta et Immaculata Conceptio.
Benedictum Mariae Nomen, et Virginis et Matris.
Benedictus Deus in suis Angelis, et in Sanctis suis (2).

(1) SS. Dñus N. Pius PP. IX. petenti adm. R. P. Ioanni Roothaan Praep. Gen. S. I. in perpetuum concessit (Decr. 3 August. 1851.) 1° Indulgentiam 100 dierum semel in die lucrandam omnibus fidelibus qui mane et vespere, recitata salutatione angelica, praesentes preces *o Domina mea etc.* devote ac saltem contrito corde recitaverint. 2° Indulgentiam plenariam semel in mense omnibus fidelibus qui, recitata quotidie supradicta oratione, confessi, sacraque communione refecti, aliquam Ecclesiam vel oratorium visitaverint et ibidem aliquo tempore oraverint ad intentionem Summi Pontificis. 3° Indulgentiam 40 dierum quoties, in aliqua tentatione, devote et corde contrito pronuntiaverint eamdem aspirationem *o Domina etc.* Quae indulgentiae possunt applicari animabus fidelium defunctorum.

(2) Ut SSm̃um Nomen quod a solis ortu usque ad occasum est laudabile, ab universis Christifidelibus praecipua devotione invocaretur, indulgentiam unius anni pro qualibet vice, laudes expositas corde saltem contritis, ac devote recitantibus, die 23 Iulii 1801 a Pio PP. VII. sa. me. concessam, animabus quoque in Purgatorio detentis SSm̃us D. N. Pius PP. IX. die 22 Martii 1847 applicabilem esse de-

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

SACRAE ORDINATIONIS.

Die 7 Decembris 1861. *Sess.* 23 *c.* 5 *de Refor.*

Titius ab infantia patre orbatus et inter alumnos seminarii dioecesani cooptatus, vertente anno 1833 sacrum subdiaconatus ordinem suscepit, ac deinde servatis interstitiis ad reliquos sacros ordines diaconatus, et presbyteratus promotus fuit, in quibus usque ad annum 1841 ministravit. Eo autem anno a sacris exercendis ministeriis abstinens, forensibus studiis ac saecularibus negotiis sese integre addixit. Tandem conscientiae stimulis, ac proprii Episcopi exortationibus excitatus, supplicem S. Congregationi Concilii libellum porrexit, quo, exponens se prorsus invitum ac atrocibus minis mariti sororis suae, nec non iteratis urgentibusque matris instigationibus, ad sacros suscipiendos ordines fuisse compulsum, petiit, ut a continentiae voto, aliisque sacris ordinibus adnexis oneribus, vacuus, ac solutus declararetur; vel super iis dispensaretur; vel saltem, quatenus contrarium visum esset, venia eidem concederetur, ut in habitu saeculari incedere, munusque advocati in foro exercere liceret.

Remissis Ordinario precibus pro informatione et voto, nec non ut conficeret canonicum processum; nonnullos sacerdotes, aliosque probos viros, ope suae curiae, examini Ordinarius subie-

claravit. Humillimis insuper porrectis, precibus a R. Fr. Aloisio Giorgetti Ordinis Minorum Provinciali, ut pro praefata recitatione, plenaria quoque indulgentia concederetur, EADEM SANCTITAS SUA indulsit ut omnes utriusque sexus christifideles, semel saltem in die, dictas laudes per integrum mensem recitantes, indulgentiam plenariam, una tantum cuiuslibet mensis die, uniuscuiusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem SANCTITATIS SUAE pias ad Deum preces effuderint, lucrari possint, et valeant; facta insuper potestate ipsam etiam plenariam indulgentiam fidelibus pariter defunctis applicandi. Ex decreto Urbis et Orbis die 8 Augusti 1847.

cit, iuramento delato, quorum testimonia Romam transmisit, una cum sua relatione. Haec autem Episcopi relatio continebat: Titium aegro invitoque animo ecclesiasticam ingressum fuisse militiam, et sacros ordines suscepisse; existimabat autem ipsemet Episcopus in intervallo praesertim temporis, quod inter varias ordinationes intercessit, facile eumdem potuisse proprio Episcopo deferre querelas super coactione, quam patiebatur, et efficax ab eodem auxilium exposcere; nec certo asseri posse, an silentium ab eo servatum post ordines susceptos, coactioni ac metui, vel cuidam potius velleitati tribuendum esset. Ad tempus posterius quod attinet, haec Episcopus exponebat: « Ego suscipiens hu-
» ius dioecesis gubernium, anno 1838 inveni Titium sacerdotem
» in pleno exercitio officiorum sacerdotalium, etiam concionandi
» in quadragesima; et obtinuerat titulum participationis in ec-
» clesia receptitia patriae suae. Anno 1841 post mortem mariti
» sororis eius, repente contigit, ut ecclesiae servitio, et mi-
» nisteriis ecclesiastiacis valedicens in dubium revocaverit suae
» ordinationis validitatem utpote coactae. »

« Sic multis ab hinc annis vitam degens veluti laicus, nego-
» tiis forensibus et saecularibus sese addixit, frustra ego, iterato,
» ab eo vitae statu revocare contendi, nullumque alium obtinere
» valui effectum, quam ut habitum ecclesiasticum non dimitteret,
» nec immoralem degeret vitam etc. »

Post haec mentem suam aperiens, quoniam censebat, undequaque validam esse ordinationem, monuit: quemadmodum grave scandalum populo inferretur, si eiusmodi presbyterum sacerdotalia officia iterum exercere conspiceret, ita non minus scandalum eidem inferri, si impetrata venia, vitam ageret negotiis saecularibus ad instar laici viri implicatam; quare existimabat opportunum, ut si quae facultates eidem concederentur, extra propriam patriam, iisdem uteretur.

Ea vero, quae ex peracto processu circa vim et metum illatum deducebantur, ex sequenti erues disceptatione. Interim acta processus remissa fuerunt Defensori sacrae Ordinationis ex ufficio, ut de more *animadversiones* scriberet, pro sacrae Ordinationis validitate. Duo autem fuerunt proposita Sacrae Congregationi dubia, quae in calce reperiuntur.

Disceptatio synoptica.

QUAE ADDUCERENTUR FAVORE TITII QUOAD PRIMUM DUBIUM. — Titius Defensorem sibi in Urbe constituens, contendebat ostendere S. Ordinationis nullitatem ex defectu intentionis requisitae, iuxta ea quae dicuntur in *Valentien. ordinis subdiaconatus* 31 *Maii* 1794, sin minus, se non teneri ad continentiae votum, aliaque adnexa ordinibus onera, quibus, totis viribus insistebat Defensor. Aiebat enim, quamvis in praesenti themate de coactione absoluta, seu vi exteriore non agatur, quae nullam reddat sacri ordinis susceptionem *ex cap. Maiores.* §. 1. *Item quaeritur de Baptismo* in quo legitur: *Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti: quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire:* tamen ob causativam coactionem, seu vim conditionalem, ad continentiam Titium non teneri observabat, ceu habetur in *Valentien. cit.* §. *ut posita* (1).

(1) Huius generis causa agitata fuit primo in S. Romana Rota die 15 Ianuarii 1575, de qua sic loquitur Fagnanus in *cit. capit. Maiores, n.* 103 ibi « Hic casus » alias contigit in Rota, in causa *Valentina* » *nullitatis susceptionis ordinis subdiaconatus coram Caesare De Grassis:* et » proposito dubio, an promotus ad ordinem subdiaconatus, per vim et metum » qui cadere poterat in constantem virum, » teneatur ad illius et continentiae observationem, ita ut uxorem ducere non » possit, alio sibi impedimento non obstante.» Post prolixam examinationem, sub die 15 Ianuarii 1575, Domini tenuerunt: «Ordinatum ad subdiaconatum per » vim conditionalem non teneri ad continentiam, si quis habebat uxorem, sed si » non habebat teneri, iuxta distinctionem » Goffredi, et sequacium de qua supra » *n.* 97. Et quia subdiaconus de quo tunc » agebatur, non erat uxoratus, dixerunt » tutius fore, ut peteret dispensationem a » Papa ad matrimonium contrahendum, » et metum huiusmodi iustam causam » praebere illam concedendi....»

«Verum postea sub die 22 Martii eius» dem anni causa iterum proposita, et ar» ticulo diligentius discusso, Rota resolvit: » promotum ad subdiaconatum, per vim » conditionalem, non teneri continentiam » servare, licet uxorem non habeat, iuxta » secundam opinionem Ioannis et sequa» cium. Moti fuerunt Domini tum ex ra» tione illa irrefragabili, quod omnis actus » requirens voluntatem non simplicem, » sed liberam, ac spontaneam, qualis est » continentia, quae requirit libertatem a » coactione, *d. cap. Integritas* 32 *q.* 1, si » fiat coacte, sive per voluntatem coactam, » non valet,... Tum arguendo a voto ex» presso, ad tacitum adnexum ordini; » nam puer ordinatus in subdiaconum, » ante usum rationis, non tenetur conti» nere; quia sicut non potest se obligare ad » votum expresse, ita nec tacite secundum » Innoc. in *cap. Vel non est compos...*»

Post huiusmodi magistralem decisionem doctrina firmari visa est, qua Auctores distinguentes coactionem et vim absolutam, a coactione et vi quam appellarunt causativam vel conditionalem, te-

Eiusmodi autem vim causativam, seu conditionalem comprobare studebat Defensor, ex importunis et assiduis matris Titii instigationibus et precibus, multoque magis ex iteratis atrocibusque minis mariti sororis Titii. Testabatur enim seminarii Oeconomus quadam die deprehendisse Titium una cum dicto sororis marito « qui corporis robore praestabat, (sunt verba testis) qui me in» gredientem aspiciens, abscondit manum suam sub pallio quo » induebatur, veluti in actu abscondendi vel custodiendi obiectum » aliquod, et verba mussitantem eum audivi, inter quae haec » minaciter dixit: *nisi presbyter fias, mihi satisfacies!* »

Alter Sacerdos qui tunc temporis in seminario degebat, cum, post illud factum, Titium conturbatum, moestumque vidisset, rogassetque de moeroris causa, Titius eidem respondit: « se con» turbatum moestumque esse, quia vir sororis minabatur eidem

nuerunt, per coactionem absolutam, eum qui ordinatur, invalide ordinari; qui vero per coactionem vel vim causativam, sive conditionalem, licet valide ordinetur, tamen ab oneribus, ordini adnexis solutum et vacuum existere.

Hic nihilominus quaeri potest quaenam absoluta, quaenam causativa coactio habenda sit. Barbosa *Vota decis. vot.* 77 *l.* 3 *n.* 4 haec scribit: « Pro terminorum » vero cognitione praesupponendum est, » magnam quoad propositum reperiri » differentiae rationem, inter vim et » coactionem praecisam, et absolutam, » et inter illam quae causativa seu con» ditionalis appellatur: nam quando » coactio Promoti ad sacros ordines, fuit » praecisa et absoluta, *ut evenit in eo,* » *qui per vim, aut ligaminibus tenetur*, » non imprimitur character, nec tenetur » ad observantiam voti castitatis, prout » nec confertur Baptismus, *capit. Maio*» *res.* §. item quaeritur, *de Baptismo*, » *cap. Presbyteros*, 50 *dist.*, et talis dicitur » invalide ordinatus, et ubi non valet ordi» natio, nec etiam valere potest prae» ceptum aut votum, quod validae ordi» nationi adnexum est.... Cum vero vis » est conditionalis, seu causativa, *ut in* » *eo qui ut evadat, periculum vel mortem* » *consentit se ordinari vel baptizari*, » tunc imprimitur character;...adest enim » voluntas, licet indirecte; et voluntas » coacta, voluntas est.»

Idem Auctor eiusmodi quaestionem iam pertractaverat in *Voto* 37 *lib.* 2. in quo eadem propemodum verba reperiuntur, et in illo voto 37 *n.* 13 subdit: « altera sententia (cui tamquam proba» biliori adhaereo) sustinet, sacris or» dinibus initiatum per vim, vel metum » iniuste incussum, cadentem in con» stantem virum, lege perpetuae conti» nentiae ex vi voti non teneri, his po» tissimum solidissimis fundamentis. Pri» mo matrimonii exemplo, quod gravi » metu extortum, irritatur a iure...Deinde » exemplo solemnis professionis, quae » pariter ipso iure est irrita, si per vim » vel metum gravem emittatur.»

Itaque ex hac Auctoris doctrina iam intelligitur, eum subdiaconum non teneri continentiae lege, qui probet tali vi, et metu se coactum fuisse ad ordinem subdiaconatus recipiendum, qui sufficiens reputaretur ad matrimonium, vel professionem religiosam infirmandam.

» vitam auferre, nisi in proxima ordinatione, ordinem reciperet.» De quo metu eidem incusso, alii etiam conveniebant testes. Quibus adiungebantur Titii ipsius conquestiones, de coactione quae eidem inferebatur, et apertae obtestationes de animi sui aversione et repugnantia ad statum ecclesiasticum.

His accedebat consilium ab eo initum committendi cuidam collegae suo, in seminario, ut de hisce certiorem faceret Episcopum, ut ab eius ordinatione abstineret. Imo ob hanc rem, prout alter testis deposuit, « ipsemet (Titius) consilium iniit mittendi » ad proprium Episcopum accusationem sui de quibusdam crimini- » bus non commissis, ut indignus appareret, et ita interciperetur » sua ordinatio.»

Ordinationis autem tempore ita animo viribusque fractus apparuit Titius, ut alieno auxilio ad sacras induendas vestes indigere visus sit, ceu desposuit testis, tunc in seminario praeceptor. Ac denique ipsa publica fama concurrebat, qua persuasum erat, non sponte, sed coacte Titium sacris ordinibus fuisse insignitum. Quibus enarratis, concludebat Defensor dubitandum non esse, quin uti sacrum subdiaconatum, ita et alios ordines, quoniam coactio perduravit, ex gravi incusso eidem metu, et invito prorsus animo susceperit, ita ut ad continentiae obligationem, aliorumque onerum Titius non teneretur.

Repellebat porro Defensor difficultatem sibi obiectam ex beneficio in ecclesia receptitia obtento, adducendo exemplum in *Namurcen. Dispensationis* 10 *Martii* 1731 in qua S. C. C. respondit non teneri ad continentiae legem servandam subdiaconum, ex probata coactione, quamvis ipse canonicatu auctus esset. Deinde alteram difficultatem ex eo desumptam, quod non reclamaverit usque ad annum 1841, reiiciebat, dicens, eo usque perdurasse coactionem, qua cessante, morte nempe viri sororis suae, statim facto suo Titius reclamavit; et quia eo usque causa metus perduraverat, omnes actus gestos in ordinum exercitio *meticulosos* praesumi debere contendebat; ceu perpendit S. Rota *in decis.* 870 *n.* 12 *coram Emerix iuniore.*

Quae observaret defensor quoad alterum dubium. — Quatenus affirmativa responsione ad primum dubium decerneret S. Congregatio, instabat Defensor ut a dictis oneribus solveretur Titius ope dispensationis; sufficientem enim causam huius dispensationis

esse perpendebat, causativam Titii coactionem, ceu pluries resolvit S. Congregatio C. *Valentien. cit.* §. *Nisi.*

Denique ubi nec dispensatio a lege continentiae impertienda foret, indulgendum saltem concludebat, ut in habitu laicali incedere, munusque advocati exercere licite posset; praesertim vero quia non sine populi admiratione et scandalo ad sacra ministeria rediret, ceu Episcopus testabatur.

Quae animadverteret ordinis defensor ex officio. — Animadvertebat Ordinis defensor in themate concludentes probationes deficere de vi gravique metu incusso, quae requiruntur, ut susceptorum ordinum validitas iure infirmari possit, et relaxari continentiae votum, sive per declarationem nullitatis, sive per dispensationem ex *Cap. Ad audientiam, et Cap. Cum dilectus. De his quae vi metusve causa.* Valor enim illorum ordinum ab actione accipientis serio exercita comprobatur. Constare autem subiungebat, Titium nec in actu susceptionis ss. ordinum, nec in intervallo temporis, quod inter unum alterumque ordinem effluxit, ullum dedisse signum ex quo coniiceretur non *serio deliberatoque animo* ss. ordines suscepisse. Contendebat enim in pretio non esse habenda quae in medium proferebantur, quoad minas, vimque illatam, cum gravis metus et cadens in constantem virum admitti facile nequeat. Neque sufficiens existimabat ad huiusmodi gravem metum constituendum, illud quod a sororio suo prolatum minaciter fuerat – *nisi presbyter fias, mihi satisfacies.* – Agebatur enim de iuvene viginti et unum tunc annos nato, cui integrum preterea erat, sive scriptis, sive oretenus, praesidium, contra minacem hominem, a superioribus quaerere, qui ei profecto non defuissent.

Imo, addebat, etsi gravis metus probaretur incussus, hunc tamen purgatum existimari debere per ratihabitionem ex intervallo temporis, quod inter ascensum a subdiaconatu ad diaconatum, et a diaconatu ad presbyteratum effluxit. Nemo enim testium de perseveranti metu aut coactione verba fecit. E contra in seminario degens, ascensum ad alios ordines in tanto temporis intervallo devitare potuisset.

Post haec, aiebat, spernendas esse conquestiones de quibus testes mentionem faciebant, utpote quae pluribus diebus, imo mensibus precesserant ipsam ordinationem; nec non spernendas

esse putabat, declarationes subsequentes, cum, facto ipso constaret, usque ad annum 1841 in ordinibus susceptis, ac praesertim in sacerdotali ordine, Titium ministrasse. In his porro circumstantiis, vel etiam durioribus, denegatam fuisse observabat dispensationem super continentiae voto sive praecepto in *Aretina Dispensationis* 17 *Februarii* 1731, *in Constantien. Dispensationis* 22 *Maii* 1734, *in Valentien. Ordinis Subdiaconatus* 31 *Maii* 1794 (1) et in aliis ibi citatis.

Insuper *ex officio* observabatur, advocationis munus aliquando sacerdoti saeculari ex pontificia dispensatione permitti, ut in tribunalibus etiam laicalibus possit tam civiles quam criminales causas agere, prouti advocati laici solent, dummodo in criminalibus iudiciis ad defensionem tantummodo scribat et agat; nec ei interdicitur, quin laborum praemium possit exposcere. Quae quidem dispensationes in eum tantummodo finem sacerdoti concedi assolent, ut habeat unde honestum sibi victum valeat comparare; adeoque fas ei non est huiusmodi facultate uti, ubi in bonis, vel aliunde habeat quo congrue sustentetur. Iuxta ea quae ad rem monet Benedictus XIV. *De Syn. dioec. c.* 10 *n.* 12.

Sed maiorem difficultatem facessere videbatur, dispensatio pro incessu in habitu saeculari: attamen, attentis peculiaribus circumstantiis, observabatur id etiam permitti quandoque suevisse, cauto tamen, ut vestes forma et colore decentes sacerdos induat.

Hisce perpensis proponebantur resolvenda

Dubia.

I. « An Orator teneatur ad votum continentiae, et ad alia » onera sacrae Ordinationi adnexa in casu. »

« Et quatenus affirmative. »

(1) In citata *Valentien.* censuit S. Congregatio teneri subdiaconum ad continentiae legem, qui, ceteris omissis, priusquam subdiaconatum susciperet, solemniter protestatus fuerat coram quodam publico ministro hisce verbis: « pro- » missionem matri, patri, et patruo » a se factam assumendi subdiacona- » tum, non aliud fuisse, nisi effe- » ctus violentiae et persecutionis.» Et reprobans idcirco consensum, reservavit sibi « ius agendi suo tempore, iuxta ca- » nonicas leges, adversus susceptionem » subdiaconatus, quem suscepturus erat » tantum ad finem sese tuendi a persecu- » tionibus suorum parentum.» Hac emissa protestatione solus ad locum ivit Ordinationis, et post undecim dies a dicta protestatione emissa, subdiaconatum suscepit. Neque in ordine suscepto ministraverat, nisi unica vice a patruo adactus, et post annum reclamaverat.

II. « An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab iisdem » oneribus, vel saltem, ut firma manente obligatione voti, possit » Orator in habitu saeculari incedere, et munus advocati in foro » exercere in casu. »

Resolutio dubiorum. — Sacra Congregatio Concilii die 7 Decembris 1861 respondere censuit:

Ad I. *affirmative et amplius.*

Ad II. *negative, data tantum Oratori facultate, ut in foro etiam saeculari munus advocationis exercere possit, dummodo in criminalibus ad defensionem tantum agat, prudenti arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

Ex iis colliges:

I. Ut irrita censeatur in foro externo ss. ordinum susceptio, requiri probationem absolutae coactionis in ipso ordinationis actu. Talis enim coactio demonstrat ordinandi voluntatem positive contradicentem ss. ordinum susceptioni.

II. Ad effectum vero declinandi onera ex ecclesiastica lege ordini subdiaconatus adnexa, sufficere concludentem probationem vis et metus gravis in constantem virum cadentis, et directe incussi ad obtinendum actum susceptionis ordinis. Eiusmodi enim causa comparatur cum causa matrimonii, vel professionis religiosae ex vi et metu extortae.

III. In praesenti autem casu, non videri eiusmodi vim, et metum concludenter probatum.

IV. Titius enim videtur semet intervallo temporis determinasse ad Subdiaconatus susceptionem, multoque magis ad ceteros s. ordines, quamvis id fecerit ad evitandas difficultates et molestias.

V. Idque satis erui ex nulla interposita reclamatione tum ante, tum post subdiaconatus susceptionem.

VI. Quin imo ex sua agendi ratione a tempore suscepti Subdiaconatus, usque ad tempus quo ministeriis sacris valedixit, facto suo, persuasionem patefecisse de ordinibus rite susceptis.

VII. In his autem adiunctis qui s. ordines suscepit, onera ordinibus adnexa subire teneri, neque Apostolicae dispensationi super dictis oneribus locum fieri, quamvis aliunde aliqua indulgentia dignus videatur.

Die 31 *Ianuarii* 1863. *Sess.* 24 *c.* 1 *de Reform. Matrim.*

Compendium facti. Caiam honestam puellam, sutoris filiam, seduxit Titius iuvenis ex patricia familia ortus: ex prava enim consuetudine prolem a Caia suscepit. Cum itaque Titius ad nuptias cum alia muliere conciliandas procederet, institit Caia apud curiam, ut impediretur ne ad alia vota Titius transiret, utpotequi eam sub matrimonii promissione seduxerat.

Quare incoepto, et confecto processu, sententia hisce verbis emissa est: – impedimentum oppositum contra Titium stare, illumque ad Caiam nubendam teneri. – Post huiusmodi sententiam appellavit Titius ad Sacram C. C. De more rogatus fuit Ordinarius pro informatione et voto, utque auditis partibus, et praefixo iisdem termino ad deducendum iura sua coram S. C. C. de resultantibus certioraret, actaque transmitteret; quibus Ordinarius plene satisfaciens inter cetera retulit: Titium iam temporaneam relegationem in urbe quadam, per laicum magistratum imperatam, subiisse, nec non ad spiritualia exercitia per sex menses in religiosa domo detentum fuisse, quin tamen adduci potuerit ad nuptias cum Caia ineundas. Quare concludebat idem Praesul, « cum non possit ulla ratione induci Titius ad » matrimonium contrahendum cum Caia, ob constantem eius» dem reluctantiam; cum non possit coactio adhiberi pro huius» modi matrimonio, quae coactio secumferret rixas et dissen» tiones; et cum aliunde non conveniat, ut Partes maneant » iugiter in huiusmodi litigio; existimo Titium obligari ad do» tandam Caiam summa D. 600 quae est duplum dotis quam » Caia habet. »

Ea porro quae ex actis Romam transmissis deducuntur sunt huiusmodi. Testes nempe aderant qui deponebant *ex auditu*, se scivisse, Titium, matrimonium Caiae promisisse, et sub hac promissione eam seduxisse. Alter aderat pariter *ex auditu* qui testatus est Titium dixisse: *ego fui mali auctor, et ego illi remedia dabo.*

Pressius vero testes aderant, qui ex ore eiusdem Titii audiverant, quae deponebant. Testis nimirum A. interrogaverat Titium, an ipse in uxorem duceret Caiam: qui eidem responde-

rat : *se nunquam ad hoc animum intendisse quemadmodum ipsamet Caia noscit.* Idem autem testis A. eiusmodi Titii intentionem manifestavit deinde Caiae patri, ipsa Caia praesente, quae siluit. Parochus viri retulit : Titium eidem dixisse, *se determinasse ad Caiam sibi matrimonio iungendam, ex eo quod eam seduxerat in finem matrimonii,* et insuper: « post quindecim dies rediens ad me Titius » mihi dixit: vera non esse quae declaraverat; sed id ex Caiae insi- » nuatione mihi dixisse, ut lenirentur Caiae parentes. » Duo insuper testes in variis colloquiis a Titio acceperant dicente : se intendisse semper Caiae nubere; et paratum esse ad emittendam in scriptis obligationem; et certiorem fecisse Caiam, se, eam in uxorem ducturum tempore adveniente, nimirum post mortem suorum parentum. Denique alter testis ab eodem Titio audiverat dicente: « Se, » non seduxisse Caiam, matrimonii promissione; nihilominus *ad* » *animum mitigandum puellae seductae, et eiusdem afflictae* fa- » miliae, tum Caiae, tum eiusdem patri se eiusdem filiae nuptu- » rum, post mortem suorum parentum promisisse.»

Hisce in facto expositis, duo dubia proposita sunt, quae habentur in calce.

Disceptatio synoptica.

Defensio pro viri libertate quoad primum dubium. — Plura *ex officio* erudite observabantur, quae heic per summa capita de more exponimus. Favore itaque Titii observabatur, sponsalium contractum secumferre gravissima onera, ideoque ita eiusdem existentiam demonstrari debere, ut omnis, vel levissima dubitatio excludi debeat, ceu eruitur ex millenis Resolutionibus S. C. C. In quovis enim dubio proniores semper fuerunt leges ad inducendam liberationem. *L.* 47 *ff. de obligat. et act. L.* 99 *ff. de rer. oblig.* Porro, testes formiter examinati super sponsalium existentia, eam vel non testantur, vel vage nimis, aut ex publico rumore asserunt, vel demum eamdem promissionem, praegnantiam, subsecutam, ad hoc unice factam affirmant, ut Puellae, ac etiam eiusdem parentum animi lenirentur. Proindeque, concludebatur, vel quamlibet futuri matrimonii promissionem excludi, vel in quamdam velleitatem, promissionem resolvi, seu in desiderium contrahendi matrimonium, quae longe absunt a sponsalium obligatione.

At si aliqua promissionis species ex depositionibus testium erui contenderetur, eadem promissio ficto animo emissa comprobaretur, ut eruitur ex verbis Titii supra expositis: *se nunquam ad hoc* (ad Caiae nubendum) *animum intendisse:* item, se nuptias promisisse, *ad animum mitigandum puellae seductae, et eiusdem afflictae familiae.* Porro exploratum in iure est, non verba loquentium, sed eorum animum, et intentionem considerari oportere; nec actus agentium ultra eorumdem voluntatem operari, *L.* 16 *ff. de acquir. rer. dom. L.* 19 *ff. de reb. credit.* Et ad rem afferebatur auctoritas Reiffenstuel *in libr.* 4 *Decretal. tit.* 1 *n.* 45.

Eiusmodi insuper ficta, si quae fuerit promissio, confirmabatur praesumptionibus. Non enim verosimile videbatur, Titium ex patricia familia ortum, serio sibi proposuisse in uxorem ducere sutoris filiam, quae nec conspicuo fortunarum censu gauderet; maxime cum praevidisset adversam, huic matrimonio, suorum parentum voluntatem, contra quam tamen, se nunquam matrimonium initurum manifestasse fertur.

Praeter haec, adiungebatur etiam, non defuisse testes ab eodem Titio inductos, qui fassi sunt: eo ipso tempore, quo Caia a Titio frequentabatur, ipsam, matrimonii tractatus, prius cum uno, postea cum altero viro egisse. Porro eiusmodi novos amores non permisisset Titius; nec obscuriores amasios praeferri sibi passus esset. Quare, concludebatur, simulatam quamlibet nuptiarum promissionem fuisse, adeoque inefficacem ad sponsalium vinculum inducendum, prouti Auctores docent.

Nec satis; posita etiam, subiungebatur, seria Titii promissione, probandam adhuc superesse, Caiae repromissionem. Sponsalium enim fides mutua esse debet et reciproca. Atqui ne unus quidem testis, Caiae repromissionem indicaverat. Quod si defectus huius repromissionis suppleri posse videretur per passam defiorationem, monebatur, eiusmodi defiorationem, ex sese, nonnisi quamdam praesumptionem suppeditare posse, eamque inefficacem ad inducendam Sponsalium obligationem, Conscius *De spons. filior. famil. vot.* 7 *n.* 72. Reiffenstuel *in Lib.* 4 *Decr. tit.* 1 *n.* 67 etc. Quin imo in praesenti casu, cum viri promissio non antecesserit stuprum, sed illud subsecuta fuerit, ipsum praesumptionis fundamentum corruere videbatur.

QUAE OBSERVARENTUR FAVORE VIRI QUOAD SECUNDUM DUBIUM. — Quatenus itaque S. Congregatio iudicium tulisset pro sponsalium existentia, secundo loco dirimi alterum dubium oportebat; circa quod pro dispensationis gratia, haec observabantur. Quamvis ad validitatem contractus sponsalium, iure canonum, solus sufficiat contrahentium consensus, *Cap. Veniens.* 13 *De sponsal; Concil. Trid. sess.* 24 *de Reform. matr. c.* 1; religiose tamen desideratur etiam consensus parentum; *Can. Non omnis:* 13 *caus.* 32 *dist.* 2. Hinc Ecclesia constanter abhorruit a sponsalibus, voto parentum, non suffultis; Conscius *De sponsal. vot.* 1 *n.* 151; Bellarm. *t.* 2 *controver. de matr. l.* 1 *c.* 20. Quare parentum dissensus sufficiens causa videtur ad dispensationem super sponsalibus obtinendam; praesertim vero, si parentum consensus, veluti conditio nuptiarum adiectus fuerit. Atqui in casu, Titii parentes ferebantur adversi matrimonio filii cum Caia. Accedebat insuper conditionis disparitas, quam etiam dispensandi causam praebere tradunt Layman. *lib.* 5 *tract.* 10 *c.* 1 *n.* 14. Castropal. *par.* 5 *tract.* 28 *disp.* 1 *punit.* 27 *n.* 7 Navar. *Manual. cap.* 16 *n.* 18.

Neque deesse, observabatur, omnimodam ipsius Titii renuentiam, ad illud ineundum coniugium, quae superari non potuit, sive temporanea eiusdem relegatione, sive ipsius reclusione in religiosis domibus ad sex usque menses; adeo ut exinde, vel frustraneus evaderet quivis censurarum, et alterius coactionis usus, vel invitus, nuptias, rixae et scandala, ut aiebat Ordinarius, certo consequerentur. Quibus in adiunctis, vitandum potius est, quam inculcandum matrimonium, ceu communiter Auctores docent. Et S. C. C. dispensandum super contractis sponsalibus censuit, hisce in casibus, soluta congrua dote, refectisque damnis, ut *in Senogallien. Spons.* 1 *Septembr.* 1714; *in Gallipolitana Sponsal.* 28 *Februarii* 1733, *nec non in Ugentina sponsalium* 29 *Novemb.* 1862.

DEFENSIO FAVORE MULIERIS QUOAD PRIMUM DUBIUM. — E contra vero favore Caiae, animadvertebatur, honestae puellae defloralionem, una cum aliis indiciis, sufficiens signum praebere in foro externo ad sponsalia praesumenda, adeo ut vir ad ea implenda condemnari possit; Fagnanus in *Decretal. l.* 4 *c. Ad nostrum;* Sanchez *De matrim. l.* 1 *dis.* 16 *n.* 6 *dis.* 22 *n.* 3, 5, *et* 6; Sporer. *par.* 4 *c.* 1 *sect.* 2 *n.* 196; aliique. Honesta siquidem

*

puella, non censetur in tantum sui dedecus devenire, nisi intuitu futuri matrimonii. Atqui, in facto, omnes testes fidem faciebant de eximia Caiae honestate. Et reapse, Caiam fuisse intuitu futuri matrimonii seductam, probabatur ex Parochi testimonio. Titius enim Parocho proprio dixerat: *se determinasse ad Caiam sibi matrimonio iungendam, ex eo quod eam seduxerat in finem matrimonii.* Quae Titii confessio, aliis testium declarationibus supra relatis confirmabatur; adeo ut eadem persuasio vulgo etiam obtinuerit.

Nec audiendus Titius dicebatur, cum referebat, matrimonium Caiae promisisse post eiusdem seductionem, ad effectum leniendi puellae animum, eiusdemque parentum. Haec enim Titii locutio, tum quia in proprium commodum, propriamque exonerationem dirigitur, attendi non debet; tum quia pugnat cum validissima iuris praesumptione.

Hisce autem positis, contendebatur, Titium non ficto animo matrimonium Caiae promisisse. Etenim in foro externo, semper seria praesumitur promissio, nisi manifeste contrarium doceatur; ideoque ad servandam fidem condemnari debet promissor, nisi legitime probet iocum, fictionem, fraudem; *L.* 7 §. 2 *ff. de suppellect. L.* 13 *Cod. de num. pecun.* Quantum praeterea despiciendae sint illorum obtestationes, qui propriam turpitudinem in sui favorem allegant, eruitur ex Capite *Inter dilectos De probat.*

Post haec, praeclare subiungebatur, quod si de seria et antecedenti Titii promissione subdubitari posset, nihilominus, ipse obstrictus dicendus erat ad nuptiarum foedus cum deflorata puella ineundum; siquidem, formalis et repetita promissio facta, saltem post eventum praegnantiae, a Titio denegari non poterat. Atqui si satis non fuisset, ad gignendam obligationem, promissio in aestu amoris prolata; tamen sufficiens existimari debebat promissio posterior, non solum ipsi mulieri, sed et eius parentibus per seipsum, et per intermedias personas, a Titio facta, et ab ipsa muliere, etiam omnino silente, acceptata; *Reg. iuris* 43 *in* 6. Non *simplex* enim in casu promissio fuisset, sed *qualificata*, idest propter antecedentem causam facta, eiusque correspectivitatem, et reparationem. Hinc arguebatur obligatio viri ad nuptias contrahendas, si non ex contractu sponsalium, certe ex *qualificata* hac promis-

sione, *argum. ex Cap.* 1 *et* 3 *De pact. Can. iurament.* 12 *caus.* 22; *L.* 7 *ff. De part.* Sanchez *l.* 1 *disp.* 5 *n.* 12 quam Reiffenstuel *loc. cit. n.* 17 dicit communem; S. Congreg. C. *in Lycien. Sponsal.* 18 *Decembr.* 1728 §. *non.*

Quae favore mulieris pro deneganda dispensatione observarentur. — Non deerant insuper rationes favore Caiae ob quas neganda videbatur super contractis sponsalibus dispensatio. Etenim Titii parentes huic matrimonio adversi erant, ob conditionis disparitatem; porro, contendebatur, non satis in facto constare de praeclara Titii nobilitate. Ex unico enim quod afferebatur diplomate, eruebatur, sub fine elapsi saeculi, unum de Titii familia, inter suae civitatis patricios fuisse adnumeratum. Porro licet Caiae pater, sutoris artem exercuerit, eo tamen tempore, sericae negotiationi erat addictus, in qua Titii familiam sociam aliquando habuit, prout quidam ex testibus innuere videbantur; et Titii soror, diuturnas cum Caiae consobrino matrimonii tractationes egit. Quibus itaque difficultatibus declinatis, contra dispensationem militabat canonica sanctio, quae statuit deflorantem honestam puellam, sub matrimonii promissione etiam ficta vel simulata, adigendum esse ad eam sibi in uxorem ducendam, *Cap.* 1, *et* 2 *De adult. et stup.* et S. C. C. *in Ugentina Spons. diei* 29 *Novembris* 1862., nec non in *Neapolitana Spons.* 17 Septembris 1722, in qua propositis dubiis I. « An constet de sponsalibus in casu » et quatenus affirmative, II. « An Dominicus sit cogendus ad con- » trahendum per verba de praesenti cum Agnete, seu potius » teneatur dotare etc. in casu: » responsum est ad I. *affirmative* Ad II. *affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

His itaque pro utraque parte *ex officio* perpensis, proposita sunt.

Dubia.

I. « An sententia Curiae ..... sit confirmanda, vel infirmanda » in casu. »

« Et Quatenus affirmative ad primam partem, et negative » ad secundam. »

II. « An sit consulendum SS̃mo super dispensatione sponsa- » lium in casu. »

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii, causa discussa die 31 Ianuarii 1863, respondere censuit: ad I. et II. *Solutis per (Titium) titulo dotis Ducatis* 600 *favore (Caiae), nec non emissa ab eodem obligatione de reficiendis omnibus damnis, comprehensa educatione prolis, impedimentum esse removendum.*

Ex iis colliges:

I. Seducentem, et deflorantem honestam puellam, sub certa, seria, et deliberata matrimonii promissione, ad eam sibi matrimonio iungendam teneri (1).

II. Seducentem, et deflorantem honestam puellam, aut sine matrimonii expressa promissione, aut cum *vaga* matrimonii promissione, teneri vel ad eam sibi matrimonio iungendam, vel ad eam congrue dotandam, damnis omnibus refectis (2).

(1) Vid. etiam quae diximus pag. 78 §. *Ex doctrina.*

(2) Christophorus Consci iurisconsultus versatissimus in hac sponsalium materia, hanc quaestionem pertractans in opere *De sponsalibus filiorum familias vot.* 7 *n.* 38 *et seqq.* interpretatur caput primum *De adult. et stup.* in quo sancitur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit eam uxorem*, et deinde subiungit. «Posterius » autem, eadem Sancta Mater Ecclesia, » aut rigorem mitigans, aut explicans » quomodo mandatum illud renovare in- » tellexerit, praecepit stupratorem *aut* » virginem ducere, *aut* in monasterium » detrudi, ad peragendam perpetrati cri- » minis poenitentiam, *Cap. Pervenit.* » 2 *De adult. et stup.* Accessit tandem » interpretum consensus, et ab omnibus » recepta consuetudo, qua vel antiquior » exposita, vel nova sancita fuit lex, ut » scilicet, qui seduxerit, aut violaverit » virginem, dummodo copulam non pre- » cesserit promissio matrimonialis,..... » illam, pro sui optione, aut uxorem du- » cere, aut dotare tenetur;.... circa quam » alternativam conveniunt quoque theo- » logi,... eaque recepta est in omnibus » tribunalibus, tam ecclesiasticis, quam » laicalibus nostrae Italiae,... et similiter » in Germania,..... in terris Electoratus » Saxonici,... in Gallia,.... in Hispania, » illamque magistraliter firmavit Rota *in* » *Taurinen. Matrimonii* 24 *Ian.* 1590 » *cor. Penn....*»

« Hanc autem regulam non omnibus » casibus generaliter in iudicando aptare » possumus, prout nonnulli iudices, cae- » cis oculis, cuicumque casui aptari posse » opinantur; etenim cessat optio stupran- » tis si stuprata nolit ei nubere, vel ob » aliquod impedimentum non possit, quia » tunc eam dotare (in hisce casibus pos- » set tamen in praxi dubitari an revera » haec dotandi obligatio modo existat) te- » netur. Item quando stuprator est impo- » tens ad illam dotandam, eamdem volen- » tem, ducere debet, et si ipsa nubere no- » lit, nec ei stuprator congruam dotem » constituere valeat, loco solutionis dotis » succedit poena fustigationis, aut alia etc. » ad tradita per Mascat. *Instit. canonic.* » *tit. De stupr. par.* 2 n. 12..... Tandem » antequam deflorator alternative ut dixi- » mus, condemnetur, examinandum ve- » nit, an copula fuerit extorta sub promis- » sione futuri coniugii, *utrum mulier fue-* » *rit seducta, vel seduxerit, an antea*

III. Vagam vero censeri promissionem, si seductor et defloratior, simpliciter puellae manifestet: suam esse voluntatem ineundi in posterum cum ea matrimonium.

IV. Seducentis autem promissionem, attenta gravissima negotii qualitate, nunquam in dubio deliberatam et firmam praesumi; sed talem esse, concludenter probari debere.

V. In presenti autem casu satis probari, honestam puellam fuisse seductam, et defloratam sub aliqua matrimonii promissione.

» *fuerit honesta*, et quaenam sit conditio » deflorantis, et defloratae..... Si vero stu- » prum fuerit *qualificatum*, si nimirum » copulae, promissio matrimonialis ac- » cesserit, ad differentiam stupri simpli- » cis, deflorantem praecise, et absolute » ad desponsandam defloratam conde- » mnavimus, quemadmodum faciendum » docent Less. *De Iustis*... dummodo ta- » men probata remanserit praedicta *pro-* » *missio, et mulieris honestas*. Pro qua » promissione iustificanda, non quamlibet » probationem admisimus; quia ad hunc » effectum requiritur probatio *rigorosis-* » *sima*, non per praesumptiones, et con- » iecturas, sed per confessionem stupran- » tis, vel per testes et documenta plene » comprobantia datam fidem matrimonii, » ex quibus stuprator appareat legitime » convictus... (allegat auctoritatum acer- » vum) cum agatur de materia, in qua » homo, amissa fere libertate, redigitur » in vinculum quasi servitutis coniuga- » lis... Neque probasse sufficit, quod stu- » prator dixerit *se velle cum stuprata* » *matrimonium inire*, haec etenim verba » ioci potius, et amoris causa, quam » animo se obligandi prolata censen- » tur,... et importare tantummodo pos- » sunt quamdam velleitatem sponsalium » de futuro, seu nudam et simplicem » praeordinationem, ac voluntatis dispo- » sitionem defloratoris, desponsandi de- » floratam, ex qua *neutiquam constabiliri* » *valet consensus adeo certus et delibe-* » *ratus, ut sponsalia dicantur perfecta*, » et consequenter in vim eiusdem consen- » sus, promissor metu carcerationis, seu » excommunicationis, aliarumve poena- » rum, ad adimplendam promissionem » cogi valeat. Ut enim procedi possit ad » coactionem, *consensus in sponsalibus*, » *ei similis esse debet, qui requiritur in* » *actuali matrimonii contractu*. Cum » enim promissor cogi non possit ad ma- » trimonium contrahendum, nisi in vim » consensus iam praestiti in praecedenti- » bus sponsalibus, exinde pernecesse se- » quitur, quod talis consensus eius indo- » lis, et naturae esse debeat, qualis in » actu contrahendi in facie Ecclesiae ma- » trimonium, ad illius validitatem expo- » scitur, omnino *liber, certus et deli-* » *beratus*.»

Hanc praeclaram doctrinam retulimus, quia reperitur valde conformis praxi S. Congregationis Concilii; cui sapienti doctrinae si quis attendat non tam facile errabit, in iudicanda sponsalium existentia, ut saepe contingit. Saepe enim sacra Congregatio C. infirmat sententias eiusmodi latas, ex duplici causa, quia firmus et deliberatus non demonstratur consensus, vel quia non constat de repromissione facta, maxime ex parte mulieris; habita exceptione casus *deceptionis*, et deflorationis honestae puellae, sub *firma* promissione matrimonii, quod factum ex deceptione, repromissioni aequiparatur.

VI. Non tamen satis probatum videri, eiusmodi promissionem firmam determinatamque fuisse.

VII. Quare locus fiebat optioni, qua Titius tenebatur, vel Caiam in uxorem ducere, vel eam dotare, damnis omnibus refectis.

VIII. Intelliges insuper, quare opus non fuerit, ut S. Congregatio SS̃mo consuleret super sponsalium dispensatione. Non enim de sponsalium existentia sufficienter constabat.

SACRI PATRIMONII

Die 2 *Martii* 1861.

Summaria precum. Clericus A. ad sacros ordines promotus titulo Participationis cuiusdam ecclesiae receptitiae, supplicavit apud suam Curiam, ut dictae Participationi, cui renunciare exoptabat, patrimonium sacrum subrogare sibi liceret: patrimonium huiusmodi constituebatur ex reditu ducatorum 30, inscripto in debito publico Neapolitano, et ducatorum 14 ad capellaniam patronatus laicalis familiae Oratoris pertinentium; quorum ducati sex in debiti publici codice erant inscripti, et ducati octo ex nonnullis censibus proveniebant. Porro hi reditus superabant illos, quos, ex Participatione, Orator percipiebat, et sufficiebant pro taxa patrimonii sacri, quae in regno Neapolitano praestituta erat.

Verum Curia, pro ea parte tantum quae proveniebat ex censibus, noluit habere ratum hoc patrimonium, reputans, sacrum patrimonium constitui non posse super censibus in eo regno. Hinc ad Sacram Congregationem confugit Orator, ut voti compos fieret.

Ordinarius rogatus inter cetera respondit: antea, census in Neapolitano regno considerari ceu bona immobilia, sed ab anno 1809, quo Codex civilis gallicus invexit, census habitos esse uti bona mobilia, eiusdemque naturae eos reputari a civilibus vigentibus legibus, quae anno 1819 illi gallico codici successerunt: in Conventione autem cum S. Sede an. 1818. art. 22 praescribi patrimonia *super fundis* constitui debere etc.

Orator e contra praemittebat, rem hanc, non ex civilis iuris sanctionibus, sed ex praescripto SS. Canonum esse diiudicandam. Iamvero indubitati iuris est, et in praxi communiter receptum, nihil impedimento esse, quominus sacrum patrimonium constituatur super censibus, dummodo cautelae serventur, quas S. Congregatio Concilii praescribere censuit in *Nullius* 21 *Iunii* 1629 *lib. Decret.* 14 *pag.* 109 *a tergo*. In hac porro Resolutione haec leguntur: « Quaeritur, an super annuis perpetuis censibus con- » stitui possint patrimonia pro Clericis ad SS. Ordines promo- » vendis. »

Sacra Congregatio C. respondit: « posse super censibus per- » petuis cohaerentibus rei immobili, et cum legitimis cautioni- » bus, et dummodo proprietas census, sit talis summae, ut in casu » restitutionis et conversionis in bonis stabilibus, vel Locis Mon- » tium non vacabilibus, annui reditus pro decenti substentatione » (alimento) promotorum sufficiant; quodque in casu huiusmodi » restitutionis, censuum debitores teneantur pretium deponere » penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, » ad effectum investiendi quanto citius, in aliis censibus eius- » dem qualitatis, vel in bonis stabilibus, aut Locis Montium » non vacabilibus, durante hoc patrimonii titulo, nullatenus, » nisi ad praescriptum SS. Canonum et Sac. Concilii Tridentini » alienandis; ad quod investimentum faciendum teneantur ipsi » ordinati, sub poena suspensionis ipso facto. Quod si contige- » rit patrimonium ab aliis, quam ordinandis, in huiusmodi cen- » sibus constitui, curent Ordinarii, ut constituentes in forma » iuris valida promittant, quod in casu redemptionis, modo » superius expresso, pro sufficienti ordinatorum victu provi- » debunt ».

In praesenti autem themate, subiungebat Orator, agi de censibus ad Capellaniam perpetuam pertinentibus, ut adeo periculum non sit quod depereant. Aiebat enim in ditione Neapolitana ope regii decreti diei 18. Maii 1857, sancitum esse, ut debitores censuum in casu restitutionis, conditionem reinvestimenti apponere debere, sub poena iteratae solutionis.

Neque difficultatem faciebant ea quae animadverterat Ordinarius. Census enim sive sub antiquis, sive sub vigentibus Regni legibus, habentur uti bona, neque propria ac stricta significa-

tione mobilia, neque immobilia, sed uti reditus rei immobilis, vel uti res immobilibus similes.

Item, observabat Orator, sanctionem Conventionis anni 1818 qua cautum est sacra patrimonia constitui debere *super fundis,* non recte proferri: tum quia census supra *fundos* etiam constituuntur, tum quia sub appellatione *fundi,* lato sensu, venit etiam reditus cuiuscumque generis, dummodo perpetuus sit, saltem ex sui natura.

Ex officio solummodo monebatur, ad tramites decreti S. C. C. supra relati, omnes convenire Doctores, posse patrimonium sacrum super censibus constitui; et proferebatur exemplum Benedicti XIV qui dum archiepiscopalem Bononiensem ecclesiam regebat, permisit, ut in censibus, patrimonii sacri constitutio fieri posset, ceu habetur in *Instit. ecclesias.* 20 *n.* 12 ita: « Si fundus de» sit, in aliquo censu, vel perpetuis censibus patrimonium con» stitui facile indulgebimus, modo fiant intra limites qui a S. Pio V. » in suo decreto praescribuntur; tunc enim census inter bona » stabilia numerantur. Cavendum tamen est, si debitores iis » censibus dissolvi cupiant, apud probum aliquem et locupletem » virum integram pecuniam esse deponendam, ut in alios cen» sus convertatur, vel fructiferis certisque fundis collocetur, qui » eiusdem rationis, ac primus census, habebuntur. Curet autem » Ordinatus sub poena suspensionis, ut eiusmodi pecuniae col» locatio, minime negligatur, cum haec omnia decretis SS. Con» gregationum omnino congruant, uti Monacellius *tom.* 2 *tit.* 13 » *pag.* 74 *n.* 17 *et* 21 *edit. Rom. an.* 1706 apertissime de» clarat.»

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii in hac causa *per summaria precum* exposita, die 2 Martii 1861 censuit respondere: *Iuxta petita, dummodo census constituti fuerint ad normam Constitutionis S. Pii V.* (1), *nec non assumatur, ac conservetur inscriptio hypothecaria super bonis stabilibus idoneis, onerata Oratoris conscientia.*

(1) Constitutio haec incipit: *Cum onus,* die 14 Februarii 1569 edita.

BENEDICTIONIS MULIERIS POST PARTUM.

Die 18 *Iunii* 1859.

Summaria precum. Ex relatione data ecclesiae A. ad S. Congregationem Concilii ab Episcopo B. sequens habebatur postulatum: « Rituale Romanum nihil dicit, an mulieres post partum » illegitimum possint accipere benedictionem in ordine Sacra- » menti Matrimonii post partum praescriptam. In multis dioe- » cesibus Germaniae valet antiqua consuetudo hanc benedictio- » nem tantum uxoribus impertiendi, vel viduis post partum » posthumum. Quaeritur an haec consuetudo sit Rituali confor- » mis, et quatenus negative, an possit tollerari ut praefata be- » nedictio post partum illegitimum denegetur. »

Quaestio igitur tota in eo erat, an iuxta Rituale Romanum possit denegari benedictio mulieribus post partum illegitimum. Aliis autem verbis, an dictae mulieres ius haberent ad hanc obtinendam benedictionem.

Quae pro deneganda hac benedictione observarentur. — Observabatur *ex officio* nullam fieri mentionem in Rituali Romano, nullumque, quod sciatur, prostare decretum in resolutionibus SS. Rituum Congregationis circa harum mulierum benedictionem (1). Attamen si attendatur origo ex qua huiusmodi profluit caeremonia, nec non si reliqua argumenta perpendantur, huiusmodi benedictio neganda videbatur. Ritus enim ille vetus prouti praescribitur Levitici cap. XII. tantummodo legitimas uxores spectabat, quae ex maritali vinculo filios procreassent.

(1) Tria tantummodo reperiuntur decreta in collectione a Gardellini concinnata, quae tamen referuntur ad ius Parochi benedicendi mulieribus post legitimum partum. In Thelesina, die 8 Februarii 1631, cum Canonici hoc sibi ius contenderent, responsum fuit a S. C. Rituum: *quo vero ad benedictionem mulierum post partum, hoc esse munus parochiale et ad ipsum parochum spectare.* Sed iterum die 22 Martii 1631 « Canonici » cathedralis Thelesinae supplicarunt item » declarari: licere ipsis benedicere mu- » lieres post partum, cum haec benedictio » non sit de praecepto, sed ad bene esse, » quae propterea a quolibet sacerdote po- » test impertiri. » Et S. C. iterum *stetit in decretis, nempe munia parochialia ad proprium parochum privative spectare.* Idem edixit in decreto Urbis et Orbis die 10 Decembris 1703 ad VI dubium.

Sed vero ad Rituale Romanum quod attinet, animadvertebatur, eiusmodi ritum non praeceptivum, sed tantum religiosum, apponi in Rituali post matrimonii sacramentum tamquam de re affini: non autem ad caput de benedictionibus referri. Quare eas mulieres respicere videbatur, quae ex legitimo matrimonio filios pepererunt. Ad rem Catalanus in *Commen. Rit. Rom. ad tit.* 7 *de Sacram. matrim. cap.* 3 *de benedict. mulier. n.* 17. « Reliquum est (inquit) ut ad calcem huius commentarii circa » puerperas purificandas, et istud notemus, benedictionem post » partum ei tantum mulieri concedi, quae ex matrimonio pepere- » rit, non autem illi quae ex fornicatione, et potissimum ex » adulterio, aut damnato alias coitu parturiit. Ita plane docent » communiter doctores et statutum etiam in synodis ac Rituа- » libus legi.» Et revera ita sentiunt Pastorales Mechliniensis, Brugensis, et Rituale Leodiense. Hisce, aliae auctoritates adiungebantur, nimirum Baruffaldi *ad Rit. Rom. comm. de benedict. mulier. post part. tit.* 43 *n.* 18.

Imo modernus auctor De Herdt in suo opere cui titulus *S. Liturgiae praxis iuxta Rit. Rom. Lovanii an.* 1852 *edito de introduct. mulier. in eccl. post part. n.* 11. haec expresse habet: « Ad hanc » benedictionem *ius tantum* habent mulieres quae ex legitimo » matrimonio pepererunt: ita ut ad hanc admitti nequeant illae » quae notorie ex adulterio aut fornicatione prolem pepererunt, » iis enim potius imponenda esset publica poenitentia.»

Quare, concludebatur, eiusmodi sententiam videri conformem Rituali Romano, quamvis hoc, de benedictione hisce puerperis impertienda, mentionem non faciat; et quidem congruenter. Quod enim in silentio quam maxime occultari deberet, non sine aliquo scandalo patesceret.

Quae pro benedictione impertienda faverent. — E contra vero, perpendebatur, verba Ritualis Romani generalia esse nec ullam facere distinctionem, inter partum legitimum et illegitimum; quidquid ceteroquin sit de occasione, quam sumpsit Rituale loquendi de hac benedictione.

Imo, si ratio huiuscemodi ritus probe inspiciatur, scilicet purificandi puerperas in ecclesiae ingressu, potiori ratione hic ritus adhibendus esse videretur erga mulieres post partum illegitimum. Quod si ratione scandali, benedictio haec impertienda

non censeretur post partum notorie illegitimum, limitationem saltem faciendam esse, dicebatur, quoad eas mulieres, quae occulto et praesertim deceptae, humanae cesserint fragilitati. Quam distinctionem inter occultam et notoriam fornicationem, insinuare videtur Pignatellius *tom. 5 consult. 76 n. 14.* ita « In ultramontanis » partibus, speciatim in toto Belgio, moris est, ut puerperae, » quae ex concubinatu vel fornicatione notoria pepererunt, nonnisi » ab Archipresbytero seu Decanis purificentur, ut istius purifica- » tionis occasione informationem accipiant de patre prolis na- » tae, quam ad Vicarium Episcopi transmittent, ut contra for- » nicatorem castigandum iuridice procedatur.»

Huiusmodi distinctionem innuunt nonnulli neoterici gallici scriptores, quamvis non perspicue sese exprimant; nec non laudatus De Herdt qui *loc. cit. p. 6 n. 15 §. 1* hanc limitationem *ad partum notorie adulterinum* cohibet, hoc scilicet sensu, ut ius sit uxoribus petendi praefatam benedictionem, quoties occultum sit adulterium.

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii hanc quaestionem per *summaria precum* expositam discussit die 18 Iunii 1859, et respondere censuit – *Ad benedictionem post partum ius tantummodo habere mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt.*

Ex qua S. C. responsione, qua resecatur quaelibet distinctio, non bene quis deduceret, prohiberi parochis, quominus mulieribus de quibus agitur benedicant. Infertur enim solummodo praefatas mulieres non posse iure exigere dictam benedictionem, secundum illud quod in quaestione ponebatur.

Die 27 *Iunii* 1857.

Summaria precum. Cupiebat Sempronius ecclesiasticae militiae nomen dare. Ordinario autem videbatur defectus natalium obstare, quominus eius votis fieret satis. Quamvis enim Sempronius, tum ex libris paroecialibus, tum ex civili ut vocant statu, legitimo ortus coniugio appareret; attamen parentes eius fatebantur, ac publica fama ferebat, eundem esse adulterinum, natum scilicet ex patre libero, et matre coniugata. Itaque, ut tuta conscientia et sine scandali periculo, statui clericali adscribi, et sacerdotio initiari posset, Ordinarius ipse, supplici oblato libello, dispensationem pro eo postulavit ab irregularitate, ob enunciatum defectum natalium, motus egregia iuvenis indole, probatissimis moribus, ac scientia; unde illius promotionem ob parvum etiam ac imparem sacerdotum numerum, qui ea in urbe extabant, valde utilem ecclesiae bono existimabat.

Ea quae ex officio observabantur contra irregularitatem. — Antequam de dispensatione quaestio institueretur, operae pretium esse existimabatur, primo inquirere, an de irregularitate reapse constaret. Porro adulterina Sempronii origo non satis probata videbatur: immo legitimos eius natales publica documenta vindicabant, nec non legis favor. Nam, quod ad favorem legis attinet, si ex doctrina Pauli iurisconsulti in *L.* 2 *ff. De in ius voc.* - *Pater is est quem nuptiae demostrant*, - et si Ulpianus in *L.* 6 *ff. De iis qui sui*, filium definit - *qui ex viro, et uxore eius nascitur* - legitimus presumi debere Sempronius dicebatur, qui constante legitimo suae matris coniugio, natus erat.

Quae quidem praesumptio in paternitate legitima, eo usque obtinere debet, ut contraria quaelibet excludatur probatio citra casus phisicae impossibilitatis; nimirum nisi evidenter constet, praegnantem ex viro suo fieri uxorem nequivisse ob phisicum obstaculum absentiae, impotentiae, infirmitatis et similium, uti ex argumento legis *cit.* 6 *ff. De iis qui sui* communis est Doctorum et Tribunalium sententia: ceu, ceteris omissis, videre est in celeberrima S. Rotae decisione *Romana filiationis super primo dubio* 20 *Ianuarii, et in confirmatoria* 5 *Maii* 1845 *coram D'Avellà.*

In qua Decisione, pluribus allegatis iuribus, traditur attendi non posse confessioni matris, et praetensi patris, in praeiudicium legitimae filiationis. Multo vero minus attendi debere, observabatur, ac publicam vocem ac famam, quae plane a manifestatione parentum ortum habuerat, ceu ipsemet Ordinarius monebat: *sine manifestatione ab adulteris facta, non poterat cognosci eius illegitimitas.*

Quod si adhuc aliqua superesset dubitandi ratio, doctrina allegabatur magis recepta, quam prae ceteris tuetur S. Alphonsus De Ligorio *Theol. mor.* l. 7 *n.* 347, quae docet in dubio, nisi agatur de irregularitate ex homicidio iniusto, neminem censeri irregularem. Et cessare scandali periculum animadvertebatur, si S. Congregatio suo iudicio Sempronii legitimam filiationem comprobatam fuisse, ac eundem dispensatione non indigere declararet.

Quatenus opus esset, ea quae dispensationi faverent. — Quatenus contrarium decernendum censuisset S. Congregatio, subiungebatur, pro dispensatione militare eas causas, quas afferebat Ordinarius, evidentem nimirum ecclesiae utilitatem ac probos Sempronii mores, ex qua quidem postrema causa, ratio cessat ab quam irregularitas haec praecipue constituta est, ceu tradit Pyrrhus Corradus *prax. disp. l.* 3 *c.* 1. *n.* 1 in quo ait « praecipua » autem ratio est, (huius irregularitatis) quia isti plusquam alii, » ut plurimum solent esse imitatores paternae incontinentiae, et » male morigerati.» Item Fagnanus, aliique.

Quae dictae dispensationi obstarent. — Adversus nihilominus dispensationem non leve videbatur adesse impedimentum, nimirum publici scandali periculum, et ipsa sacrorum ordinum dignitas; maxime vero quia, cum eo dispensandum erat, qui a personis progenitus fuerat, inter quas matrimonium consistere iure non poterat. Optime enim more suo angelicus Doctor *in* 4 *sent. dist.* 25 *quaest.* 2 *art.* 2 *quaest.* 3 rem explicat. « Ordinati in quadam dignitate prae aliis » constituuntur. Ideo ex quadam honestate requiritur in eis cla- » ritas quaedam, non de necessitate sacramenti, sed de neces- » sitate praecepti, ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus » ornati, non publice poenitentes. Et quia obscuratur hominis » claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo toro nati, » a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur:

» et tanto est difficilior dispensatio, quanto eorum origo est tur- » pior. » Et concludebatur eiusmodi dispensationum exempla, praesertim quoad illegitimos, quorum turpior origo est, nulla, quod sciretur, pro Italia saltem, occurrere.

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii huic quaestioni *per summaria precum* expositae die 27 Iunii 1857, respondere censuit: *non indigere*.

Ex quibus perspicies quantam vim exerat illud Pauli iurisconsulti principium – *Pater is est quem nuptiae demonstrant.* – adeo ut in contrarium, excepta evidenti phisica probatione, quaelibet alia probatio attendenda non sit.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SUPER RUPTIONE TESTAMENTI VEL COMMUTATIONE VOLUNTATIS.

Die 16 *Septembris* 1864.

Compendium facti. Quaedam mulier nomine Rosa de suis bonis, quae libere possidebat, testamentum condidit, ipsumque publico Notario die 28 Augusti 1840 servandum rite consignavit. Testamenti dispositio in hoc sita erat, ut eadem duobus suis ex fratre nepotibus legatum scutatorum viginti quinque in singulos relinqueret, ac deinde aliud legatum marito suo, cui nupserat, scutatorum centum et quinquaginta assignaret. Circa reliqua bona, quae summam constituebant scutatorum mille supra ducenta, (quoniam nulla Rosae proles erat) scribebat haeredes Clericos quosdam Regulares cum onere singulis mensibus missas quindecim pro animae suae suffragio in eorumdem haeredum Ecclesia celebrandi. Denique pro executione suae voluntatis procuratorem seu executorem testamentarium nominabat supremum praedictorum haeredum Moderatorem.

Post conditum ac traditum testamentum Rosa plures supravixit annos, quo tempore decurrente, patrimonium ipsius non parum adauctum fuit. Denique labente mense Augusto anni 1861, repentino correpta fuit morbo, qui primitus haud gravis apparuit, sed inopinato ingravescens non multos intra dies Rosae vitam eripuit. Supremus Clericorum Regularium haeredum Moderator, animo advertens, neminem posse partim testatum, partim intestatum obire, ad universam Rosae haereditatem, una cum augmento, quod post conditum testamentum obvenerat, suos Religiosos vocatos esse existimavit. Itaque iusso absolutoque iuxta legum praescriptum omnium bonorum inventario ex quo innotuit totum as haereditarium, omnibus expensis purgatum ad scutata 2951 ascendere, nomine suae Congregationis possessionem haereditatis a Rosa relictae inire non dubitavit.

At non multo post, se in medium protulerunt duo testatricis ex fratre nepotes, quos legato scutatorum vigintiquinque in singulos honoratos fuisse vidimus; iidemque penes S. C. Ep. et Reg. conquesti sunt, contendentes testamentum a Rosa, eorum amita, anno 1840 conscriptum, uti ruptum, adeoque nullum habendum esse, et locum fieri legitimae in eorum favorem successioni; quandoquidem nullus alius testatrici proximior aderat. Porro testamentum ex eo ruptum propugnabant, quod tres invenirentur testes, qui a Testatrice voluntatem commutatam fuisse perhiberent, praeterquamquod decennium a condito testamento nedum semel, sed et bis ac plus etiam praeterlapsum fuerat. Primus testis declarabat, ex testatricis ore sese audivisse, tum quod testamentum variare eadem in animo haberet, quia ob praeteritos nepotes conscientia agitabatur, tum quod in nepotum utilitatem commutationem illam peragere vellet. Testis altera (namque foemina erat) aiebat, se praesente, testatricem dixisse, testamentum renovare velle, ut commodius nepotum suorum egestati consuleret. Tertius ac ultimus testis referebat, sese uti Notarium testatricis negotia gratuito gessisse, cum adpromissione ab eadem sibi facta, quod testamentum reformatura foret, in eoque operam suam largiter esset remuneratura.

Concludebant Oratores, quod, si nihilominus aliter fortasse S. Congregationi, ac dubium superesse videretur, an vere testamentum, uti ruptum, declarandum foret, causa canonica in casu in-

tercedebat, videlicet eorum paupertas, et summa cum testatrice consanguinitas, cur ad omnem cautionem adhibendam, Apostolica Sedes Testatricis voluntatem commutaret, sibique haereditatem, firmo remanente onere missarum, penitus adiudicaret. Ordinarius super hisce precibus interrogatus, propitiam Oratoribus sententiam aperuit: at vero Clerici Regulares, seu eorumdem Moderator utrique articulo mordicus obstitit, nempe assertae testamenti ruptioni, et commutationi voluntatis. Itaque, assumpto ab utraque parte Defensore, causa gravissimo Emorum Patrum S. C. Ep. et Reg. iudicio subiecta est cum duobus, quae ad calcem referuntur, dubiis.

Disceptatio synoptica.

Quid in medium afferret clericorum regularium defensor contra ruptionem testamenti. — Notissima est, aiebat Regularium Clericorum Defensor, lex Iustiniani Imperatoris incipiens *Sancimus* 27 *Cod. de Test.*, qua statutum est, ut testamenta, elapso decennio, irrita habeantur, si per tres idoneos testes voluntatem a testatore mutatam fuisse constiterit, vel si testator, inter acta Principis, voluntatis suae mutationem rite manifestaverit. Iamvero, idem subiiciebat, quamvis in themate decennii decursus denegari nequiret, attamen nec aderat mutatae voluntatis inter acta Principis manifestatio; neque testium declaratio talis iudicanda erat, qualis necessario requiritur ad effectum, de quo agebatur.

In primis enim testes ex diserta sanctione legis debent esse idonei, quae idoneitas in eo consistit, ut iidem omni exceptione careant; ut ne sint varii et in aliquibus sibi contrarii; ut sint rogati; ut ne singulares, aliisque defectibus sint obnoxii. Iamvero huiusmodi idoneitatem in testibus omnino desiderari, pluribus idem Defensor adductis rationibus confirmabat, quas in specie referre superfluum hic esse ducimus.

Huc accedebat, quod tametsi exceptionum, quas in eos merito cadere comprobatum fuerat, nulla ratio haberetur, non idcirco ipsorum attestatio mutationem voluntatis uti perfectam et consummatam, sed tantummodo fortasse volitam et animo conceptam concluderet. Iamvero ut aliquod testamentum ex voluntatis mutatione ruptum, et irritum vere dici haberique possit,

ex memoratae legis censura, per idoneos testes non minus tribus constare debet, quod testator reipsa declaraverit, sese priori testamento stare nolle, aut aliis verbis, voluntatem priori eidem testamento, contrariam aperuerit (1).

Id autem eo magis admittendum est, si consideretur hunc, de quo agitur casum revocationis testamenti, similem habendum esse casui revocationis testamenti prioris, quae per posterius testamentum facta fuerit. Atqui hoc secundo in casu, ut prius testamentum revocatum et rescissum dicatur, non sufficit, si alterum testamentum fuerit inchoatum, sed omnino requiritur, ut fuerit perfectum et numeris omnibus absolutum; secus primum, non alterum, in suo robore permanebit. Idem igitur dicendum est in causa, quam disceptamus, in qua Rosa suam voluntatem non utique actu ac formaliter immutavit, sed tantummodo edixit (quatenus testium dicto stare velis) sese in animo habere immutandi id, quod in testamento anni 1840 constituerat.

Quid idem defensor obtenderet contra voluntatis commutationem.—Defunctorum voluntates sancte religioseque ex praescripto Sacrorum Canonum et potissimum Concilii Tridentini custodiendas esse idem Defensor proclamabat. Quamvis autem Apostolicae Sedi testatorum voluntatis immutandae facultatem non denegant, attamen id nonnisi ex aequa et rationabili causa eamdem praestare solere propugnabat. Iamvero ab adversariis ante omnia paupertas, qua se laborare asserebant, S. Congregationi obtrudebatur; eam nihilominus vere non adesse vel ex eo inferebat, quod in tutamen precum suarum Advocatum sibi adscivissent, qui sine magno impendio restrictum iuris et facti neque elucubrare, neque typis evulgare potuisset.

Neque meliori consilio consanguinitas ab iisdem iactitabatur, quae profecto tam arcta non erat, ut, sine legum violatione, eosdem Rosa praeterire prohiberetur; si praesertim inspicerentur iustissimae causae a mala eorumdem vitae ratione derivantes, propter quas eadem offensa ac subirata merito potius animae suae, quam eorum commoditati consuluisset. Quamquam non omnino eosdem neglexerat, quando palam erat, quod eorum unumquemque legato scutatorum vigintiquinque largiter honorasset.

(1) Vid. Append. XII. pag. 378.

Quid responderet oratorum defensor pro adstruenda ruptione testamenti. Allegata auctoritate Cuiacii, Donnelli, Voetii aliorumque legum civilium interpretum, idem defensor praemittebat, nudam voluntatem absque nulla solemnitate sufficere, ut quis testamentum decem annis ante confectum rescindere valeat, dummodo huiusmodi revocatio testimonio trium hominum comprobetur: ex quo primum arguebat, otiosam esse quaestionem, an voluntas ad actum fuerit perlata, vel non: simul ac enim demonstretur, testatorem non amplius in ea voluntate perstare, qua erat, cum prius testamentum confecit, iam sequitur, quod voluntas, uti mutata, sit habenda, eique haud necesse sit amplius inhaerere. Atqui ex superius relata trium testium declaratione satis superque liquere, idem Defensor arbitrabatur, Rosam, priore voluntate posthabita, aliter de rebus suis disponere voluisse.

Quae revocatio (idem prosequebatur) magis magisque attendenda erat, quia Testatrici iusta atque adeo necessaria suberat causa, cur prius testamentum deleret. Quamvis enim fortasse aliquid primis temporibus accidisset, propter quod, eadem suis nepotibus forte subirata foret, nihilominus proximo tempore suam ipsis gratiam reddiderat; miserationem calamitatum, quibus affecti fuerant, benigno animo susceperat, eorumque acerbissimam conditionem erigere ac sublevare statuerat.

Neque vero pro admittenda ruptione testamenti ex lapsu temporis et contraria voluntate requiri subiiciebat, quod mutatio voluntatis solemniter celebranda sit, uti accidit tum, cum prius testamentum per posterius revocatur; unde fit ut valeat primum, donec de valore secundi non constet. Licet enim ad formalem immutationis voluntatis actum Rosa non devenerit, attamen sufficit, si, eadem in voluntate haereditatem suam Clericis Regularibus relinquendi minime perstiterit, quod ex uniformi trium testimonio diserte colligebatur.

Quid pro obtinenda commutatione voluntatis idem defensor afferret. Fundamentum, quo Pontifex innititur in exercendo, quo potitur, iure commutandi defunctorum voluntates, aliud profecto non est, nisi praesumpta voluntas eorumdem, quippe qui si in iis, de quibus agendum occurrit, casibus versarentur, verosimiliter a sua sententia recedentes peragerent, id quod sum-

mus Pontifex pro sua sapientia et auctoritate constituit. At vero in hac controversia non solum praesumptio concurrit voluntatis Rosae, quae profecto, nisi repentina morbi vi correpta e vita obiisset, tristissimam suorum nepotum conditionem miserata, commodius ac largius eisdem providisset, sed etiam veritas accedit; siquidem ex declaratione trium testium, qui superius producti sunt, elucescit in facto, eamdem testamenti prius facti poenitentem, manifestasse animum supremas eas tabulas revocandi, suisque nepotibus sua bona relinquendi.

Hinc si testes illi, qui ad ruptionem testamenti tuendam sufficere fortasse non videantur, satis superque fuisse dicendi sunt ad hanc veritatem adstruendam, quod Rosa in utilitatem nepotum suorum, voluntatis innovandae mentem, dubio procul habuisset.

Huc adde Pontifici non deesse canonicam causam, cur ad hunc commutationis actum deveniat: adest namque arctissima consanguinitas Oratorum cum testatrice, ac praeterea gravissima paupertas, qua iidem divexantur: quae duae res communiter Summum Pontificem inducere solent, ut testatorum voluntatem interpretatus, in pauperum consanguineorum favorem testamenta commutet.

Neque vero praetereundum, quod Rosa Clericos Regulares in re certa haeredes nominavit, nempe in summa scutatorum mille ac ducentorum, qualia oneri missarum, quod imposuit, adimplendo sufficiunt. Si vero iidem compendium insuper adepti sunt augmentorum, quae post confectum testamentum Rosae patrimonio accesserunt, id tantummodo ex dispositione legis, quae vult neminem decedere partim testatum, partim intestatum, minime vero (quando rei, prouti se habet, veritas inspiciatur) ex praecisa mente testatricis, quae, dum testaretur, huiusmodi patrimonii accessiones praevidere non potuit, aut saltem revera non praevidit. Quae cum ita sint, verisimile est (ipse defensor concludebat) eamdem suos nepotes potius beneficio suo voluisse afficere, quam personas extraneas, et incertas, utpote sunt Religiosi viri morale corpus constituentes. Ratio itaque crescit, cur Pontifex suam auctoritatem in Oratorum utilitatem exerceat, eoque magis, quod iidem pium missarum legatum sartum ac tectum relinquere sponte profiterentur.

Dubia.

« An constet de ruptione testamenti in casu.»

« Et quatenus negative.»

« An et quomodo locus sit commutationi eiusdem in casu.»

Emi Patres S. C. Ep. et Reg. die 16. Septem. 1864 rescripserunt.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative adsignatis scutatis quingentum pro unoquoque ex Oratoribus duobus, comprehensis in dicta summa legatis scutatorum vigintiquinque, facto verbo cum SSmo.*

Ex iis colliges:

I. Testamentum rite confectum, decurso decennio, posse rumpi per simplicem voluntatis Testatoris manifestationem coram tribus testibus.

II. Eiusmodi tamen manifestationem in praesenti casu non fuisse perfectam. Ex testibus enim adductis, aliis omissis exceptionibus, erui ad summum poterat, Testatricem semet parare ad testamentum renovandum favore nepotum.

III. Hac simplici imperfecta voluntate, testamentum non rumpi (1).

IV. Concurrentibus tamen aliis adiunctis, prout in casu, sufficientem causam exhiberi, ut testamentum ad causas pias confectum, a R. Pontifice quadantenus immutetur.

DUBIA SUPER SACRA ORDINATIONE ET ALIIS.

Die 6 *Maii* 1864.

Compendium facti. Episcopus A., sequentia S. Congregationi Epis. et Reg. exponebat: « In mea dioecesi extat domus Congregationis presbyterorum saecularium B; in eiusdem Constitutionibus a S. Sede approbatis haec habentur - *Unaquaeque domus suum Superiorem habebit; singulae vero domus Congregationis, immediatae iurisdictioni proprii Ordinarii subiectae erunt, firma tamen Superiorum auctoritate erga subditos.* In iisdem pariter

(1) Vide Appendicem XII. pag. 378.

praescribitur – *Superioris insuper Provincialis erit... cuique domum in qua resideat assignare, de una in aliam (intra tamen limites provinciae) transferre* – facta hac reservatione – *ea tamen lege, ut omnes presbyteri, qui in eandem Congregationem cooptantur. . . Ordinariorum iurisdictioni omnino subiecti esse debeant.*»

« Modo laudati Instituti Superiores a me petierunt ut ss. ordines conferrem quibusdam eorum subditis, quorum aliqui, non pertinentes ad meas provincias, vel tonsuram adhuc non receperunt, vel eam cum aliis ordinibus, a diversis Episcopis receperunt. Dubium hinc ortum est, an ego possim eos ordinibus initiare; ratio enim dubitandi est, quia nullus titulus in casu habetur quo ex iure Episcopus fiat proprius ad effectum ss. ordines conferendi etc.» Hac itaque occasione praelaudatus Episcopus alia etiam proponebat dirimenda dubia, quae iuxta morem, *ex officio* fuerunt concinnata, prouti in calce reperiuntur.

Antequam S. Congregatio dubia resolveret, commisit alteri Ordinario C. intra cuius dioecesim domus suprema Instituti extat, ut audiret Superiorem, et nominatim quaereret, an Institutum privilegiis frueretur, directis, vel indirectis, nempe per communicationem cum aliis Institutis, nec non ut ipsemet Ordinarius C. suum emitteret votum.

Superior Instituti fatebatur peculiaribus privilegiis Institutum non frui, nihilominus opinabatur, quoad duo priora dubia, Instituti alumnos posse ss. ordines recipere a quolibet Ordinario in cuius dioecesi actu extant, ex ea praecipue ratione, quia iuxta approbatas Constitutiones, per Apostolicam auctoritatem, alumni fiunt subditi illius Ordinarii in cuius dioecesi domus extat, et ab Ordinarii iurisdictione eximuntur per translationem in aliam dioecesim ex Superioris Instituti mandato. Hinc iurisditcione cessante Episcopi sive originis, sive illius qui priores ordines contulit, poterunt quoscumque ordines recipere ab Episcopo in cuius dioecesi actu alumni reperiuntur, utpote eiusdem auctoritati subiecti. Ad tertium quod attinet dubium, aiebat, iuxta Constitutiones praelaudatas, independenter a loci Ordinario, urbanitate servata, posse quemlibet alumnum transferri de una in alteram dioecesim; quia obedientia quae Ordinario promittitur in actu s. Ordinationis, limites recipit per ipsas Instituti approbatas Constitutiones. Circa

ultimum dubium opinabatur, alumnos qui dimittuntur etc. ab Instituto, eo ipso subditos fieri Ordinario, sub cuius iurisdictione erant, priusquam Institutum ingrederentur. Etenim, quamvis illi omnes, qui cooptantur in Institutum, ab auctoritate proprii Ordinarii, iuxta testimoniales literas, quas Ordinarii concedere debent ex Decreto Romani Pontifices *diei* 25 *Ianuarii* 1848 subtrahi videantur (1), nihilominus cum hae literae conce-

(1) Eiusmodi literae, quas ex dicto Decreto concedere debent Ordinarii, non sunt proprie literae excorporationis, sed literae sunt, in quibus Ordinarius testari debet de natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, et similibus.

Hac occasione praestat heic adiicere novas declarationes emissas a Sacra Congreg. Super statu Reg. circa notum decretum *Romani Pontifices*, quae sunt eiusmodi:

1. « An sufficiant testimoniales datae » ab Ordinariis per literas privatas.»

Resp. *Affirmative.*

2. « Utrum sufficiant testimoniales, » in quibus Ordinarii non testantur in » specie de iis omnibus, quae in decreto » -*Romani Pontifices*- praescribuntur, sed » dumtaxat in genere referunt de qua- » litatibus Postulantis. »

Resp. *Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas qualitates Postulantium cognoscendas.*

3. « Quid agendum si Ordinarii re- » respondeat se Postulantes non agno- » scere ? »

Resp. *Posse Postulantes admitti ad habitum, et Novitiatum si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat, sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleantur, et serventur alia de iure servanda; et Postulantes, antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur.*

4. « Utrum Superiores admittere pos- » sint ad habitum sui Ordinis Postulan- » tem, absque literis testimonialibus Or- » dinarii, quando hic affirmat non posse » eas dare, quia prohibitus ab auctoritate » civili. »

Resp. *Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a superiore requisitus testimoniales, ob expositam superius causam, quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem.*

5. « Utrum Superiores possint ad ha- » bitum ipsum admittere milites, de qui- » bus Ordinarii affirmant, se non posse in » Gallia informare, cum nullos delegatos » in exercitu habeant, nec Parochi ullam » de his notitiam habere possint. »

Resp. *Affirmative si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat, se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum, saltem per tres menses maneant in conventu, ibique diligenter probentur.*

6. « Quid agendum sit quando Ordi-

dantur propter ingressum in Institutum, conditionem quodammodo continent, ob quam alumni eximuntur a iurisdictione proprii Ordinarii ratione originis seu domicilii, donec in Instituto permaneant. Hac itaque conditione cessante, eo ipso sub auctoritate Ordinarii illius reperiuntur.

Ordinarius autem C. in cuius dioecesi domus suprema Instituti est, observabat, suos etiam antecessores ss. ordines contulisse alumnis praelaudati Instituti, exhibitis tamen literis testimonialibus eorumdem Ordinarii pro aggregatione ad idem Institutum, quae literae videntur locum obtinere literarum *remissorialium* (1), prouti adnotaverat etiam Instituti Superior. Caeterum

» narii nolunt dare literas testimoniales, » non aliam ob causam, nisi quia oppo- » nuntur ingressui Postulantis in reli- » gionem.»

Resp. *Ordinarios, prout in Art.* 2. *decreti* - Romani Pontifices - *praescribitur, non posse testimoniales literas denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad S. Congregationem super statu Regularium.*

7. « An in his ordinibus, in quibus » praeter conversos laicos habentur Do- » nati seu Oblati, testimoniales exigendae » sint ante susceptionem habitus Donato- » rum et Oblatorum, vel potius Conver- » sorum.»

Resp. *Ante susceptionem habitus Donatorum, et Oblatorum.*

8. « An sit nulla susceptio habitus sine » literis testimonialibus.»

Resp. *Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales literas omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad professionem admitti minime poterunt.*

9. « Utrum sit invalida professio, » si fiat omissis testimonialibus literis.»

Resp. *Non esse invalidam, sed illicitam.*

(1) Nempe excorporationis, seu excardinationis prouti vulgo appellantur. Secundum locorum varietatem, varia interdum contingunt harum literarum nomina, prouti erudite observabatur in consultatione *ex officio* confecta, quam in *disceptatione synoptica* exponimus. Quaecumque autem sint nomina, literae ad has revocantur, nimirum, habentur literae proprie dictae *dimissoriae*, quae « exprimunt tradi- » tam facultatem, ut alter Episcopus » possit clericum illum (de quo agitur) » promovere.»

Testimoniales « continent testimo- » nium, quod, clericus promovendus, sit » dignus, cui tales ordines conferantur, » quemadmodum haec diversitas inter- » nosci potest ex literis utriusque gene- » ris quarum formulam recenset Mona- » cellus *T.* 1 *tit.* 4 *form.* 3 *et* 9.»

Testimoniales dicuntur etiam illae literae « quae concedi solent ad com- » mendandum clericum e dioecesi pro- » ficiscentem.» Haec adnotantur in causa S. C. C. *Ilcien. et Pient. Ord.* 8 Aug. 1733 §. *nec vero.* Ad hanc tertiam literarum speciem possunt referri literae quae solent dici *discessuales* ad usum nempe sacerdotis qui e propria dioecesi egreditur, ut in alia admittatur ad missae celebrationem.

Ad quartam speciem pertinent literae quae vulgo dicuntur *excorporationis* qui-

non multum discrepabat votum Ordinarii C. ab iis quae dictus Superior animadverterat. In secundo tantum dubio aliter opinabatur.

Disceptatio synoptica.

Praemittebatur *ex officio* generalis doctrina, quae docet ob quatuor titulos ad sacrae Ordinationis effectum, Episcopum fieri posse *proprium;* ratione nempe originis, ratione domicilii, ratione beneficii, ratione familiaritatis.

Commemorabatur insuper Constitutio Innocentii XII. quae incipit *Speculatores. prid. Non. Novemb.* 1694, quae in eiusmodi quaestionibus prae oculis maxime habenda est, in qua inter caetera sancitur: « nulli Episcopo seu cuiusvis loci Ordinario.... » licere externum quempiam, ac sibi ratione originis seu domicilii » iuxta modum inferius declarandum legitime contracti, non » subditum ad clericalem tonsuram promovere... praeterea Cleri- » cum qui legitime iam a proprio Episcopo ad eamdem clericalem » tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non » posse ab alio Episcopo ratione ac titulo cuiuscumque beneficii » in illius dioecesi obtenti, ad ulteriores ordines promovere, nisi, » ante eorumdem susceptionem, testimoniales literas Episcopi tam » originis, quam domicilii, super suis natalibus aetate moribus ac » vita obtinuerit.»

Porro, observabatur, ab hac lege tantummodo excipi Regulares, qui a suis Superioribus literas dimissorias recipiunt, ut ordinibus initientur ab Episcopo loci iuxta Constitutionem Benedicti XIV. *Impositi nobis* diei 25 Februarii 1747. Atqui Institutum presbyterorum de quo agimus, destitutum est privilegiis Regularium; ergo Superiores, ius concedendi dimissorias non habere videbantur. Maxime cum in ecclesiastica disciplina eiusmodi fa-

bus clericus eximitur ac avellitur a sui Ordinarii iurisdictione, et alteri dioecesi uti subditus adscribitur.»

Ad quintam speciem pertinent literae testimoniales, quae ex decretis S.Congregationis super statu Regul. diei 25 Ianuarii 1848, ab Ordinario concedi debent illis qui petunt ingredi Religionem, sive votorum selemnium, sive simplicium, quae testari debent super *natalibus aetate moribus, vita, fama, conditione,* etc. de quibus in nota antecedenti locuti sumus. (Eiusmodi decreta referuntur in opusculo cui titulus *Acta S. Congregationis super statu regularium ab Archiepiscopo Philippensi secretario collecta. Romae* 1862 *ex typographia rev. cam. Apostolicae*).

cultas literas dimissoriales concedendi, existimatur res gravis momenti.

Haec autem analogis exemplis confirmabantur. Sane, Abbates *nullius* sine privilegio speciali eiusmodi non potestatem habent, iuxta ea quae tradit Benedict. XIV. *de syn. dioec. l.* 2 *cap.* 11 *n.* 15 *et* 16. Laudatus enim Pontifex refert decretum Concilii Trid. *sess.* 23 *c.* 10 in quo sancitur: *Nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, literas dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium Ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat.* Quo decreto relato subiungit: « sub huius decreti censura comprehendi Abbates, aliosque inferiores Praelatos, primae et secundae speciei, nemo unquam potuit in quaestionem adducere; at plerique Praelati tertiae speciei, se ab eiusdem severitate autumabant immunes, hac freti ratione, videlicet, quia ipsorum territorium, in quod exercent iurisdictionem quasi Episcopalem, non existit intra fines alicuius dioecesis; de quo tantum videtur loqui Tridentinum, sed est a qualibet dioecesi omnino seiunctum, et separatum: ac propterea, etsi ab ordinibus per semetipsos conferendis, iuxta modo traditam doctrinam, abstinerent, liberum nihilominus sibi esse putabant, literas dimissoriales, ad ordines suscipiendos, suis subditis saecularibus impertiri. Verum alia fuit mens Sacrae Congregationis Concilii etc.»

Item, ipsimet Ordines Regulares, qui privilegio concedendi suis subditis literas dimissorias fruuntur, durante triennio, quo perdurant vota simplicia ante solemnem Regularium professionem, ius non habent concedendi dimissorias literas, nisi ad effectum conferendi tonsuram et minores ordines, iuxta declarationem Sacrae Cong. super statu Reg. *diei* 12 *Iunii* 1858 *art. VII,* in qua legitur: « Superiores Regulares ad quos spectat, concedere poterunt hu» iusmodi professis literas dimissorias, dumtaxat ad primam ton» suram, et ad ordines minores, servatis tamen de iure servandis, » et praesertim quae circa Ordinationes Regularium ab Aposto» lica Sede praescripta sunt.»

Ex quibus sua sponte videbatur conclusio descendere; cum enim agatur de puncto iuris difficilis concessionis, ea po-

testas literas dimissorias concedendi, non potest facile praesumi, vel facile deduci ex aliquo generali privilegio, cuiusmodi est illud, quo Superiores Congregationis presbyterorum votorum simplicium, auctoritatem in alumnos exercent; neque ex eo quod Ordinarii, auctoritatem etiam habeant in illos alumnos, quos in propria dioecesi reperiri contingat.

Nihilominus non praetermittebatur observare, eiusmodi quaestionem altera vice, quoad similia Instituta, fuisse propositam videlicet in *Lugdunen. super App. stat. Sod. Cler. Par. Catech. s. Viatoris die* 21 *Septemb.* 1838, sub hoc dubio: « an concedi » debeat facultas, Rectoribus diversarum domorum, dandi dimis- » sorias pro Ordinibus, suis clericis.» Sacra autem Congregatio resolutionem distulit, consueta clausula *dilata;* nec dubium hoc videtur fuisse repropositum. Eadem vero die 21 Septem. 1838, alterum dubium huius generis propositum fuit in causa *Societ. Miseric. super facultate concedendi lit. dimis.* nempe: « an Supe- » riori Generali... concedi debeat facultas dandi literas dimisso- » rias.» Et Sacra Congregatio respondit: *affirmative pro alumnis qui in Congregatione iam cooptati sunt, vel in posterum cooptabuntur cum literis excorporationis Ordinariorum originis, et postquam vota iam emiserint: et reformentur preces, ita ut intelligatur salva Const. Bened. XIV.* Ex quo dilectus (1).

Nonnullis animadversis circa tertium dubium, gradus deinde fiebat ad quartum dubium, et pariter analogis declarationibus ostendebatur, alumnos per dimissionem, dispensationem, etc. ab Instituto exeuntes, iterum cadere sub auctoritatem prioris Ordinarii; maxime vero si Sacra Congregatio, ita priora dubia resolvisset, ut necessariae essent literae dimissoriae Episcopi originis, seu domicilii, pro alumnorum ordinatione. Declarationes vero analogae sunt eiusmodi. Archiepiscopus Mexicanus inter alia dubia proposuerat: « Si Novitii post emissa vota simplicia, aut dimittantur, a

(1) Hac Constitutione prohibetur Ordinariis quominus impediant suis clericis ne Religionem ingrediantur. Licet autem in ea agatur de Ordinibus Regularibus, tamen locum habet etiam in religiosis Institutis de quibus agimus. In his enim perfectior est vitae status, quam saecularis, ceu declaratum est a S. Congreg. Episc. et Reg. in *Pinerolien. Congr. obl. B. M. V. diei* 28 *Iulii* 1837 *ad II. dubium* Item in eadem Constitutione statuitur modus, quo Regularis amittit beneficia ecclesiastica per professionem etc.

» religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur; quid » cum eis agere debet Ordinarius, si, aut ad sacros ordines, aut » ad matrimonium forsitan aspirent?» Facta relatione huius postulati SS̃mo in audientia diei 20 Ianuarii 1860, SS̃mus mandavit ut ita responderetur: *si professi votorum simplicium, sive per dimissionem ab ordine, sive per Apostolicam dispensationem, ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet.* Alterum propositum fuit dubium ab Episcopo Melitensi, quod est eiusmodi: « Quid dicendum, si, pro- » fessi vota simplicia, postquam tonsuram, ordinesque minores » susceperint, ab Ordine dimittantur; erunt ne recipiendi in Cle- » rum saecularem, ita ut habitum clericalem gestent, et in su- » sceptis ordinibus ministrent, quamvis careant titulo substen- » tationis? » Ex audientia SS̃mi diei 20 Ianuarii 1860, responsum fuit: *affirmative in omnibus, nisi aliud iudicio Episcopi obstet: sed curandum esse, ut quamprimum fieri poterit, de praescripto titulo provideantur. Minime vero promoveri posse, nisi praescriptum titulum habeant.* Ex eiusmodi dubiis et responsionibus, licet agatur de iis qui vota simplicia emiserunt, in Ordinibus Regularibus, nihilominus si ad ordines minores provecti fuerint, et in iis permanere vel progredi velint, sub Ordinarii iurisdictione eosdem manere eruitur. Ordinarius autem de quo est sermo, non alius est, quam ille originis seu domicilii.

Hisce rationibus et altera adiungebatur, quam attulit Superior laudati Instituti, quam supra retulimus.

Dubia.

I. « An et quomodo Episcopus (A) ad sacram Ordinationem » admittere possit alumnos Instituti (B) ex fide Superioris do- » mus declarantis, eosdem alumnos adscriptos esse eidem domui; » vel potius necessariae sint literae dimissoriae et testimoniales » Episcopi originis, seu domicilii, iuxta formam Constitutionis » Innocentii XII. quae incipit: *Speculatores.*»

II. « An et quomodo idem dici debeat, quoad alumnos iam » promotos ad tonsuram, vel ad aliquem ordinem.»

III. « An et quomodo, haud obstante promissione obedien- » tiae Episcopo (A) facta in s. Ordinatione, liceat Superioribus

» Instituti (B) transferre eosdem alumnos in aliam provinciam, » quin venia a dicto Episcopo petatur.»

IV. « An in casu egressus ab Instituto per dimissionem, aut » dispensationem, iidem alumni subiiciantur iurisdictioni Episco- » pi dioecesis, in qua sita est domus cui adscripti sunt; vel po- » tius illi Episcopo cui subiecti erant priusquam Instituto ad- » scriberentur.»

Resolutio dubiorum. — Sacra Congregatio Episcop. et Reg. die 6 Maii 1864 respondere censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative in omnibus.*

Ad III. *Superiorem Provincialem posse libere uti facultate transferendi alumnos provinciae iuxta Constitutiones a S. Sede approbatas.*

Ad IV. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ex iis colliges:

I. Instituta religiosa votorum simplicium vindicare alia iura sibi non posse, praeter ea, quae specialiter concessa demonstrent.

II. Facultatem concedendi literas dimissorias ad ordines recipiendos, inter specialia privilegia recenseri, eamque facultatem erui non posse ex auctoritate, quam Superiores alicuius Instituti exercent in suos alumnos independenter ab Ordinario originis seu domicilii.

III. Neque locorum Ordinarios ex unico titulo auctoritatis quam exercere possunt super iisdem alumnis, posse eosdem ordinibus initiare, posthabita Constitutione Innocentii XII. *Speculatores.*

IV. Per obedientiam, quam alumni promittunt Episcopo ordinanti, laedi non posse iura Instituti, quae ex Apostolica auctoritate eidem Instituto competunt.

V. In casu egressus, quo deseritur Institutum, alumnos subiici illi Ordinario, cui subiecti erant, priusquam Institutum ipsum ingrederentur (1).

(1) Interdum a S. Congregatione exeunt rescripta vel indulta, in quibus, clausula reperitur, qua iniungitur eiusmodi alumnis ad ss. ordines provectis, ut benevolum Episcopum inveniant, qui eos recipiat tamquam subditos in sua dioecesi,

Die 18 *Septembris* 1862.

Decretum. — «Etsi per plura Decreta, praesertim vero sub diebus 12 Februarii, 7 Martii 1840, et 24 Augusti 1844 ab hac Sacra Congregatione, Indulgentiis Sacrisque Reliquiis, praeposita, satis superque provisum sit circa legitimam fidelium admissionem in sacri Scapularis Sodalitatem, declarando inter alia pro indulgentiarum ac privilegiorum acquisitione, *ut fideles ipsi in eamdem Sodalitatem ingredientes, habitum seu Scapulare ab habentibus facultatem benedictum legitime recipiant, ipsumque deferant continuo pendens a Collo, unaque sui parte pectus, et altera Scapulas contegens; et licet a Sacerdotibus facultatem habentibus non servetur forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum praescripta, rata habeatur adscriptio, dummodo praefati Sacerdotes non deficiant in substantialibus, nempe in Benedictione, et impositione habitus, ac in receptione in Confraternitatem:* plures tamen huiusmodi fidelium adscriptiones, invalidae, ac nullae prorsus inveniuntur, ita ut fideles Sacris Indulgentiis, ac privilegiis frustrentur ob habitus impositionem peractam a non habentibus facultatem, vel ob ipsum habitum diversa forma confectum. At vero, ne Christifideles eo modo in Sodalitatem adscripti ultro decipiantur, Sacerdos Iacobus Etehepare Missionarius Baiocensis Dioecesis, dubia huic Sacrae Congregationi enodanda proposuit, videlicet.»

I. «An pro valida admissione ad Confraternitatem B. Mariae Virginis de Carmelo, ceteraque omnia lucra, sufficiat *reliquis servatis* impositio habitus confecti duobus pannis in una eademque extremitate funiculorum positis, modo postea ad lucrum effectivum Indulgentiarum, privilegiorum etc. ipsemet admissus quilibet sibi imponat habitum rite confectum iuxta Decretum 12 Februarii 1840.»

eiusmodi clausula *oecŏnomice* apponi videtur ad evitandas difficultates quae oriri possent. Sed si fiat casus in quo benevolum Episcopum, Clericus non reperiat, ad hunc recipiendum tenetur Episcopus originis seu domicilii. Quicumque enim valor attribuatur literis, quae dantur, et dari debent, pro aggregatione ad aliquod Institutum, etiamsi dicantur *excorporationis*, cum tamen clericus non reperiat dioecesim cui adscribatur, consequens videtur, ut non possit a proprio Episcopo reiici.

II. « An admissiones huiusmodi, etiam bona fide hucusque factae sint invalidae, donec iterentur, vel a S. Sede in radice sanentur.» « Et quatenus affirmative.»

III. « An, ad praecavendas piorum perturbationes ac alia incommoda, ipsi Etehepare Presbytero Missionario liceat de tali sanatione pro tota Gallia quoad omne praeteritum Sanctitatem Suam obsecrare.»

« Itaque in Comitiis generalibus in Aede Vaticana die 11 Augusti 1862 habitis, Emi Patres, audito prius Consultoris Voto, respondendum esse duxerunt – Ad primum – *Negative* –. Ad Secundum – *Affirmative.* – Ad Tertium – *Non expedire, et supplicandum SSmo pro Sanatione omnium adscriptionum modo praedicto hucusque ubique factarum, et typis publicetur Decretum.*»

«Facta demum de his omnibus SS. DOMINO NOSTRO PIO PP. IX. fideli relatione in Audientia habita die 18 Septembris eiusdem anni per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum Resolutiones benigne confirmavit, ac insuper de Apostolica Sua benignitate omnes et singulas adscriptiones, modo praedicto hucusque non solum in Gallia, verum etiam ubique peractas, clementissime sanavit, et ut praefatae Resolutiones, et huiusmodi sanationis Gratia ab universis Christifidelibus facilius dignoscantur, hoc generale Decretum typis publicari mandavit.»

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 18 Septembris 1862.

F. Card. ASQUINIUS Praefectus.

Loco ✠ Signi.

A. Archip. PRINZIVALLI Substitutus.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Animadvertebat Consultor, admissiones illas ad Carmeli sodalitatem validas esse habendas, in quibus Sacerdotes facultatem habentes non defecerint in substantialibus, quae in rituali carmelitarum praescribuntur, ceu Sacra Congregatio declaravit die 24 Augusti 1844. Haec autem substantialia consistunt in *bene-*

dictione et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem (1).

Ad habitum porro quod attinet, observabat, Ordinis Carmelitici rituale exigere *Scapulare Carmeliticum*, sic dictum, quia est veluti Ordinis tessera; eiusdem materiam esse laneam, leucophaei, vel nigri coloris; eiusdem formam constare duabus partibus, ita, ut Scapulare a collo pendens, una sui parte pectus, altera, scapulas contegat, P. Gras. *Narrazione etc. c.* 8. Hoc ipsum firmavit S. C. decretis 12 Februarii 1840. (2) Et quidem

(1) Vide pag. 246 in nota. Cui adiungi potest alterum decretum diei 7 Martii 1840, quod est sequens. « Quidam parochus dioecesis Cameracensis facultatem habet imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo: quaerit a S. C. utrum sibimet illud possit imponere » S. C. respondit: *affirmative, quatenus haec facultas habeatur indiscriminatim, minime vero taxative, ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum etc.*

(2) In *Lemovicen* die 12 Februarii 1840 hoc habetur decretum. « Vicarius generalis dioecesis lemovicensis expostulat a S. C. solutionem dubiorum nempe:

I. « Color *taneus* (seu leucophaeus) » pro Scapularibus benedicendis, et im» ponendis fidelibus tam stricte nec ne, » iuxta regulas praescriptus est, ut di» versitas coloris admissionem in dictam » confraternitatem, nullam irritamque » reddat? »

II. « Huiusmodi coloris diversitas su» spendit ne saltem fruitionem indul» torum, et Indulgentiarum, quae ad» scriptis in dictam Confraternitatem, » et gestantibus Scapulare *tanei* coloris » sunt concessae? » S. C. auditis quoque Consultorum votis respondit; *negative quoad utrumque dubium, dummodo colori vulgo* tané *subrogetur tantum alter consimilis, seu niger.*

Item in una *incerti loci in Gallia* eodem die et anno S. C. proposita habetur. « Iacobus Parochus habens in Parochia sua Confraternitatem s. Scapularis docet fideles suos, ut plures ad illam Confraternitatem attrahat, nihil obstare pro quibuscumque etiam officium divinum non recitantibus, pro lucrandis indulgentiis, 1. Si abstinentiam in feria quarta non servent. 2. Nec si septem *pater* et *ave* in singulis diebus non recitent. 3. Si utrumque panniculum sancti habitus ex eadem parte pendentem et simul iunctum deferant. 4. Si eumdem s. habitum non supra pectus portent, sed ab humero transversim sub brachio quolibet. »

« Quaeritur de singulis utrum cum mente indulgentias concedentis concordent. » S. C. respondit: *posse fideles Confraternitati S. Scapularis adscriptos frui omnibus indulgentiis* generaliter *a Summis Pontificibus concessis utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem ingredientur, et habitum legitime receperint; licet nec servent abstinentiam a carnibus feria quarta, nec septies in die Orationem Dominicalem, et Angelicam Salutationem recitent; dummodo dicant orationes praescriptas, et peragant opera pia, a Summis Pontificibus in concessione earumdem iniuncta; inter quae illud locum habet, ut parvum scapulare deferant continue pendens, a collo, unaque sui parte pectus, et altera scapulas contegens.*

merito; nam Scapulare imponendum, illud esse debet, quo societas distinguitur et denominatur; quodque ipsamet Bm̃a Virgo Deipara designavit ut peculiare Symbolum electae Confraternitatis; et quo, ab enata Sodalitate ad praesentem usque diem, Carmelitae usi sunt in confratribus recipiendis. Si itaque habitus non praescripta forma, materia, et colore sit confectus, aliquid substantiale deesse censebat Consultor, proindeque adscriptionem nullitate laborare.

Hisce autem praehabitis, ad ea quae in primo dubio proponuntur observabat, habitum sic confectum, ut duo panni in uno funiculorum extremo sint positi, simul consuti ex parte superiori, vel sola fili traiectura coniuncti, non congruere cum iis, quae iam a S. C. decreta sunt, proindeque adscriptiones, hoc habitu novae indolis, peractas, utpote in substantialibus deficientes, irritas esse habendas.

Posita itaque hac dubii solutione, ad secundum quod attinet dubium, monebat Consultor, dictas receptiones non posse convalidari, nisi iteratione ritus, vel Apostolica auctoritate. Praeferebat autem primum convalidandi modum, utpote facilem, et legi consonum, quique etiam inserviret ad legem efficacius stabiliendam, non autem in casu expedire sanationem in radice. Observabat insuper s. m. Gregorium XVI. decreto 30 Aprilis 1832, sanationem impertitum esse pro admissionibus, in quibus fuerat omissa descriptio nominum sodalium in libro Confraternitatis, quae adscriptio alia est ex conditionibus, quae ad validam receptionem solent requiri. Ast vero, prosequebatur, illius dispensationis rationem aliam omnino esse ab ea, de qua in praesenti est sermo. Agebatur enim in illa de sanando vitio cadente circa legem secundariam, non admodum certam; quae ideo non impleta videbatur, quia rerum et locorum adiuncta eidem impedimento erat; eiusque defectui non alia poterat ratione occurri nisi sanatione.

Nec praetermittebat innuere, privatum hominem esse, qui eiusmodi sanationem postulabat pro tota Gallia, cuius preces, non sine detrimento aliquo Episcopalis auctoritatis, cui cura esse debet suarum ovium, exaudirentur. Quare submisse, opinabatur Consultor, praefatis dubiis respondendum esse, ad I negative. Ad II affirmative. Ad III non expedire.

APPENDIX XI.

CIRCA PERSONAE ERROREM IN MATRIMONIALI CONTRACTU INTERVENIENTEM, VEL QUALITATIS REQUISITAE SUB CONDITIONE POSITAE.

Referimus appendicem, quam conspiciendam indicavimus in antecedenti fasciculo in causa *Matrimonii* pag. 266.

Anno 1817 iudicata est a S. C. C. causa matrimonialis, in qua, inter caetera, contendebatur personae errorem intervenisse, vel qualitatis in personae errorem redundantis. Sequens erat quoad hanc partem facti species.

Sacerdos A., cognomine Seius, natione hispanus in Italia degens, nobilis et dives, in sua domo receperat virum italum cognomine Titii, eidemque permiserat ut cognomen Seii assumeret, imo et sui nepotis appellatione uti posset.

Hoc itaque cognomine sibi usurpato, quo videbatur Titius descendere ex nobili hispanica familia, matrimonium cum Berta contraxit, quamvis Sacerdos A., huic matrimonio resisteret, imo e sua domo Titium ob hanc causam dimiserit.

Non multo post contractas nuptias, Berta a Seio sive Titio discessit; decurso vero longo annorum intervallo, Berta a Curia petiit ut declararetur matrimonii illius nullitas. Defensor Bertae ex capite erroris personae in contractu intervenientis, ita disputabat: Berta censuit contrahere cum Seio, dum revera nupsit Titio. Adfuit itaque personae error; ergo nullum fuit matrimonium. Ad id confirmandum praeter plurium Doctorum auctoritates, allegabat Resolutionem S. C. C. in *Bononien.* 9 *Februarii* 1569 quam refert Cardinalis De Luca *disc.* 3 *de matr.* 2. (1).

Contendebat insuper Defensor, Bertam in hoc matrimonio contrahendo respexisse *directe* ad qualitatem personae, idest ad qualitatem *nepotis* Sacerdotis B., qui divitiis affluebat; non vero ad praesentem Titii personam. Etenim, prouti testes referebant, Berta a Titii persona abhorrebat, qui erat forma indecorus, et eidem nupsit ob suasiones et consilia privignae et amitae, quae Bertae consuluerant, ut oblatam fortunam arriperet, et ignota adhuc vitae commoda non respueret. Non ergo persona, sed qualitas movit assensum Bertae; et ideo, concludebat Defensor, errorem hunc qualitatis, in personae errorem redundare.

E contra matrimonii Defensor insistens huius coniugii validitati, aiebat, errorem nominis, licet ad personae errorem pertineat, attamen ex eo non infirmari matrimonium,

(1) Hic casus non recte allegabatur. In eo enim, vir nomen et personam alienam simulaverat, ut deciperet curiam, a qua, hoc modo, potuit obtinere facultatem contrahendi coram quolibet parocho, quae facultas ita extorta irrita erat.

*

quando constat de persona cum qua contrahitur. Hinc si quis desponsaverit mulierem *in propria persona*, et sub *nomine alieno*, pro coniugio praesumendum esse disponit *Cap. tua nos. De sponsal.* in quo legitur: «Cum » praefatus vir praedictam desponsaverit mulierem in propria persona, et sub nomine alieno, quo » tunc se vocari finxit, et inter eos » sit carnalis copula subsecuta, vi» detur forte pro coniugio praesumendum.»

Neque deceptam fuisse Bertam ex qualitate in errorem personae redundante, contendebat ex eo, quod Titius non erat mulieri ignotus, nec personam absentem simulaverat. Quare Berta consensum praestitit in personam sibi cognitam, et praesentem, *quam ipsa putabat* habere hanc qualitatem *nepotis* presbyteri hispani. Fuit itaque simplicis qualitatis error, qui matrimonium non infirmat.

Discussa autem hac causa in S. C. C., die 9 Augusti 1817, ad dubium: «an constet de nullitate » matrimonii in casu,» responsum fuit: *negative*.

Uti observas, etiam in praesenti facti specie, Berta contraxit cum Titio, quem putabat secumferre divitias, utpote nepotem presbyteri illius hispani, in quibus decepta fuit: non autem erravit circa qualitatem aliquam, directe intentam propter personam, quam haec intenta qualitas secumferret. Quare Berta non erravit circa qualitatem, quae in errorem personae refundatur. Caeterum cum agitur de errore personae, vel qualitatis in personam redundantis, qui error demonstrari contenditur ex praesupposita divitiarum affluentia, admodum difficile, casus dari posse videtur, in quo iudicandum sit eiusmodi qualitatis errorem, in errorem personae redundare. Quare ss. Canonum Expositores, pro regula habent, errorem circa divitias matrimonium non infirmare.

Altera huius generis habetur causa in S. C. C. agitata die 22 Septembris 1708, cuius compendiosa expositio ita legitur in S. Congregationis regestis.

« Inito matrimonio de mense » Aprilis 1706, inter Carolum Antonium Sanctarellum, et Caietanam Muschinam coram Parocho, » et testibus in Ecclesia Parochiali » S. Nicolai de Incoronatis, cuius » nullum adhuc documentum fuit » exhibitum, suborta fuit controversia super illius validitate, ex » eo quod persona viri, alia quam » esset, supposita fuisset mulieri. » Hinc devoluta illius cognitione ad » hanc S. C. auditus fuit Em. Urbis » Vicarius, cuius iussu subiecta iurato examini, in Conservatorio Clementiae, Caietana, haec recensuit; » quod nempe sibi fuerit ab initio » propositum dictum matrimonium » a proprio eius Genitore Praefecto » Domus DD. de Incoronatis, cum » eo supposito, quod praefatus Sponsus filius esset Guberuatoris Acu-

» muli, haberetque pecudes, et
» praedia multa, ac proinde ipsa
» Sponsa nunquam aliter in eum
» se consensuram, enixis, et reite-
» ratis protestationibus declaraverit,
» quam si vere propositis qualita-
» tibus foret is praeditus; sicque
» praeviis diligentiis habitis ab eo-
» dem Genitore super qualitatibus
» Caroli Sanctarelli, Medici in Urbe
» conditione, et facultatibus in-
» structi, cum tali praesupposito,
» fuerint stipulata Capitula Matri-
» monialia, ac subinde celebratum
» matrimonium in faciem Ecclesiae;
» quamvis vero in actu eius cele-
» brationis, absque ulla conditione
» consensum praestiterit, in corde
» tamen, eadem subdit, huiusmodi
» consensum dedisse, sub ea con-
» ditione, quod Sponsus vere esset
» praeconceptis qualitatibus decora-
» tus, quodque, prae timore Patris
» extra modum urgentis pro matri-
» monii effectuatione, id palam non
» explicuerit, etsi proprio Parocho
» in actu explorationis voluntatis,
» aliisque personis hanc suam con-
» ditionatam intentionem saepius
» patefecerit, ac fuerit protestata;
» quodque deinde consummato ma-
» trimonio in domo Patris ipsius
» mulieris, eaque praegnante red-
» dita, post mensem circiter, de-
» tectum fuerit, quod Carolus An-
» tonius minime esset filius Guber-
» natoris Acumuli, sed ex quodam
» Victorio Interaneorum venditore
» progenitus, fortunae bonis desti-
» tutus, proptereaque eiectus fuit e
» praefata domo, et coacta fuerit
» ipsa Caietana invita ad quandam
» domum a viro conductam sese
» transferre, exindeque paucis post
» diebus, ad domum Genitoris eius-
» dem viri perduci, quo tempore,
» Carolo Antonio extra Urbem ab-
» eunti, ipsa Sponsa ad pacandas
» personas mox dictae domus, ne
» in suspicionem fugae ab ea inten-
» tam, adducerentur, Epistolam
» maritali amore conspersam con-
» scripserit, indeque post tres dies
» aufugerit, et ad mansiones paternas
» in aedibus DD. de Incoronatis re-
» meaverit, a qua traducta subinde
» ad d. Conservatorium de Clemen-
» tia, paulo post easdem paternas
» mansiones repetierit; quodque
» inter haec consultus P. Alfarus
» Theologus S. Poenitentiariae, pro
» matrimonii nullitate responderit,
» nec non quod Caietana non te-
» neretur illud ratificare; quapropter
» suasi iidem sponsi Coniugium
» ipsum reconvalidare, de mense
» Iunii praelibati anni, ambo sese
» exhibuerint coram praememorato
» Parocho, ad cuius interrogatio-
» nem pro acceptatione Caietanae,
» Carolus Antonius affirmativum red-
» diderit responsum, sed e converso
» Caietana ad consimilem interro-
» gationem, tenaciter in negativa
» perstiterit, ut latius ex eiusdem
» depositione in Summario danda.
» Ipse vero Eminentissimus Vicarius
» tam circa praefatam depositionem
» Sponsae, quam circa binas depo-
» sitiones iuratas duorum Correli-

» giosorum Ordinis Reformatorum » S. Francisci testificantium de supra » allata Sponsae voluntate condi- » tionata ante matrimonium con- » tractum, nonnulla excitat motiva; » inverosimile nempe sibi videri pu- » tat, quod Caietana ante matrimonii » celebrationem tam enixas prote- » stationes de persona futuri Sponsi » peregerit, quas tamen Parocho » exploranti eius voluntatem nulli- » mode aperuit, quemadmodum in » libertate posita bene poterat, uti » constare, subdit, ex Parochi testi- » monio; cuius tamen non apparet » examen, nec attestatio; quodque » detecto praetenso errore, adhuc » eadem cum Sponso cohabitaverit, » et cum eo sese immiscuerit: quod » insuper nulla sit ratio habenda » consultationis Theologi S. Poeni- » tentiariae, qui haud servatis ser- » vandis, sed iuxta casus proposi- » tionem, consilium praebuerit, » multoque minus attendenda Con- » trahentium dicta, et procurata » Coniugii ratificatio post illud con- » tractum, et consummatum, eo » quod in hoc sit spectandum ini- » tium, seu tempus celebrati con- » tractus, prout fusius in eadem » relatione, una cum depositione » Sponsae, aliorumque testium in » Summario per extensum danda » patebit; Verum E. S. votum » suum expresse pandere omittit. » Non dedignentur itaque EE. PP. » attentis his, et aliis, quae hinc » inde adducentur, resolvere du- » bium. »

« An constet de validitate ma- » trimonii, in casu. »

Sacra Congregatio Concilii, causa discussa die 17 Novembris 1708, censuit respondere: *affirmative et amplius*.

In hoc, eiusmodi causa singularis est, quod mulier saltem coram duobus correligiosis, antequam matrimonium contraheret, patefecerat, se, in matrimonium illud consentire cum intentione conditionata, si nempe sponsus esset praedictis qualitatibus decoratus. Propter huiusmodi rationem, praestat heic exponere illustrium Auctorum contentionem circa matrimonii validitatem sic contracti.

Auctores enim sibi hunc casum proponunt: Caius contraxit matrimonium cum Berta, nulla conditione apposita, sed quia paullo ante dixerat, audientibus multis, se ducturum in uxorem Bertam, si haec haberet in dotem, aureorum decem millia, alias repudiaturum, seu eam non ducturum; post initum matrimonium, quia Caius notitiam habuit, Bertam nihil possidere, eam non cognovit: quaerit sibi Pignatellius *Consult.* 136 *per tot. tom.* 9, item De Angel de *confess. tom.* 2, *quaest.* 44 *per tot.*, nec non Pitonius *Discept. ecclesias.* 52, *n.* 36, *votum.* 2, an huiusmodi matrimonium sit validum. Pignatellius, et De Angel, casum resolvunt pro matrimonii nullitate; e contra Pitonius, licet hanc sententiam appellet verissimam in puncto iuris, nihilominus inspecta forma

inducta a Concilio Tridentino, pro matrimonii celebratione, putat standum esse in foro externo pro matrimonii validitate.

Haec est per summa capita eorum disputatio.

Pignatellius hanc quaestionem ex professo pertractans, initio indicat rationes, quae pro matrimonii validitate militare videntur hisce verbis : « Videtur esse » validum : 1. quia conditio ante » matrimonium apposita, non fuit » reducta in scriptis, neque signi- » ficata in contractu per notarium » stipulato. 2. Quia coram Parocho » et testibus Caius pure contraxit, » et potuit conditionis appositae » poenitere, quo casu, matrimonium » validum est. 3. Quia videtur Caius » recessisse a conditione, dum eam » non repetit coram Parocho et te- » stibus, quemadmodum oportebat » post decretum Concilii Tridentini, » et verba quae protulit in facie Ec- » clesiae important consensum sim- » plicem et absolutum, sine ulla » adiunctione. 4. Quia in dubiis, » standum est pro matrimonii vali- » ditate *cap. fin. de sent. et re* » *iud.* »

Haec itaque sibi laudatus Auctor opponens, deinde totis viribus, omni argumentorum genere propugnat contrariam sententiam. Argumenta vero quae exponit, ad haec reducuntur: 1. Voluntas Caii tam expresse declarata praesumitur permansisse, nec praesumitur facta confestim mutatio, ita ut Caius remiserit conditionem, quae menti suae penitus inhaerebat. 2. Nulla ratio apparet discedendi ab eo consilio, quod plane honestum ipsi erat, et a quo non sine gravi incommodo discessisset, et ex accedentibus, et consequentibus matrimonii contractum, satis colligitur, medio tempore, eiusdem mentis fuisse. Defuit itaque matrimonialis consensus. 3. Caius non consensit in mulierem nisi ut cognitam, et apprehensam cum tali qualitate, proinde, hac deficiente, nullus est consensus. 4. Pontius *lib.* 4 *de matr. c.* 21 hunc casum exponit: mulier quaedam ante Titium saepe protestata fuerat se malle mori, quam matrimonium inire cum Titio, si is Iudaeorum sanguine progenitus esset; et *n.* 13 idem Pontius narrat, se obtinuisse, ut, per sententiam iudicis declararetur nullum tale matrimonium, cui sententiae subscripsere quam plures Salmaticenses etc., quo allato exemplo, Pignatellius contendit idem dici debere de casu a se proposito. 5. Hanc sententiam confirmat analogia aliorum casuum qui respiciunt matrimonium contractum ex metu, vel animo decipiendi, qui metus et deceptio in ipsa matrimonii celebratione non appareat; probato enim postea metu, vel deceptione, eo fere modo, quo in casu praesenti probaretur conditio apposita, matrimonium declaratur nullum, prout sentiunt allegati ab eo theologi. Adiungit etiam casum de eo, qui agit contra suam professionem, ex coactione vel fictione,

emissa, quibus probatis, professio postea nulla declaratur.

Hisce omnibus expositis et auctoritate maxime theologorum roboratis, reiicit rationes ab initio indicatas, militantes pro matrimonii validitate. Reiicit nempe primam rationem, tum quia nullo iure probatur, eas conditiones debuisse scribi; tum quia scripturae, ad solemnitatem tantum, adhibentur. Reiicit alteram, quia, donec non probetur consensum illum conditionatum, non fuisse revocatum, praesumitur mansisse usque ad actum matrimonii; et sufficit ut virtualiter ille consensus conditionatus perseveret, quemadmodum pro validitate sacramentorum sufficit consensus virtualis. Quae doctrina maiorem vim habet in praesenti casu; quia supponitur, Caium, una ante contractum hora, protestatum fuisse adversus matrimonium, si Berta non haberet in suis bonis illam pecuniae summam. Contractus enim et consensus qui sequuntur protestationem post horam, dici possunt illico sequi. Nam in iure dicitur illico aliquid fieri, quod intra triduum fit, *L. fin. Cod. de err.* etc. ex his sequitur etiam responsio ad tertiam oppositam rationem. Reiicit denique quartam, aiendo cum Sanchez *lib.* 3 *De matrim. disp.* 15, *n.* 7, regulam illam fallere, in casu magnae disparitatis, prouti contingeret in casu praesenti, in quo Berta reperta est illis divitiis penitus destituta.

Econtra Pitonius licet non absolute impugnet hanc Pignatellii sententiam, tamen inspecta nova forma a Concilio Tridentino inducta, existimat, saltem in foro externo, illam antecedentem protestationem attendi non debere. Ratio praecipua cui insistit variis expressa modis, haec est: talis censeri debet matrimonialis consensus, qualis per verba exprimitur in facie Ecclesiae coram Parocho et testibus. Protestatio enim, vel pacta, quae a contrahentibus fiunt, ante huiusmodi solemnem celebrationem, considerari debent uti non facta, si in actu talis celebrationis non exprimantur, et dicuntur non adesse in rerum natura; ideoque quidquid in facie Ecclesiae non fuit expressum, censetur omissum, ita, ut etiamsi per momentum ante matrimonium, contrahentes secum convenirent sub conditione, censeri debeant ab ea recessisse in actu matrimonii, eo ipso, quo coram Parocho et testibus consensum purum patefecerunt. Et affert auctoritatem Glossae in *Cap. Tua nos. De Sponsal. in verb. Mulierem* in qua legitur.— Et si dicat quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur.— Idem vero auctor *n.* 44 *loc. cit.* hisce verbis prosequitur: « Neque ego percipere » possum quod matrimonium, ut » est sacramentum, quod iuxta Tri- » dentinum est celebrandum in facie » Ecclesiae, possit esse nullum ex » conditionibus, et pactis praece- » dentibus inter partes conventus, » quando ista pacta non expressa in

» facie Ecclesiae, dicuntur non esse » de hoc mundo, et quidquid non » audivit Parochus, et testes, nun- » quam attendi debet in foro externo, » sed perinde reputatur, ac intentio » secreta in animo retenta ; quae » iuvat in foro interno, non externo; » dum enim probatio illius condi- » tionis praecedentis, non est in » facie Ecclesiae, utique habetur » pro secreta, et clandestina in foro » externo, iuxta novam formam » Tridentini, quidquid secus, quoad » ius antiquum Sacrorum Cano- » num. »

Hanc rationem confirmat ex absurdis, quae contra mentem Conc. Trid. sequi facile possent, hoc modo. « Rursus, quia alias sequeretur ab- » surdum clarum ; quod sub pallio » matrimonii possent iniri concu- » binatus, queis sacrum Concilium » obviare voluit. Etenim figuremus » casum, quod Titius captus amore » Semproniae, ut eam sine matri- » monio habeat ad sui libitum, con- » veniant inter se, quod, quidquid » faciant et dicent, non facient ani- » mo contrahendi matrimonium, » idque constet duobus testibus con- » fidentibus, et amicis partium ; » ecce, quod contrahendo pure in » facie Ecclesiae, possent deinde vi- » vere in concubinatu libere, et tute, » et postea alter ex illis posset re- » cedere et allegare nullitatem ma- » trimonii etc. »

Graviores videntur eiusmodi rationes, illis, quas affert Pignatellius, et propter eiusmodi rationes, videtur etiam, ea sententia Auctorum inducta, quae docet in foro saltem externo (1), standum esse pro matrimonii validitate, nisi conditio expressa fuerit in ipsa matrimonii celebratione. Quid autem censuerit S. Congregatio Concilii circa eiusmodi antecedentes animi manifestationes, coniici posse videtur, tum ex superiori causa, in qua omnes Emi Patres in unam convenerunt sententiam pro matrimonii validitate, prouti dignoscitur ex clausula *et amplius*, tum etiam ex eo quod exposuimus in altera, licet diversi generis, causa pag. 334 in nota.

(1) Dixi in foro *saltem* externo, quia etiam in foro interno, non videtur tam facile iudicandum pro matrimonii nullitate in his adiunctis. Ceterum cum de foro interno agitur deferendum est Theologis, prouti animadvertit eximius Cardinalis De Luca *disc.* 3 *de matrim.* 2 et Theologorum auctoritati sententia Pignatellii maxime innititur.

APPENDIX XII.

CIRCA TESTAMENTUM QUOD RUMPITUR PER SIMPLICEM DECLARATIONEM POST DECENNIUM.

Ad maiorem intelligentiam et confirmationem eorum iurium, quae pro adstruenda vel reiicienda ruptione testamenti allegabant utrimque Defensores in Causa *super ruptione testamenti et commutatione voluntatis*, non iniucundum humanissimis Lectoribus nostris fore ducimus, si super eo argumenta nonnulla, quae sequuntur, paullo fusius adiicere non omittamus. Ante omnia necessarium arbitramur totum praeponere textum in *L. Sancinus* 27 *Cod. De Testam.*, quae ipsum Iustinianum Imperatorem auctorem habet - *Sancimus* (ita ibi) *si quis legitimo modo condidit testamentum, et post eius confectionem decennium profluxerit, siquidem nulla innovatio, vel contraria testatoris voluntas apparuerit, hoc esse firmum. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? Quemadmodum enim qui testamentum fecit, et nihil voluit contrarium intestatus efficitur? Sin autem in medio tempore contraria testatoris voluntas ostenditur, siquidem perfectissima est secundi testamenti confectio, ipso iure prius tollitur testamentum. Sin autem testator tantummodo dixerit, non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, et hoc vel per tres testes idoneos non minus tribus, vel intra acta manifestaverit, et decennium fuerit emensum, tunc irritum est testamentum ex contraria voluntate , quam ex causa temporis.*

Quod ad rem nostram pertinet, quaestio institui potest, an numerus testium non minus tribus pro solemni forma requiratur, quomodo ex. gr. evenit de septenario testium numero, qui in testamentorum confectione praescribitur, an solummodo pro probatione, videlicet ut concludenter ostendatur testatorem primam innovasse voluntatem, eamque amplius stare noluisse. Negativam primae quaestionis parti, affirmativam secundae reddendam esse nemo certe dissentiet; Imperator enim poenam nullitatis actus legi *Sancimus* non adiunxit, ac praeterea nihil aliud servandum praecepit praeter merum trium idoneorum testium adhibendorum numerum. Huic rei adstipulantur communiter legum civilium interpretes, quos inter Cuiacium seligimus, qui *T. VI. pag.* 911 ita tradit « Sunt duo tantum in quibus » perfectum, secundo imperfecto, » rumpitur... Sunt autem duo alii, » qui ab interpretibus afferuntur. » Unus ex lege Sancimus *Cod. De* » *Testam.* Verum, nego ibi casum,

» proponi, quo perfectum testa-
» mentum imperfecto rumpatur,
» sed datur tantum casus, quo, nuda
» voluntas infirmat testamentum,
» quod iure perfectum est. Scien-
» dum enim est, iure antiquo decen-
» nio testamenta finiri; nam si te-
» stator supervixisset decennio post
» factum testamentum, rumpebatur
» testamentum; itaque erat decennio
» renovandum, ut maior esset fides
» et voluntas, sed abrogatur in illa
» lege *Sancimus*, ubi constituitur,
» ut testamenta decennio non in-
» firmentur, nisi testator dixerit co-
» ram tribus testibus id testamen-
» tum non valere. Ergo dices: nuda
» voluntas testamentum infirmat,
» quod est contra regulas iuris:
» sed hoc fit, quia concurrit spa-
» tium decennii, idest praescriptio:
» itaque decennio testamentum in-
» firmatur, si concurrat manifesta
» voluntas testatoris, non autem
» infirmatur nuda voluntate, nisi
» decennium excesserit ».

Idipsum brevius tradunt tum Donnellus *Tom.* 9 *pag.* 99, tum Voetius ad *Pand. Lib.* 28 *tit.* 5 *n.* 1 Concinit Card. De Luca cum pluries, tum praesertim *Disc.* 88 *n.* 3 *et seq. de Testam.*, nec non S. Rota in *Senogallien. seu Nullius S. Laurentii in Campo Manutent. super reserv.* 11 *Iunii* 1759 *coram Paraeciano* §. 10, *et in Confirmatoria* 1 *Februar. coram Cunolline*, itemque in alia confirmatoria *Decis.* 237 *coram Olivatio* §. 20. Quibus in locis illud insuper traditur, prius testamentum infringi, dummodo ex legitimo documento constet, quod testator indubitate declaraverit, ipsum amplius in suo robore manere nolle; idque suadetur, etiamsi lapsus decennii non accedat; hoc tamen (nimirum habito respectu legis *Sancimus*) per quam caute admittendum putaremus; eaque tantummodo de causa adnotare voluimus, ut magis magisque liqueat, trium testium numerum non ad solemnitatem, sed ad solam probationem sufficere, adeoque nudam etiam voluntatem, trium testium fide confirmatam, parem gignere effectum, ut prius testamentum prorsus evertat ac frangat.

Quamvis autem nulla, stricte ac proprie loquendo, in *L. Sancimus*, solemnitatis forma a Iustiniano praefixa fuerit, ut prius testamentum contraria voluntate et lapsu decem annorum revocari possit, nihilominus negari non potest, quod probatio per tres testes, quae ad hunc finem requiritur, debeat esse legitima, idest talis, cui iuxta leges plena in iudicio fides accommodetur, quae profecto forma minus solemnis appellari potest. Id enim primo deducitur ex eo, quod testes *idonei* esse debeant, qua idoneitate si careant, neque legitimam in iure probationem efficient, neque apud Iudices quidquam concludere poterunt. Sunt qui putant, huiusmodi testimonium perhibere non posse foeminas, impuberes, aliosque testimonium ferendi facultate a lege prohibitos, argumento sumpto a textu

in §. 6 *Tit. De Testam. ord. Instit.*, sunt etiam qui contendant eosdem debere esse *rogatos* iuxta *L.* 21 §. *pen. Dig. de Testam.*, quibus adstipulatur S. Rota in *Bononien. Nullit. Testam.* 7 *Maj.* 1845 *coram Muzzarelli* §. 9 necnon et in *confirmatoria* 4 *Junii* 1847 *coram de Magno* §. 7 ac denique in *alia confirmatoria* 18 *Febr.* 1848 §. 4. Quidquid vero de hac sententia sit, illud solummodo tamquam certum constitui posse videtur, non quoslibet testes esse admittendos, sed eos tantum, qui ad fidem de facta mutatae voluntatis manifestatione faciendam in iudicio idonei habeantur et sint. Uno verbo, huiusmodi testes omni debent exceptione carere, tum ex parte scientiae rei, de qua testantur, tum ex parte veracitatis ac fidei, quam ipsi merentur, prouti insinuat S. Rota Romana *Dec.* 4 *n.* 10 *et* 11 *p.* 13 *Decis.* 196 *n.* 15. *Dec.* 92 *n.* 2 *Part.* 13 *Recent.*

Deinde animadvertendum est, posito decennio, testamentum revocari posse cum per testes tres, ita etiam per insinuationem in acta Principis. Iam vero insinuatio in acta Principis, actus est legitimus et formam minus solemnem quodammodo per se inducens; cum itaque duo haec remedia eiusdem valoris esse debeant, quippe quae ambo ad eumdem effectum pariendum comparata, sequitur, ut trium testium adhibitio formam minus solemnem importare dicenda sit eadem ratione, ac de insinuatione in acta Principis accidere dicimus. Huic assertioni nostrae auctoritatem addit Peretius *ad Cod. lib. tit.* 22 *de Testam. n.* 21. « Sic evanescit (testamentum) lapsu temporis et nuda » voluntate, quam inter acta magistratus expressit, vel coram testibus idoneis non minus tribus, » ex qua Iustiniani Constitutione, » fit, ut neque lapsus decennii » sine contraria voluntate, neque » contraria voluntas sine decennii » lapsu testamentum infirmet. Itaque duo ista concurrere debent » ad antiquandum testamentum, decennii lapsus, et contraria voluntatis declaratio, licet non sit solemnis. » Idem fere tradit Marta in *Summ. de Success. legal. p.* 4 *quaes.* 4 *art.* 2 *n.* 22, qui testamenti ruptionem in vim legis *Sancimus* « revocationem testamenti verbalem » minus solemnem » appellare non dubitat.

Ex iis, quae modo statuimus, duo consectaria deducimus, primum est, ut revocatio prioris testamenti fiat per actum deliberatum non autem perfunctorie et in transitu, Rota *Decis.* 166 *n.* 84 *Part.* 8 *Recent.* Requiritur enim contraria testatoris voluntas ex proposito, et animo revocandi testamentum. Neque dicitur testamentum revocatum ex verbis a Testatore prolatis sine animo deliberato disponendi *Decis.* 96 *n.* 36 *p.* 8 *Recent.* Namque voluntas immutandae voluntatis (veluti docet eadem Rota *Decis.* 163

n. 66 *Part.* 8 *Recent.*) *et plene et concludenter debet constare per verba revocatoria clara ac rotunda, cum ratione expressa vel tacita, quod* (testator) *voluerit decedere ab intestato, ut revocatio sustineatur ac suffragetur.*

Alterum, quod ex praemissis derivamus, corollarium, eo dirigitur, ut actus mutatae voluntatis non sit imperfectus, et mere inchoatus, sed perfectus, ac ad terminum adductus. Etenim primo in casu locum non habet prioris testamenti revocatio, bene vero in secundo : quod enim imperfectum est uti nullum haberi debet ; et quod nullum est, nullum parit effectum, ceu commune fert adagium. Exemplo sit dispositio ad causas pias, quae, veluti omnes norunt, valida est quomodocumque constet, etiamsi solemnitates a iure praescriptae nulla omnino ex parte servatae fuerint. Quod si demonstretur, eum, qui piam dispositionem peregisse dictitetur, eam peragere quidem voluisse, sed actu nequaquam complevisse, quacumque demum ex causa id acciderit, pia dispositio corruit, haud certe propter defectum solemnitatum, sed ob defectum voluntatis illius, qui suum propositum ad completum actum non adduxit.

Ratio huiusmodi, quam instituimus, paritatis, eo maioris momenti est habenda, quia robur ac vim omnem accipit ex doctrina S. Rotae in citata *Decis.* 92 *n.* 5 *Par.* 13 *Rec.* ubi nimirum agebatur de praetensa revocatione prioris testamenti ob contrariam declarationem, quae a testatore emissa fuisse dicebatur. Hanc enim, monebat Rota, nil aliud probare « nisi quamdam » velleitatem et indeterminatam pro» positionem revocandi dictum te» stamentum, quae ad hunc effectum » non sufficit, sed opus est, quod » serio et in secundo ad revocatio» nem procedat aliud testamentum » condendo ; vel declarando se ab » intestato decedere velle, alias prius » testamentum in suo robore per» manet. » Et paulo post *n.* 6. « Se» cundo quia semper obstat defectus » voluntatis : non enim Carolus *(te» stator)* reliquit, sed ad relinquen» dum se praeparabat, et testes di» cunt, quid volebat relinquere, » unde voluntas in fieri, non in » facto deducta, non potest appel» lari testamentum, nec etiam fa» vore piae causae sustineri. » Idem edicitur in *Bononien. Nullitat. Test.* 4 *Iunii* 1847. *coram Muzzarelli* §. 7. Consuli etiam potest Gratianus *Discept. Forens. cap.* 558 *n.* 1 *et seq. et cap.* 763 *n.* 7 *et seq.*

APPENDIX XIII.

CIRCA PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE.

Iam adnotavimus in Appendice VI pag. 126, cuilibet fas esse, vel per se vel per alios ad Apostolicam Poenitentiariam confugere, quin peculiares Agentes requirantur; insuper adnotavimus, huius tribunalis rescripta gratis expediri et neminem officialium posse remunerationem aliquam recipere, etiamsi ageretur de peculiari, et extraordinario labore. Et haec est ratio cur omnibus rescriptis apponatur, seu inscribatur *gratis*. Quare illi omnes qui per Agentes supplicant, quidquid pecuniae solvant, in suorum agentium beneficium cedit.

Attamen cum agitur de rescriptis, quae respiciunt matrimonialia impedimenta *fori externi*, solvi solet parva quaedam taxa, quae a S. Tribunali remitti debet ad officium Apostolicae Datariae.

Si quaeras cur eiusmodi taxa remitti debeat ad Apostolicam Datariam, ratio haec est. Matrimoniales dispensationes, quae ad forum externum pertinent, obtinentur, per Apostolicam Datariam, et solummodo ex speciali concessione facultas facta est S. Poenitentiariae, ut per ipsam, istae obtineri possint dispensationes, dummodo tamen supplicantes pauperes sint; et hoc, ideo factum est, ut ulteriores et graviores expensae evitarentur, quas pauperes sustinere non possent. Quare necesse est ut pauperes supplicantes, ad S. Poenitentiariam pro eiusmodi dispensationibus fori externi obtinendis, exhibeant fidem proprii Ordinarii, qui veram paupertatem testetur.

Taxa autem quae solet communiter imponi est sequens. In gradibus minoribus; videlicet in impedimento tertii, et quarti gradus, et cognationis spiritualis, nec non in impedimentis criminis, et affinitatis ex copula illicita, solvi debent tria romana scutata. In impedimentis secundi, et secundi-tertii, scutata quinque vel sex. In impedimentis primi gradus, et primi-secundi, scutata sex, aut septem, vel etiam octo secundum specialia adiuncta.

Eiusmodi taxae constanter adnotantur in ipso rescripti contextu hisce verbis: *solutis iam in Apostolica Dataria scutatis...monetae romanae*. Quidquid autem ultra agentibus solvatur, illud, cedit in ipsorum Agentium utilitatem.

Et heic abs re non erit, indicare quid discrete possit ab Agentibus exigi. Sacra Poenitentiaria, nunquam mercedem, seu remunerationem pro his determinavit; scimus tamen, praxi inspecta, unum circiter scutatum, nimirum quinque

francs posse ab Agentibus exigi, pro eiusmodi dispensationis rescriptis. Labor qui ab iisdem impenditur gravis non est: reducitur enim ad scribendas preces, concinnandas super Ordinarii fide, easque duplicandas, et S. Tribunali porrigendas; hisce peractis redire debent ad tribunal ad rescriptum recipiendum, soluta taxa respectiva. Praetereundum tamen non est, quod, cum de dispensationibus in gradibus maioribus agitur, istae saepe non conceduntur nisi post exquisitas, et repetitas Ordinarii informationes, hinc labor augetur, nec non literarum expensae; proindeque tenuis nimis redderetur summa indicata. Et e contra Agentes ius habent ad expensas quas faciunt in literis recipiendis, et mittendis, quae interdum graves fiunt: hinc pro ratione negotii, prudentiae remittitur supplicantium, remunerationis maioris vel minoris solutio. Adverti nihilominus debet, eos non posse exigere taxas, quae statutae sunt pro Apostolicae Datariae Agentibus. Illud enim ius quod iisdem tribuit Dataria, non tribuit S. Poenitentiaria, quae sollicita est de pauperum negotiis; exigere proinde non possunt nisi ratione praestiti officii congruam remunerationem, ac preterea nihil.

Haec duximus adnotanda, quia non desunt nonnulli, qui sese intromittentes in huiusmodi agendi munere, tamquam si ab ipsis, gratia obtinenda vel obtenta repeti debeat (qui persaepe nihil aliud agunt quam paucas lineas, quocumque modo scribere, vel literas receptas et sigillo munitas S. Tribunali porrigere) abusive omnino, et in Romanae Curiae dedecus, multo plus quam ratio praestiti officii postulet, non sine inverecunda deceptione, petulanter exigunt et extorquent(1).

Eo itaque redeuntes unde discessimus; S. Tribunal, si agatur de miserabilibus personis, quae neque praescriptas tenues taxas solvere possint, facta ab Ordinario de tali egestate fide, quae Ordinarii ipsius conscientiae innititur, dispensationes eiusmodi expedit, sine ulla praescriptae taxae solutione. In hac autem fide facienda circumspecti esse debent Ordinarii prouti facile intelligitur. Praesertim cum eiusmodi taxae iustissimis de causis inductae, quae in Apostolica Dataria nomine *componendae*, seu *compositionis* appellantur, sub dispositione sunt Romani Pontificis. Omnes autem norunt quot dispendiis et oneribus Sancta Sedes subiiciatur (2).

(1) Eiusmodi homines, qui talia vel similia agunt aut non cogitant, aut spernunt, graves poenas quae sancitae extant in variis Romanorum Pontificum Constitutionibus, quae referuntur etiam a Pyrrho Corrado *Praxis dispensat. Apost. l.* 2 *c.* 8 *et l.* 8 *c.* 10 *sub fine.*

(2) Pyrrhus Corradus in *Praxi dispensationum apost. l.* 8 *c.* 5 *n.* 33 haec ait: Nec de ista receptione, seu solutione compositionis mirandum est, sicut miratur

Haec quidem quae de taxis diximus respiciunt dispensationes matrimoniales, quatenus ad externum forum pertinent; at si sermo sit de aliis gratiis, quae per S. Poenitentiariam obtinentur, cuiusmodi sunt facultates extraordinariae, absolutiones, indulta, prorogationes facultatum etc. etc., omnia rescripta, gratis expediuntur, et Agentes paucis iuliis pro ratione praestiti officii contenti esse debent.

» Staphilaeus *de literis gratiae*, quem refert Rebuff. in sua *praxi beneficiaria in* » *regula de dispen. in gradu prohib. n.* 15 ubi dicit, quod miratur ipse Saphilaeus, » quomodo Papa recipiat, pro ista dispensatione, compositionem; nam aut est iusta » causa dispensandi, et tunc dispensare debet; si vero non adest causa, dispen- » sationem abiicere debet. Huic enim admirationi satisfacit idem Rebuff., *ibidem* » *n.* 15, dicens, quod desinet mirari idem Staphilaeus, si consideret quam multi » dispensationes huiusmodi impetrarent, si gratis concederentur, qui saltem im- » pensarum timore deterriti, non audent, et alioquin semper infestarent aures » Pontificis petendo secum dispensari, daretur materia delinquendi contra *l. con-* » *venire ff. de pact. dotal.*» Adiungit insuper laudatus Auctor aliam gravem rationem, quam memorat etiam Garcias *de benef. p.* 8 *c.* 2 *n.* 101, nempe, « propter » necessitates et onera Papae et Sedis Apostolicae, praesertim vero pro propaganda » tuendaque fide Apostolica, pro qua quanta, qualiaque sint eiusdem sedis onera, » vix exprimi possunt etiam ab iis qui ea ex professo experiuntur.» Inter eiusmodi onera, recensere debes Officiales permultos, qui ex taxis praescriptis, remunerationem pro suis officiis recipiunt.

IMPRIMATUR
Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

ELECTIONES PONTIFICIAE.

SSmus Dominus noster Pius Papa ix.
in Consistorio Secreto die VIII. Ianuarii 1866 *habito sequentes Ecclesias proposuit, ac designavit:*

Ecclesiam Patriarchalem Constantinopolitanam *in partibus infidelium* - Praesuli Ruggero Aloisio Aemygdio de Marchionibus Anticiis, et de Principibus Matthaeiis - Ducibus Iovis, Sacerdoti et Patritio romano, Canonico Decano, primam dignitatem habenti in Capitulo Patriarchalis Basilicae Vaticanae, Praesuli domestico Pontificis, Prothonotario Apostolico Supranumerario, et a Secretis S. Congregationis Consistorialis et Sacri Collegii.

Ecclesias Metropolitanas unitas Gnesnensem et Posnaniens. in Prussia Praesuli Miecislao Ledochowskio, Nuntio Apostolico Bruxellis, translato ex Eccclesia Archiepiscopali Thebarum *in partibus Infidelium.*

Ecclesiam Metropolitanam Granatensem in Hispania Praesuli Benvenuto Monzon y Martin, translato ex Sede Metropolitana S. Dominici.

Ecclesiam Metropolitanam Coloniensem in Prussia Praesuli Paulo Melchers, promoto e Sede Cathedrali Osnabrugensi.

Ecclesiam Cathedralem Concordiensem in Veneta ditione Reverendo Domino Nicolao de Comitibus Frangipane, Sacerdoti Utinensi, Praeposito illius urbis Capituli Metropolitani, Vicario generali eiusdem urbis et Archidioeceseos, Examinatori Prosynodali, et Consiliario ibidem Tribunalis pro causis Matrimonialibus.

Ecclesiam Cathedralem Litomericiensem in Boemia Praesuli Augustino Wahalae, Sacerdoti Archidioecesano Olomucensi, Parocho Decano-Archipresbytero Muglitz eiusdem Archidioeceseos, Camerario Secreto Supranumerario Sanctitatis Suae, Examinatori Pro-Synodali, et Iudici illius Tribunalis Archidioecesani.

Ecclesiam Cathedralem Palentinam in Hispania Reverendo Domino Ioanni Lozano, Sacerdoti Compostellanensi, Archidiacono illius Capituli Metropolitani, Seminarii ibidem Rectori, Doctori Sacrae Theologiae, et Licentiato in utrisque legibus.

Ecclesiam Cathedralem Vicensem in Hispania Reverendo Domino Iordà y Soler, Sacerdoti Gerundensi, Canonico Doctorali in Capitulo Illerdensi, Vicario Generali illius urbis et Dioeceseos, et Licentiato in utroque iure.

Ecclesiam Cathedralem Macaonensem in Sinis, quae est Colonia Lusitaniae, Reverendo Domino Ioanni Pereirae Botelho de Amaral et Pimentel, Sacerdoti Patriarchatus Lisbonensis, Decano Capituli Leiriensis, Vicario generali illius urbis et Dioeceseos, et Baccalaureo formato in Iurisprudentia.

Ecclesiam Cathedralem Pastopolitanam in nova Granata Reverendo Domino Ioanni Emmanueli Garciae Teiadae, Sacerdoti Archidioecesano Sanctae Fidei in Neogranatensi, et in illa Urbe Parocho S. Barbarae.

Ecclesiam Episcopalem Dibonensem *in partibus infidelium* Reverendo Domino Iosepho Romero Sacerdoti et Vicario Apostolico in Dioecesi S. Marthae in Neogranatensi.

Ecclesiam Episcopalem Lengonensem in *partibus Infidelium* Reverendo Domino Iosepho Ignatio Arciga, Sacerdoti Dioecesano Leonensi in Mexicana, Lectori Sacrae Theologiae in Seminario Archiepiscopali Mecoacano, Parocho interino Guanaynati eiusdem Archidioeceseos, Canonico in illa Metropolitana, et Deputato auxiliari Praesulis Clementis Munguiae Archiepiscopi Mecoacani.

Ecclesiam Episcopalem Carpasiensem in *partibus Infidelium* Reverendo Patri Fratri Iosepho Lucae Barranco Sacerdoti de Arequipa, Professo Ordinis Mercedariorum Redemptionis Captivorum, Regenti, emerito, superiori in Monasterio de Arequipa, Examinatori Synodali illius Dioeceseos, in Sacra Theologia Doctori, et Deputato auxiliari Praesulis Ioannis Calienes Episcopi de Arequipa.

Tum SS̃mus Pater notas fecit electiones ecclesiarum ab ultimo antecedenti ad hodiernum Consistorium factas, quibus per Sacram Congregationem de Propaganda Fide provisum fuit.

Eaque sunt quae sequuntur.

Ecclesia Episcopalis Trohadensis *in partibus infidelium* Reverendo Domino Ioanni Marangò Sacerdoti Syrensi, Deputato Coadiutori Praesulis Francisci Zaloni Episcopi Thinenis et Miconensis.

Ecclesia Episcopalis Tripolitana *in partibus infidelium* Reverendo Domino Ioanni Williams, Deputato Coadiutori, cum futura successione, Praesulis Ioannis Fitzpatrick Episcopi Bostoniensis.

Postremo postulatio facta fuit Beatitudini Suae de Sacro Pallio pro Ecclesiis Metropolitanis Gnesnensi et Posnaniensi, Granatensi, et Coloniensi.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

PIA PUELLARUM SODALITAS.

Die 21 *Septembris* 1865.

P. Vincentius Basile e Societate Iesu, Missionarius Apostolicus Slavorum meridionalium, humiliter SS̃mo supplicavit, ut piam quamdam institutionem adprobare, atque aliquo spirituali thesauro ditare dignaretur. Ea est pia puellarum Societas, cui nomen est – Congregatio Filiarum Sacri Cordis Iesu – quae usu per quam utilis comprobata, eo dirigitur, ut Puellae inducantur ad ea pericula removenda, quae solent iuventutem ad malum provocare, et ut innocentes perseverent ad illud usque tempus, quo nubent. Pro ipsa igitur pia Congregatione laudatus Missionarius sequentes gratias postulabat, nimirum:

I. Indulgentiam plenariam die cooptationis in ipsam Congregationem, et die, quo nubunt cooptatae puellae.

II. Indulgentiam trecentorum dierum, quoties vel mensili congregationi intersunt, vel peculiari modestia in vestibus utuntur, vel choreas, vigilias, aliosve congressus, periculis obnoxios, fugiunt (1).

(1) Italice haec duo postulata, sic exprimebantur: I. « Indulgenza plenaria pel » dì dell'ammissione, e per quello in cui » le aggregate prendono stato.» II. « In» dulgenza di 300 giorni ogni qual volta » o intervengono alla mensile adunanza, » o usano speciale modestia nel vestire, » o fuggono i balli, le veglie, od altri » trattenimenti pericolosi.»

Eiusmodi sodalitates, seu piae con-

III. Ut supradictae indulgentiae, piis Fidelium defunctorum animabus possint applicari, et ipsa societas ubilibet, et per quemvis sacerdotem, assentiente loci Ordinario, possit institui (1).

Ex Audientia SS̃mi habita die 21 Septembris 1865.

« *SS̃mus Dñus noster Pius Divina Providentia Papa IX., referente me infrascripto S. Congr. de Propaganda Fide Card. Praefecto, mature perpensis expositis, benigne probavit piam Sodalitatem de qua in precibus, instituendam tamen de consensu Ordinariorum; et quoad primam petitionem benigne annuit pro gratia, servatis de iure servandis; quoad secundam et tertiam benigne pariter annuit pro gratia iuxta petita; praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione, exhibendo tamen in Actis S. Congregat. Indulgentiarum.*»

« Datum Romae in aedibus S. Congreg. de Propaganda Fide die et anno ut supra.»

Al. Card. Barnabò Praef.

« Praesens Rescriptum exhibitum fuit in Secretaria Sacrae Congregationis Indul-» gentiarum die 30 Septembris 1865 ad formam Decreti eiusdem S. Congregationis » diei 14 Aprilis 1856.»

In quorum Fidem etc.

« Datum Romae ex eadem Secretaria die et anno ut supra.»

Philippus Can. Cossa Substitutus.

gregationes, aptissimae sunt ad promovendam pietatem, et idoneae reperiuntur ad uberrimos fructus christianarum virtutum producendos: requiritur tamen, ad hos obtinendos effectus, persona *idonea,* quae his praeficiatur, quaeque *assidua charitate* dirigat congregationes iuxta opportunas, et praestitutas regulas. Si enim haec habeantur, per huiusmodi pias congregationes plura bona sunt speranda, quae alia ratione forsan frustra sperarentur. Quod quidem dignosci etiam potest ex malis quae obveniunt ex profanis aggregationibus quae instituuntur conversandi praetextu, animumque recreandi. Quot scurrilitates obscoenae, quot scandala inferantur iuventuti, in huiusmodi privatis societatibus, nostris hisce temporibus, nemo sanus ignorat. Porro quemadmodum illecebris, et vitiorum exemplis, facillime inquinantur corda, atque inepta redduntur ad recte sentiendum, et animum ad christianas virtutes dirigendum; ita mutuo virtutum exemplo, praesertim inter pares, animi christiani, gratia Dei opitulante, ad maiora excitantur, et promoventur.

(1) Exhibemus in appendice XIV. regulas, secundum quas, ex Ordinarii consensu, haec pia Sodalitas posset institui. Eiusmodi regulae post obtentum Apostolicum rescriptum, fuerunt a memorato Missionario italica lingua concinnatae, et Romae, typis traditae, approbatione Emi Cardinalis Urbis Vicario.

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

SUPER DUBIIS DE APPLICATIONE MISSAE PRO POPULO.

Die 23 *Martii* 1863.

Compendium facti. Episcopus N., qui in sua dioecesi est etiam Parochus unius ex paroeciis, petiit a S. Congregatione de Propaganda Fide, an diebus dominicis, aliisque festis, ipse satisfaceret qua Episcopus, et Parochus, unica applicatione missae pro populo; occasione autem qua Vicarius Apostolicus Surinensis nonnulla postulaverat circa applicationem missae pro populo, alia etiam dubia dirimenda Sacrae Congregationi pro opportunitate proposita fuerunt, circa eamdem materiam, quaeque respiciebant Vicarios Apostolicos et Missionarios; an videlicet hi tenerentur applicare missam pro populo, et ex quo titulo, an scilicet ex iustitia, vel ex charitate, sub gravi aut sub levi.

Insuper, praeter haec dubia, quae ad occidentalem ecclesiam referebantur, occasione cuiusdam synodi in ecclesia ritus orientalis celebratae, cuius acta pro revisione de more Sacrae C. exhibita erant, et alia quatuor dubia prioribus adiecta sunt, in quibus illud praecipue quaerebatur, an ius, quo, circa applicationem missae pro populo, ecclesia occidentalis dirigitur, eodem modo locum obtineat in ecclesiis orientalis ritus.

Concinnatis itaque dubiis, quae in calce reperies, iisdemque S. C. propositis, attenta gravitate materiae, S. C. distulit, hac responsione, iudicium: *dilata, et scribant duo ex Consultoribus Theologus alter, et alter Canonista* (1).

Duo itaque vota, et quidem elucubratissima, fuerunt S. Congregationi exhibita, et quamvis Theologus et Canonista diversam tenuerit metodum; nihilominus ad metam praestitutam armonice

(1) Cl. Theologus Philippus can. Cossa, et Cl. Iurisconsultus P. Camillus Tarquini S. I. selecti fuerunt Consultores.

pervenerunt. Defraudaremus autem Lectores nostros fructu haud exiguo, si synoptice saltem non deduceremus in medium Cl. Iurisconsulti votum.

Votum Canonistae in compendium redactum.

Iurisconsultus, analytica methodo procedens, in tres partes sui voti materiem divisit, in quarum prima sibi proposuit inquirendum, *quid praecipiat ius divinum circa Missam pro populo* In altera autem parte, *quid praecipiat circa Missam pro populo ius ecclesiasticum, sive quoad Occidentales, sive quoad Orientales* - In tertia vero parte, doctrinam expositam singulis applicabat dubiis.

PARS PRIMA.

QUID PRAECIPIAT IUS DIVINUM CIRCA MISSAM PRO POPULO. — Quoad hanc itaque partem sibi proponebat Consultor expendere. 1. An in iure divino hoc praeceptum habeatur. 2. Quasnam comprehendat personas. 3. Intra quos limites. 4. An praeter praeceptum *ratione officii, ex iustitia*, possit aliud haberi praeceptum repetendum *ex charitate*.

Animadvertebat porro circa primum, viguisse quaestiones inter Scriptores, quaerentes, an detur praeceptum ex divino iure applicandi missam pro populo, et sententia eorum praevaluisse olim videtur, qui docebant celebrationem quidem divino iure praescribi, praesertim animarum pastoribus, non vero eiusdem missae pro populo applicationem. Et in propriam sententiam trahebant Concilii Trid. verba *cap.* I *sess.* 23 *de refor.* « Cum » praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura » commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium of- » ferre (1).» Verum, post SS. Congregationum Resolutiones, et praesertim RR. Pontificum Constitutiones, non amplius dubitatum est, quin verba C. Trid. *pro his sacrificium offerre*, importarent sacrificii applicationem pro populo. Quaerens proinde positivam *divinam* legem, qua hoc praeceptum applicandi missam pro populo constitueretur, animadvertebat, non videri hanc legem primo

(1) Vid. Fagnan. *in cap. Fraternitatem de sepulturis n.* 92 *sq.* Clericat. *Discordiae Forenses p.* 1 *disc.* 29.

promulgatam fuisse in epist. ad Hebraeos *c.* V. 1 et *c.* VIII 3: cum S. Paulus his in locis, verbis: *Omnis pontifex pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerrat dona et sacrificia pro peccatis*, praeceptum divinum iam praesupponere videatur. Utitur enim Apostolus hac doctrina veluti *medio termino* omnibus noto ad aliud demonstrandum. Quare licet S. Paulus mentionem de hac lege faciat, non tamen hanc legem primo statuit. Ideoque inquirens Consultor ulterius, unde ea primo repeti debeat; non aliunde repeti posse censebat, quam *ex indole, et notione officii pastoralis.* Sufficit enim, prout eruitur etiam ex Pauli verbis, ut quis pontifex sit, ut intelligatur constitutus ad sacrificia pro populi peccatis offerenda. Hinc Calmet in *cit. cap. VIII v.* 3, ait « hoc omnibus sacerdotibus, illis etiam, qui » in falsis religionibus ministrant, commune est.» Quare, concludebat Consultor – *Officium pastorale sua integritate seu plenitudine secumfert natura sua debitum offerendi sacrificium pro populo.* –

Hac exposita doctrina facile colligebat, quinam sub hac comprehendantur lege. Secundum enim divinam Ecclesiae institutionem, *officium pastoris,* sua integritate seu plenitudine, residet in solis Episcopis. Proindeque soli Episcopi iure divino absoluto tenentur ad sacrificium pro populo offerendum. Et sane ipsemet Paulus *loc. cit.* non ait omnis sacerdos, sed πᾶς ἀρχιερεύς, omnis princeps sacerdotum, omnis pontifex. Quod nomen in Christi Ecclesia competit solum Episcopis. Ac omissis Patrum testimoniis, illud afferebat Hieronymi *epist. ad Fabiol.* (1) - ibi - « ego si fecero, si dixero quidpiam, quod reprehensione dignum » est, de sanctis egredior, et polluo nomen Christi, de quo mihi » blandior: quanto magis Pontifex et Episcopus, quem oportet » esse sine crimine, tantarumque virtutum, ut semper moretur » in sanctis, et paratus sit *victimas offerre pro populo, sequester* » *Dei et hominum:* »

Caeteri enim qui curam animarum habent praeter Episcopos, non habent veluti proprium, sibique inhaerens, pastoris offi-

(1) *Epist.* 64 *edit. Vallarsii, et* 4 *inter criticas tom. II. edit. Maurinae.* Item S. Gregorius *lib.* 1 *epist.* 25 *ad Ioannem Episcop. Constantinopolitanum, sub initio; et iterum L.* 6 *epist. ad Salonitanos sub finem* §. 1 S. Augustinus *contra epist. Parmeniani lib.* 2 *c.* 5 *n.*15.

cium ex divino iure, sed illud exercent ex ecclesiastica delegatione, et constitutione, (1) et intra quosdam limites.

Quare cum in Ecclesiae iure, in parochos dicitur incumbere onus ex divino praecepto applicandi missam pro populo, hoc est intelligendum non de divino iure absolute spectato, sed de iure divino hypothetice spectato (2). Hypothesis autem est triplex, quod nempe: I. Ecclesia commiserit aliqua ratione parochis animarum curam. II. Quod non commiserit modo mere facultativo, ut Missionariis committere solet; sed modo quo obligatio inducatur. III. Quod commiserit hanc animarum curam sine ea limitatione, quae excludat obligationem applicandi missam pro populo. Quare cum tres hypotheses indicatae, ex ecclesiastico iure in parochis verificentur, in potestate est Ecclesiae, quemadmodum illas moderari vel auferre, ita etiam super applicationis officio dispensare; et reapse urgente rationabili causa, S. Sedes de facto dispensat.

Descendens deinde Consultor ad inquirendum intra quos terminos huiusmodi divinum praeceptum obliget, consideravit illud non solum in suo genere, quatenus est *praeceptum affirmativum,* (3) sed etiam in sua specie suisque proprietatibus. Proprie-

(1) S. Thomas 2 2 *q.* 184 *art.* 6 *ad* 2 *et* 3 S. Damasus *Papa epist.* 9 *ad Prosperum.* Abulensis *in Matth. XVI. q.* 87 Caietanus *in s. Thom.* 2 2 *q.* 184 *art.* 8; in hac re consulendae sunt literae Apostolicae ad Archiepiscopum Ebredunensem, quae insertae reperiuntur in Operibus Card. Gerdil sub fine Vol. XV. nec non cl. Auctor Nardi in opere italico, cui titulus, *Dei Parrochi.*

(2) Etiam in Constitutionibus RR. Pontificum *Cum semper oblatas;* et *Amantissimi,* non dicitur absolute ex *divino praecepto,* sed ex divino praecepto *descendere.*

(3) Praecepta mere affirmativa, ut ostendebat idem Consultor, obligant tantum in casu alicuius urgentis necessitatis, seu ut ait S. Thomas *in* 4 *sent. dist.* 17 quaest. 3 *art.* 1 *quaestiunc.* 4 *in corp.* « obligant ad tempus determinatum, non » quidem ex hoc, quod tunc commode » impleri possunt, quia sic, si non daret » aliquis eleemosynam de superfluo quan» docunque pauper offerretur, peccaret » mortaliter, quod falsum est, sed ex hoc, » quod *tempus necessitatem urgentem* » *adducit:* et ideo (*ex. gr.*) non oportet » (*dicere*), quod si statim oblata oppor» tunitate (*habens peccatum mortale*) non » confiteatur, etiamsi maior opportunitas » non expectetur, aliquis peccet mortali» ter, sed quando, ex articulo temporis, » necessitas confessionis inducitur. Neque » hoc ex indulgentia Ecclesiae (*quae scili*» *cet intra anni spatium confiteri quem*» *piam indulget*) quod non teneatur ad » statim, sed ex natura *praecepti affir*» *mativi,* unde ante Ecclesiae statutum » (in canone *omnis utriusque sexus*) *mi*» *nus* debebatur.»

Itaque, ut Consultor arguebat, praeci-

tas autem huius praecepti est, ut sit impositum per *modum officii*, subiecto proinde inhaerens ad modum habitus, ideoque impletum dici non potest per unum actum durante pastorali officio, sed impletur per quamdam actorum frequentiam, missam nempe applicando *aliquoties in anno*. Et illud *aliquoties* determinabat eo fere modo quo theologi determinant similem omnino quaestionem - quoties sub gravi quilibet Sacerdos in anno celebrare teneatur - In hac enim Theologorum quaestione, agitur pariter de praecepto affirmativo divino, et indeterminato, quod inhaereat sacerdoti per *modum officii*. Etenim iuxta verba Ritualis: *Sacerdotem oportet offerre*. Cui quaestioni ita respondet S. Thomas « Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod sacerdos » potest omnino a celebratione licite abstinere, nisi teneatur ex » cura sibi commissa celebrare populo, et sacramenta praebere. » Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti » gratia sibi data, cum fuerit opportunum ..... Unde sacerdoti, » etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a ce- » lebratione cessare; sed saltem videtur, quod teneatur celebrare » in *praecipuis festis*, et maxime in quibus fideles communicare » consueverunt. » Verba autem in *praecipuis festis*, subiungit

sione facta ab ecclesiastica lege, praeceptum affirmativum de quo agimus, applicandi nempe missam pro populo, obligabit quando vera necessitas urget, quae esse potest vel ex parte populi, vel ex parte ipsius legis. At vero, haec urgens necessitas ex parte populi, in re de qua fit sermo, dari non potest, ut supra demonstrabitur. Superest igitur, necessitas ex parte legis, quae ne dicatur *frustranea*, suum implementum habere debet. Hoc autem implementum lex consequitur, si una vice, durante pastorali officio, missa pro populo applicetur. Et sane de simili praecepto *affirmativo* divino, cuiusmodi est illud Fidelibus impositum, participandi divinam eucharistiam, hoc docent Paludanus, Gaietanus, Ledesma, Victoria. Vel si tempus pastoralis officii breve non sit, certissime legi applicandi missam satisfieret si missa applicaretur *aliquoties* durante pastorali officio; prouti de altero dicto praecepto participandi sacram eucharistiam, docet, quodam rigore, Suarez, si longa nempe sit hominis fidelis vita. Ratio autem clara est; ut enim lex *frustranea* non dicatur, nulla alia urgente necessitate, sufficit ad suum implementum ut actus praescriptus, durante munere, una vice emittatur. Quod si multum perduret pastorale officium, quoniam populus mortalis decursu annorum notabiliter renovatur, ob extrinsecam circumstantiam, ne magna populi pars fructu praecepti destituta maneat, posset praeceptum de quo agimus obligare *aliquoties*, durante officio. Haec esset responsio, si lex de qua agimus considerari posset tantum in suo genere, quatenus est lex naturalis et affirmativa.

S. Alphonsus de Ligorio (1) intelligi de tribus praecipuis solemnitatibus, in quibus fideles communicare consueverunt, nimirum diebus Nativitatis, Paschatis, et Pentecostes: quare concludit sententiam longe communiorem eam esse quae affirmat, « sacerdotes non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in » anno... Et haec sententia est conformis Decreto S. Congrega- » tionis Concilii edito mense Novembris 1696 (apud Monacellium » *p.* 1 *tit.* 5 *form.* 9 *n.* 15), ubi dictum fuit: qui sine iusta causa, » ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et » potest ab Episcopo puniri.» Cui accedit auctoritas Toletani Concilii sive Arandensis habiti sub Pontificatu Sixti IV. anno 1473 *cap.* 12 in quo inter alia legitur: « hortamur praeterea nostrae » provinciae Praelatos ob reverentiam Iesu Christi, ut *ter in anno* » ad minus celebrent. Si vero secus egerint, graviter in sequenti » concilio arguentur.» Et in titulo eiusdem capitis legitur: *Quod Episcopi ter, et Sacerdotes quater saltem in anno celebrent.* Iudicarunt itaque huius Concilii Patres praeceptum divinum celebrandi sacrificium, obligare Pastores ter in anno. Ex paritate itaque rationis Consultor censebat, idem dici debere de praecepto applicandi missam pro populo, spectato tantum divino iure.

Post haec negabat Consultor hanc obligationem enasci posse ex charitate. – Obligatio enim ex charitate oritur tantum ex necessitate alterius – Suarez *de Sacram. disp.* 86 *sect. I. et alibi.* Subiungebat porro, non posse reperiri certum casum in quo applicatio missae pro populo eidem necessaria sit, vel ad consequendam aeternam salutem, vel saltem ad servandum iustitiae statum.

Porro applicatio missae pro populo dici non potest *medium necessarium* ad alterutrum, vel alium quemlibet finem, sive quia nunquam est *medium unicum;* non desunt enim alia media cuiusmodi sunt sacramenta, vel saltem oratio: sive quia sacrificii fructus nunquam populo deest, quantus sufficiat ad obtinendas gratias. Populus enim Dei participat generalem fructum sacrificiorum, iuxta generalem applicationem, quae in Canone legitur - *pro omnibur orthodoxis atque catholicae fidei cultoribus* - Benedictus XIV. *De sacrif. missae l.* 3 *c.* 8 aliique communiter. Ex quo sequitur

(1) Lib. VI. *tract.* 3 *n.* 313 §. *Dubitatur.*

defectum applicationis *fructus medii,* non esse *privationem,* sed tantummodo minus copiosam applicationem fructus sacrificii, quae, quamtumvis minor censeatur, nunquam insufficiens dici poterit, ad obtinendam quamvis gratiam. Insufficientia enim, si habeatur, proveniet tantum ex defectu dispositionis in populo, qui dispositionis defectus inefficacem reddere etiam potest *fructum medium,* qui confertur per applicationem missae pro populo.

Post eiusmodi directam argumentationem, alteram indirectam instituebat Consultor. Si enim vera necessitas fructus medii de qua loquimur reperiri posset in populo, certissime ea necessitate premerentur magis infideles, qui aliis destituti sunt mediis, quam fideles. Ex quo fieret, ut in ecclesia praeceptum haberi deberet *ex charitate* applicandi missam pro infidelibus. Charitas enim omnes, qui sub nomine *proximi* veniunt, comprehendit; illos omnes scilicet, qui capaces sunt, *dilectionis activae, et passivae Dei,* quemadmodum cum S. Augustino, Scoto, docet Card. De-Laurea *Tract. De spe et charit. disp.* 8 *n.* 63. Et ideo, omnes illos comprehendit, qui nobis iunguntur capacitate participandi eamdem beatitudinem aeternam, S. Thomas 2 2 *quaest.* 23 *art.* 5 *in corp.,* in quo ambitu reperiuntur etiam infideles, qui sunt in stadio viae. Atqui eiusmodi praeceptum Ecclesia nunquam cognovit. Ergo etc.

Neque dicas: infideles incapaces esse *fructus impetratorii* de quo agimus. Haec enim opinio praeterquam quod a sanioribus theologis reiicitur, in praesenti quaestione intolerabilis redderetur. Repugnat enim indoli Ecclesiae, eiusdemque Auctori, ut medium detur *vere et proprie* necessarium ad aeternam proximi salutem (secundùm praesentem hypothesim), illudque applicari non possit.

Insuper, charitas in eo etiam a iustitia differt, quod haec urget eos tantum, qui aliquo assumpto munere, vel obligatione adstringuntur; illa, e contra, omnes urget, qui possunt verae proximi necessitati conferre remedium in sua positum potestate: omnes ergo sacerdotes pro populo applicare tenerentur. Quandoquidem ignorat nemo, plures adesse christianitates derelictas, quae hoc auxilio sunt destitutae. Et futilis esset excusatio dicentis: *Si ego scirem; si ego praesens essem etc.* cognitio enim non deest, et praesentia non exigitur. Atqui Ecclesia nunquam hoc praeceptum cognovit. Ergo etc.

PARS SECUNDA.

QUID PRAECIPIAT CIRCA MISSAM PRO POPULO IUS ECCLESIASTICUM, SIVE QUOAD OCCIDENTALES, SIVE QUOAD ORIENTALES. — Gradum itaque faciens Iurisconsultus ad secundam sibi propositam exponendam partem, quaerebat in quas personas ius ecclesiasticum protenderit praeceptum divinum de quo in priori parte egimus, et ad quodnam tempus; prius autem de occidentalibus, deinde de orientalibus sermonem instituit.

In ecclesia occidentali, ante Tridentinum Concilium, non videtur fuisse universalis lex, quae obligationem determinaret applicandi missam pro populo, licet non deessent consuetudines et leges particulares, quae aliquas dioeceses vel provinciam obligarent, et ad certos dies. In quaestione enim quae agitabatur, an Parochi tenerentur *applicare,* vel tantum *celebrare:* qui hanc alteram sententiam defendebant, explicatis aliqua ratione verbis Tridentinis *c.* 1 *sess.* 23 *de Reform.,* eam tuebantur hoc argumento: *quia nullo iure positivo, neque beneficii institutione applicatio missae pro populo praecipitur,* uti notat Barbosa *De officio et potest. Episcopi p.* 2 *alleg.* 24. *n.* 23. Alii vero qui priorem sententiam secuti sunt, innitebantur solummodo Tridentinis verbis, nullamque antecedentem universalem legem adduxerunt. Clericatus *Discord. Forens. p.* 1 *disc.* 29; Monacellius *Form. leg. tit.* 16 *form.* 2 *n.* 18 *et seqq.* Pasqualigus *De sacrif. novae leg. q.* 852; Fugnanus *in Cap. Fraternitatem De sepult. n.* 92: Reiffenstuel *in tit. celeb. miss. n.* 22 *et seqq.;* Benedictus XIV. *Instit.* 10 *n.* 4 *et seqq. etc.*

Quin imo, (prosequebatur Iurisconsultus) in Concilii Tridentini capite, *per accidens* haec obligatio cum aliis pastoralibus officiis memoratur, ut inde deducatur necessitas, quae Pastores urget ad residendum; in eo enim legitur – « Quum praecepto di- » vino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa » est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre* verbique » divini praedicatione etc.pascere... quae omnia nequaquam ab his » impleri possunt, qui gregi suo non assistunt .... Sacrosancta » Synodus eos admonet etc.» – Quae Tridentina dispositio supponit obligationem applicandi missam pro populo, cuiusmodi ea est, quae ex iure divino deduci potest, sive *absolute,* si agatur

de Episcopis; sive *hypothetice,* si agatur de ceteris, qui parochiale beneficium obtinent. Nihilominus ex communi consensu, accedentibus authenticis declarationibus, ea generalia verba veluti fundamentum habita sunt legis ecclesiasticae generalis.

Ad rem autem Consultor declarabat verba illa – *omnibus quibus animarum cura commissa est.* – Multi sunt qui dicuntur habere animarum curam. *Primo* illi sunt qui beneficium aliquod habent cum quo directe, et principaliter connectitur eiusmodi officium, ut sunt Episcopi et Parochi, quocumque vocentur nomine. *Secundo* illi qui in casu dicti beneficii vacantis, vel etiam illi qui actu officium exercent, dum cura habitualis aliis inest, vel in alio simili casu personam alienam repraesentant, cuius officium exercent; tales sunt Vicarii curati, sive perpetui sive temporanei, et amovibiles; Vicarii Apostolici, qui, suspensa Episcoporum nominatione, mittuntur ad regendam ecclesiam canonice erectam in sedem episcopalem, vel illi administratores ecclesiarum pariter episcopalium, qui ponuntur in locum Episcopi absentis de cuius vita ignoratur, vel alicuius Episcopi a divinis suspensi etc. *Tertio* Pastorum coadiutores, qui non subintrant in eorum locum, sed coadiuvant, cuiusmodi sunt Capellani a Parochis stipendiati, etiamsi constituantur in aliqua succursali ecclesia; vel Suffraganei, si de Episcopis agatur, qui dari solent non populo, sed Episcopo, ut eum coadiuvent *in pontificalibus tantum,* Rigantius *in Reg. I. Cancel.* §. 7 *n.* 87 *et* 81. *Quarto* illi, qui tantum ex charitate sacramenta administrant, cuiusmodi sunt quidam Sacerdotes Regulares, vel etiam Saeculares, qui, diebus saltem festis, assistunt alicui paroeciae derelictae: ad quem ordinem referri possunt Missionarii, qui, commendabili generositate, in longinquas regiones emigrant, vel ad serendam Christi Servatoris fidem, vel ad colendam eamdem fidem in christianis populis, in quibus nunquam paroeciae canonice erectae sunt; vel etiam illi Vicarii Apostolici, inter Missionarios, qui in easdem regiones proficiscuntur in quibus nunquam erecta fuit episcopalis sedes. Hi omnes dici possunt, quibus animarum cura commissa sit. Verum opinabatur Consultor, tantum illos sub Tridentina lege comprehendi, qui ad duos priores ordines referuntur.

Ut hoc ostenderet praemisso principio, quo nulla obligatio debet ultra claram obligationis sententiam extendi, in examen

revocabat Tridentinum Decretum, secundum quod illi tantum animarum Pastores tenentur ad sacrificium pro populo offerendum, qui a Concilio in eodem capite obligantur ad residendum. Qui vero sint, qui in eo capite ad residentiam obligentur, indicantur hisce verbis: I. *Omnes patriarchalibus primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus ecclesiis quibuscumque quocumque nomine, et titulo praefectos.* II. *Curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens; obtinent.*

Porro hisce verbis, illi tantum comprehenduntur, qui ad primum, supra indicatum ordinem pertinent, et aequalitate rationis, etiam illi, qui ad alterum spectant ordinem. Qui enim in locum alterius ponitur, ut personam repraesentet, et omnia eiusdem exerceat officia, *pro una, eademque persona habetur.* Ceteri ergo ab obligatione applicandi missam pro populo soluti manent. Et sane, illi, iuxta Tridentinam legem, tenentur sccrificium offerre, qui tenentur agnoscere *oves suas.* Porro neque Capellani stipendiati a Parochis, neque Suffraganei *in Pontificalibus tantum*, qui Episcopis dantur, et non populo, neque quilibet alius, qui alicui derelicto populo succurrit non ex titulo pastorali, *oves proprias* habent. Eiusmodi proinde viri, sub ea lege non comprehenduntur. Neque dicas: si Missionarii oves proprias non haberent, illae oves essent sine Pastore. Falsum siquidem est eas esse sine Pastore, quando sunt oves Petri.

Haec autem omnia confirmabantur authenticis declarationibus. Et ut brevitati studeret Consultor, satis sibi fuit in medium deducere Constitutionem *Cum semper oblatas,* Benedicti XIV., qui in more habebat omnia decreta abunde recolere, quae ante se emissa fuerant. In hac porro Constitutione nominantur tantum 1 Possessores Beneficii parochialis etiam tenuis. 2 Vicarii parochiales etiam amovibiles ad nutum, vel ad breve tempus constituti. Et missa pro populo appellatur missa *parochialis pro populo*, veluti exclusive propria illius, qui possidet parochiale beneficium, vel Vicarii, qui illius loco ponitur. Reliqui ergo qui in tertio et quarto ordine numerantur, excluduntur, quos laudatus Pontifex neque ignorare, neque silentio praeterire poterat, si aliter censuisset.

Hanc doctrinam confirmabat ulterius Consultor auctoritate Doctorum, inter quos nullum reperire valuit qui ultra dictas personas hanc obligationem protenderet. Quin imo Ferraris *verb. Missae Sacrificium art.* 3, Giraldi *p.* 2 *sect.* 85 § *Circa praelatos,* quaerentes an alii sint, qui, saltem ab aliquibus, putentur obligati ad applicationem missae pro populo, non alios indicant, quam Praelatos Regulares pro suis subditis, ideo quia in suos exercent, ex stricto officio, parochiale munus. Nihilominus bis proposita hac quaestione apud Apostolicam Sedem, prouti refert Giraldi, bis insoluta mansit. Quod est notatu dignum. Illi enim, qui prae ceteris videri possent sub Tridentina lege comprehensi, essent eiusmodi Regulares Praelati, qui, verius quam Parochi *proprias habent oves.* Parochorum enim oves, sunt tandem oves Episcopi. Cui sententiae accederet auctoritas Suarez, Merati, Pasqualig., Tamburin., Rotar., Hurtad., Naldi, Ferrar., Monacel., Clericat., Donati, Murg., aliorumque. Attamen ex firmo principio quod obligationis verba strictae sunt interpretationis, forte sententia lata non fuit. Et quod magis est, neque de hac re mentionem fecit Benedictus XIV in dicta Constitutione. Quod si haec reperimus circa Regulares Praelatos, maiori ratione idem retinendum est, circa eos quos tertio, et quarto loco recensuimus, quos ad missam pro populo obligatos usque adhuc dixit nemo.

Hisce adhuc Consultor non contentus, ad excludendos apertius ab hac obligatione eos, quos, tertio et quarto loco, numeraverat, alia adducebat argumenta, quae praesertim Missionarios attingebant. Missionarii enim comparari possunt cum iis sacerdotibus, qui ab Episcopis exorati, ad aliquam paroeciam derelictam ex charitate accedunt, ut ibi sacramenta administrent. Eiusmodi autem Sacerdotes, communi existimatione, nunquam habiti sunt obligatione obstricti ad missam applicandam pro populo, licet sua generositate saepe eam applicare soleant. Quod si differentia intersit, ea in favorem cedit missionariorum. Ergo quemadmodum illi, ita isti, ab obligatione de qua agimus, exclusi censeri debent. Neque dicas: Missionarios interdum stipendia recipere. Nam eiusmodi stipendia, si quae sint, ad vitam alendam tribuuntur, eleemosynae tantum titulo, ut charitatis opera exercere possint.

Quin imo ostendebat Consultor eamdem vigere existimationem, circa Missionarios, ac viget circa dictos Sacerdotes. Id autem argumentando eruebat ex testimonio Roderici Tom. 1 *Quaestionum Regular. q.* 35 *art.* 5 in quo, instituta quaestione, – *Utrum Religiosi Indiarum sint curati,* – ita respondet: « Respondeo di» cendo, quod Episcopus potest praeficere monachum, de licen» tia Abbatis, ecclesiae parochiali saeculari, prout tradunt etc. » Attamen Religiosi Indiarum, nec per Breve Pii V., nec per » Capitula provincialia, sunt curati Indorum; quia unumquodque » recipitur per modum recipientis: modus autem hic recipiendi » in Indorum populis officium parochi, nunquam fuit receptus » a fratribus per modum curatorum, et ut curati: *semper enim* » *fugerunt fratres hoc grave onus suis humeris imponere.* Item » quia ante hoc Breve Pii V. certissimum erat, quia fratres non » erant curati; *hoc enim petebant Episcopi ab eis, et ipsi renue*» *bant:* ergo neque postquam venit dictum Breve: consequentia » patet; quia in Brevi nihil Religiosis iniungitur, ut cura» tis etc. » Item Pellizzarius *Manuale Regularium Tract.* 8 *c.* 4 *sect.* 3 *n.* 90.

Cui accedit etiam Ecclesiae praxis, ex qua eruitur Missionarios addictos non esse alicui Sedi, canonico titulo; neque habere *ordinariam* facultatem administrandi sacramenta, quae duo sunt Parochis essentialia; sed eis officium tribui propagandi catholicam fidem inter varia infidelium, et haereticorum loca, et administrandi conversis ad fidem sacramenta necessaria, facultatibus plus vel minus extraordinariis, ceu notat. Card. De-Laurea *in Tert. sentent. tom.* 3 *p.* 2 *disp.* 18 *art.* 1 *n.* 15 *et seqq.*, in quo inter cetera scribit: « munus Missionarii est evangelium, » fidemque catholicam, in locis suae missionis, Paganis, Iudaeis, » atque Haereticis praedicare, et Sacramenta eis necessaria, *iuxta* » *facultates sibi concessas a mittente,* ministrare. » Quae quantum distent a Parochorum indole, eorumdemque obligationibus, unusquisque intelligit.

Secundum autem expositam usque adhuc doctrinam, pluries respondit S. C. De Propaganda Fide. Et sane circa Missionarios Pekinenses, anno 1798, eorum Episcopus, quasdam retulit circumstantias, ob quas idem opinari videbatur, dictos Missionarios teneri ad applicationem Missae pro populo. Animadvertebat enim Epi-

scopus ille, Missionarios, non modo exercere omnia parochialia officia iuxta leges ecclesiasticas, sed etiam inter eos et alios Sinenses presbyteros, quoddam discrimen vigere; namque isti libere percurrebant missionum loca intra districtus limites, dum e contra, illi observabant strictam in urbe, in qua constituti erant, residentiam. Attamen S. Congregatio respondit: *provisum per decretum* 28 *Ianuarii* 1798 *a Sanctitate sua probatum.* In quo decreto declaratum fuerat: *nullo modo parochos esse, sed simplices verbi Dei praecones.*

Item, anno 1804, dubium propositum fuit: « An missiona- » rii Sinarum, Cocincinae et Siami, teneantur pro christianis, » quibus ad tempus ministrant, missam applicare, non solum » diebus dominicis, et magnis sollemnitatibus, sed etiam aliis » diebus festis, quibus christiani missam quidem audire te- » nentur, sed servilibus operibus vacare possunt. » Cui responsum est: *in decisis sub die* 5 *Februarii* 1803. Haec autem decisio his verbis emissa fuerat: *Quaestionibus quas A. E. de missarum applicatione proposuit, S. C. respondit, iuxta ea quae iam alias decreta fuerunt, neque Vicarium generalem, neque Coadiutorem Vicarii Apostolici, uti nec ipsum Vicarium Apostolicum, ulla teneri obligatione ex iustitia applicandi missam diebus festis pro populo cui, praedictis titulis, praesunt; sed ex charitate tantum id decere; ex quo, nulla absolutione opus esse pro omissa sacrorum applicatione, per se patet.*

Post haec, unum vel alterum responsum, quod aliquam parere posset difficultatem, in examen revocabat Consultor, nimirum responsum datum Vicario Apostolico de Curaçao die 12 Septembris 1843, quod est sequens: « *Ad alteram autem quaestionem quod attinet, utrum scilicet Operarii Vicariatus antedicti, diebus festis, etiam abrogatis, missam pro populo celebrare teneantur, scias volumus, in Paroeciis canonice erectis, Missionarios parochos, hoc est curam animarum habentes,* teneri ex iustitia, *Missionarios vero alios utcumque eamdem curam gerentes, nonnisi* ratione charitatis. » Quam responsionem, circa ultimum incisum, contendebat Consultor, non posse facile cum ceteris conciliari, atque hunc esse casum, opinabatur, a cuius decisione esset recedendum (1). Nonnullis insuper animadversis circa unam vel

(1) Vid. pag. 109 in nota, et resolutionem dubii pag. 110.

alteram responsionem, quas ostendebat omnino conformes caeteris decretis, breviter indicabat dies, quibus eadem lex occidentales Pastores urget, iuxta notas Constitutiones: *Cum semper oblatas,* et *Amantissimi.*

Hisce itaque omnibus, quae breviter attigimus, copiosissime a Consultore disputatis, sermo instituendus erat circa ius, quod in re de qua agimus, apud orientales obtinet. Ex documentis, quae, Consultor prae oculis habebat, haec duo simul collegit, I. *Vestigia adimplementi legis, de qua agimus, non reperiri, nisi in locis perpaucis, iisque subiectis influxui latino; eaque nobis exhibere regulam non uniformem, sed variam:* II. *Circa reliquas orientales regiones, aut certe nosci eam legem in usu non esse, aut saltem ignorari, et non sine gravibus coniecturis, in usu non esse, videri.*

Quaerebat proinde Consultor, in hisce adiunctis, quid agendum, et quaenam esset regula sequenda, circa easdem orientales regiones. Considerata praxi, quam usque adhuc tenuit Sacra Congregatio, eam sequi oportere opinabatur. Eiusmodi autem praxis ad haec quatuor capita facile sibi reduci posse videbatur. I. Lex applicandi missam pro populo, quoad eius substantiam, urget etiam parochos orientales. II. Ad modum quod attinet, sive ad dies, quibus impleri debeat, si reperiatur statutus mos, aut lex apud eos vigens, dummodo aperte irrationabilis non sit, servari debet. III. Quatenus hic mos, vel lex non habeatur, determinari debet iuxta leges occidentis. IV. Quod si difficultas occurrat, concedi potest reductio magis, vel minus gravis, secundum indolem difficultatum, quae reperiantur; quae si penitus sint exclusivae, concedi potest dispensatio, iniuncta tamen obligatione orandi pro populo in iisdem missis quae applicari debuissent.

Eiusmodi autem regulas, rationabiles, et conformes omnino esse iuris principiis, ostendebat Consultor. Et ad primam quod attinet regulam, ex qua reliquae consequuntur, non quidem ex lege ecclesiastica occidentali eam erui existimabat, cum alia videatur fuisse usque adhuc disciplina occidentalis circa rem de qua agimus, sed eam demonstrabat *ex intentione Ecclesiae in institutione officii parochialis, et consequenter ex natura officii eiusdem.* Certum siquidem, est, Ecclesiam instituisse parochiale officium, *per modum muneris pastoralis,* ubicumque parochus constiterit, sive in occidente,

sive in oriente. Ex quo consequitur, omne id quod officii Pastoris est proprium, salvis iis, quae capacitatem presbyterorum superant, vel sine ulla dubitatione fuerunt ab eo officio exclusa, cuiusmodi est iurisdictio in foro externo, cetera, vi institutionis, intelligi debent etiam Parochorum propria. Et quemadmodum necesse non est allegare particularem legem, ut concludi possit, Parochum, vi sui officii, teneri *oves suas agnoscere, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere etc.*, quacumque in regione Parochus sit constitutus, sive in occidente sive in oriente; ita opus non est adducere legem, ut ostendatur, vi sui officii, teneri *pro ovibus suis sacrificium offerre.*

Ratio secundae regulae a S. Congregatione identidem servatae, petitur ex eo, quod ecclesia orientalis consuetudinibus, legibusque propriis dirigitur, nec legibus occidentalibus obstringitur, nisi vel rei natura, vel voluntas expressa S. Sedis, id exigat. Rei autem natura, in praesenti casu, non designat determinatos dies, proindeque superest, ut *rationabilis* mos, vel lex hos dies determinans, servetur.

Ratio tertiae regulae ex eo petitur, quod in praxi necessarium est, ut determinatus existat missarum numerus, et conforme est ss. Canonibus, ut ad hunc finem applicetur ea lex, quae in altera Ecclesiae parte viget. Etenim 1. ad normam ss. Canonum uniformitas, quantum fieri possit, servanda est (1). 2. Quia, in casibus similibus Ecclesia eamdem regulam secuta est, uti patet ex more citandi Canones Conciliorum provincialium. 3. Quia iuxta *caput* 1 *De novi operis nunciat.*, in defectu Canonum, applicantur ipsae civiles leges (2), *a fortiori* ergo adhiberi debent ecclesiasticae leges, quae vigent in altera ecclesiae parte. 4. Quia lex occidentalis, in praesenti casu, convenientiam habet non *localem*, sed

(1) *Conc. Venetic. an.* 465, *can.* 15; *Agathense anni* 506, *can.* 30, *Epaonense an.* 517 *can.* 27; *Gerundense anni* 517, *can* 1; *Bracharense an.* 563, *cap.* 1; *Toletanum IV. an.* 633, *can.* 2: *Toletanum XI. an.* 675, *can.* 3; *etc.*

(2) In hoc capite legitur: *Quia vero sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adiuvantur... et quia nulla ecclesia in praeiudicium alterius est construenda, negotium ipsum secundum legum et canonum statuta non differas terminare.*

*

intrinsecam, et ideo omni in loco suam vim exerit (1). Si vero huius regulae applicatio difficultates reperiat, dubitandum non est, applicandam fore quartam regulam, quemadmodum usque adhuc servatum fuisse videbatur. Agitur enim de materia super qua, cum de Parochis agitur, etiam totaliter dispensari potest; ius enim divinum parochos non cognoscit, quorum existentia tota repetitur ab ecclesiastica institutione: neque causa deest iuste dispensandi, ex difficultatum natura deprompta.

PARS TERTIA

Ea quae disputata sunt, dubiorum formulis applicantur. — Ex doctrina amplissime a se exposita, depromebat Consultor singulis dubiis, quae occidentalem ecclesiam respiciunt, accuratam responsionem. Priori dubio respondendum esse opinabatur: « negative, dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes episcopalis, ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad eas » Vicarius Apostolicus, et Missionarii missi sint, ut legitimorum » Pastorum vices gerant. »

Secundo dubio: « provisum in primo. »

Tertio dubio: « decere ex charitate » vel potius: « vitandam » esse locutionem – *teneri ex charitate,* – dicendum autem esse » – *decere ex charitate;* – idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat. »

Dubio quarto: « provisum in tertio. »

Responsio ad quintum dubium, post ea quae dicta sunt, pendebat ex iudicio ferendo super facto, an videlicet in eo Vicariatu essent paroeciae canonice erectae. Porro ex relationibus earum Missionum, eruebat Consultor, eiusmodi paroecias non adesse. Constabat enim in facto: anno 1816 catholicos Surinenses ecclesiam nullam habuisse: anno 1820 religionis status, *vere miserabilis* dicebatur.

Attamen difficultatem prima fronte gignere videbantur haec, quae sequuntur. Ex relationibus habitis anno 1844, ad quaesi-

(1) Ipsimet Graeci Schismatici in canonum collectione, edita Lipsiae anno 1800 in adnotatione secunda, canonis secundi Trullani concilii, ita aiunt: « Quemadmodum Concilium oecumeni- » cum V. acceptavit opera SS. Augustini, » et Ambrosii, in quibus propugnarunt » fidem contra haereticos, ita et nos, quae » congruunt synodorum occidentalium, » acceptamus. »

tum 29 « An ibi adsint Parochi, vel tantummodo simplices Missionarii. » responsum fuerat a Vicario Apostolico : *Praefectus R. D. Groof est Parochus civitatis Paramaribo , et Missionarius Gerardus Schepers Parochus est Nicheriensis, a Praefecto delegatus.* Ad quaesitum 32, « Quot sint Parochiae? » Responsum fuit: *Tres sunt parochiae, nempe* 1. *in civitate Paramaribo;* 2. *in leprosorum constitutione Batavia.* 3. *in superiore parte Nicheriae.*» Item ad quaesitum 30. « An parochi sint perpetui , vel ad nu- » tum amovibiles; et an missam celebrent festis diebus pro po- » pulo. » Responsum fuit: *R. D. Praefectus Parochus est perpetuus, Parochus autem Delegatus, ad nutum amovibilis. Tam Parochi, quam Missionarii, si aegritudine non arceantur , quotidie celebrant missam, eamque dominicis et festis pro populo.*

Investigabat porro Consultor , an veri Parochi illi dicendi sint, vel potius simplices Missionarii; et an paroeciae, debeant potius dici simpliciter ecclesiae. Etenim idem Vicarius Apostolicus ad quaesitum 31, quo petebatur, a quo eiusmodi Parochi eligerentur, responderat: *Parochus eligitur a S. Congregatione de Propaganda Fide.* Sacra autem Congregatio, non Parochum, sed tantum Missionarium, seu Missionis Praefectum eligit. Item ad quaesitum 33, quo indicari debebant fines singularum paroeciarum, responderat: *Parochiarum fines sunt Oceanum, ripae, flumina, et silvae vacuae.* Praesenti autem tempore, ex literis aliisque documentis colligebatur , missam *pro Populo* ab omnibus missionariis applicari, *nonnisi pro devotione,* omnesque generico Missionarii nomine appellari. Ex his , aliisque similibus validis coniecturis Consultor arguebat , neque veros parochos , ea in missione haberi, neque veras parochias, ideoque quinto dubio respondendum esse opinabatur: « negative, et dentur decreta 28 Ia- » nuarii 1780, et 5 Februarii 1803.» Haec decreta supra relata sunt.

Circa dubium sextum animadvertebat Consultor, deesse elementa ad iudicandum necessaria ; nam ab Episcopo significari *saltem* debuerat, an paroecia, de qua est sermo, unita sit episcopali mensae, *unione plenaria* et *extinctiva ,* vel *secus* (1). Si enim unio plenaria, et extinctiva tituli non sit, unius missae celebratione non videbatur Episcopus satisfacere posse duplici

(1) Vid. pag. 9 §. *Quando.*

obligationi. Ad rem afferebantur ea, quae leguntur in causa *Visen. Applicationis Missae pro populo diei* 17 *Dec.* 1803, agitata apud S. C. Concilii, §. *Ex Tridentino.* - ibi - « Ex Tridentino sta- » tuitur, quod praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus » animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his » sacrificium offerre; atque idcirco, si Episcopus retinet curam » paroeciae cathedralis, ipse applicare tenetur missam pro po- » pulo. Neque si Episcopus, tanquam totius dioecesis Parochus, » pro universo grege missam applicat, idcirco eximi poterit ab » applicanda missa pro Parochianis. Nam si ipse curam paro- » chialem Cathedralis gerit, ne dum pro universo grege, sed » etiam pro ovibus Paroeciae duo distincta sacrificia offerre de- » bet.... Id quod optime noscit vigilantissimus Episcopus, dum » nihil aliud postulat, quam, ut suo sumptu missa alternatim » a Parochis applicetur. Quamquam vero applicatio missae pro » populo ita Pastoribus imposita sit, ut per se, et non per alium » substitutum eam implere debeant: attamen, si quod subsit » necessarium impedimentum, eisdem S. Congregatio permittit, » ut per alios supplere possint. Impeditus autem legitime vide- » tur Episcopus, ne applicationem pro Parochianis praestare » possit, dum id pro universo grege facere tenetur. » Item in §. *Merito* eiusdem causae, nec non in altera causa *Nullius Sublacen.* 12 *Septem.* 1824 §. *Rursus* (1) - ibi - « Atque ita hoc onus » (missae pro populo) personam Parochi, curam actualem haben- » tis, respicit, ut, si Episcopus curam actualem retineat paroe- » ciae cathedralis, etiam ab ipso sacrum pro populo sit per- » agendum. Neque, si Episcopus tanquam totius dioecesis Paro- » chus pro universo grege missam applicet, idcirco eximi poterit » ab applicanda missa pro Parochianis, uti admonet etc. »

Quando enim unio plenaria facta non sit, remanet *titulus et officium,* quod natura distinguitur ab episcopali titulo, et officio; et ideo distincta remanent onera iisdem adnexa. Eiusmodi autem doctrina locum videbatur obtinere in praesenti casu, in quo Episcopus utrumque titulum nominabat, adeo ut Paroecia non consideraretur uti pars dioecesis ab Episcopo peculiariter administrandae; et ceteroquin eiusmodi paroeciarum uniones men-

(1) Vid. pag. 268 in nota.

sae episcopali, ob quas titulus et parochi officium extinguantur, fieri non solent. Verum, ad modum quod attinet, exequendi hanc obligationem, Consultor non praetermittebat insuper adnotare, duplicem legem opponi. Prima quae declarat hanc obligationem personalem esse, et ideo prohibet eius implementum per substitutum; (1) altera est quae determinat dies festos, et prohibet translationem sine dispensatione, *Const. Cum semper oblatas*. Quin imo, non videbatur per seipsum laudatus Episcopus dictam paroeciam administrare posse, quae distat a cathedrali, viginti circiter passuum millia. Quare opinabatur Consultor respondendum esse quinto dubio « iusta exposita, negative, et ad mentem: » mens autem Consultoris erat, quod si Episcopus in urbe (paroeciae) non constituerit Vicarium pro paroeciae administratione, hunc constituere deberet, et per eum, satisfacere quoque obligationi missae pro populo; in determinatione autem congruae, ratio haberetur dicti oneris, iuxta §. 9 Constitutionis, *Cum semper oblatas*.

Eiusmodi autem Consultoris opiniones, plenissime probatae a S. Congregatione fuerunt, prouti ex sequentibus patebit.

Dubia.

I. « An Vicarii Apostolici et Missionarii, qui quovis modo » suscipiunt animarum curam, in aliquo determinato loco, tene» antur indiscriminatim *ex iustitia* applicare missam pro populo, » diebus festis. »

« Et quatenus negative. »

II. « In quosnam Vicarios Apostolicos, et Missionarios eius» modi onus incumbat? »

III. « An illis, qui ex iustitia non tenentur, responderi de» beat: *Decere ex charitate,* vel, *teneri ex charitate,* ad applican» dam missam pro populo. »

IV. « An, probata formula - *teneri ex charitate,* - haec intel» ligi debeat de obligatione *sub gravi.* »

V. « An Vicarius Apostolicus Surinae, ceterique Missionarii

(1) S. Congr. Concilii *in Fesulana missae parochialis* 26 *Ianuarii* 1771; *et in Castri Alb. Visit. SS. LL.* 18 *Iulii* 1789 *ad II. dubium.*

» eiusdem Vicariatus, teneantur ad missam applicandam pro » populo. »

VI. (1) « An Episcopus (N.) qui officium Parochi exercet, » applicatione missae pro suis dioecesanis, satisfaciat quoque » obligationi, qua tenetur ob Parochiale officium.»

VII. « Si idem Episcopus non satisfaciat obligationi Parochi » propriae, quoad applicationem pro populo, quid dicendum su- » per praeteritis omissionibus? »

Resolutio dubiorum. — Sacra Congregatio de Propaganda Fide, discussis quaestionibus in comitiis habitis die 23 Martii 1863 respondere censuit:

Ad I. *Negative, dummodo non agatur de locis in quibus Sedes episcopalis, ac paroeciae, canonice erectae iam sint, atque ad ea Vicarius Apostolicus, et Missionarii, missi sint ut legitimorum Pastorum vices gerant.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Vitandam esse locutionem* – teneri ex charitate; – *dicendum autem esse:* – decere ex charitate, – *idque ita, ut nulla propriae dictae obligationis significatio appareat.*

Ad IV. *Provisum in tertio.*

Ad V. *Negative, et dentur decreta* 28 *Ianuarii* 1780, *et* 5 *Februarii* 1803.

Ad VI. *Iuxta exposita, negative, et ad mentem.*

Ad VII. *Ad D. Secretarium cum SSmo.*

Dubiorum autem formulae, Orientales ecclesias respicientes, quibus Emi Patres in eadem Congregatione responderunt, sunt sequentes.

Dubia.

I. « An obligatio applicandi missam pro populo, quae secun- » dum ius ecclesiae occidentalis imponitur Episcopis et Paro- » chis, locum pariter habeat in iisdem personis ritus orien- » talis. »

(1) Hoc dubium, quod hic venit sub numero VI., in ea causa erat IX. Duo enim alia dubia inserta, quae respiciebant modum quo prospici deberet Vicariatui Surinae, reliquimus, quibus responsum fuit: *provisum in V.*

« Quatenus affirmative.»

II. « An, quoad dierum determinationem, servari debeant le- » ges et consuetudines rationabiles, quae vigere reperiantur, in » aliquibus dioecesibus eiusdem ritus. »

III. « An, in defectu talium legum, et consuetudinum, eius- » modi dierum determinatio, fieri debeat iuxta normam, et in- » tegram extensionem legum occidentalium. »

IV. « An ob graves rationes et circumstantias, locus fieri » possit alicui reductioni dierum, qui determinati sunt a legibus » occidentalibus, et deveniri etiam ad totalem dispensationem, » obligatione tamen iniuncta orandi pro populo, in iisdem mis- » sis quae applicari pro eodem deberent. »

Resolutio dubiorum. — Eodem die et anno S. Congregatio respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Provisum in tertio, et ad mentem* (1).

Ex iis inter alia plura colliges:

I. Ex natura pastoralis officii in ecclesia divinitus instituti (2), sicut obligatio eruitur agnoscendi oves suas (3), easdemque pascendi verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo etc. (4); ita etiam erui obligationem offerendi pro his sacrificium (5).

(1) Mens autem S. Congregationis fuit quod, secundum opportunitatem inculcaretur Episcopis ecclesiae orientalis obligatio, qua, etiam in ea, gravantur animarum Pastores applicandi aliqua vice missam pro populo; et in eo quod ad determinationem spectat dierum, iisdem exponeretur disciplina occidentalis ecclesiae, ut, ex hac normam habeant, ad dignoscendum, usque dum ea convenire posset in eorumdem dioecesibus, et quocumque in casu ad proponendum S. Sedi eas moderationes, quas necessarias putaturi essent. Adeo sapiens, et aequa est disciplina S. Sedis!

(2) *Ioannes XXI.* 15 - 17. « Pasce » agnos meos, pasce oves meas.»

(3) *Ioan. X.* 14. « Ego sum Pastor bo- » nus: et cognosco (oves) meas, et cogno- » scunt me meae.»

(4) *Petri V.* 2, 3. « Pascite qui in vobis » est gregem Dei, *providentes* non coa- » cte, sed spontanee *secundum Deum:* » neque turpis lucri gratia, sed volun- » tarie: neque ut dominantes in cleris, » sed *forma facti gregis ex animo.*»

(5) Sacrificium illius, qui posuit animam suam pro ovibus suis. *Ioannes X.* 15.

II. Hoc autem pastorale officium, sua integritate, in Episcopis ex divino iure residere.

III. Ex ecclesiastico autem communi iure, Parochis committi huius pastoralis officii partem, quae ex sese et ex ratione qua committitur, sufficiens est ad gignendas dictas obligationes.

IV. Ea namque ratione committitur, ut assumptione parochialis officii, Parochus fiat Pastor proprius concrediti gregis, quamvis talis Pastor, et concreditus grex, immediatae vigilantiae, et solicitudini pastorali subsint altioris ordinis Pastoris, qui est Episcopus (1).

V. Hinc colliges, multum differre a Parochis Missionarios, qui ex missione seu delegatione S. Sedis, vel etiam Episcoporum pro suis dioecesibus, praecones tantum sunt divini verbi, et mysteriorum Dei dispensatores.

VI. Quare ex divino iure, multoque minus ex ecclesiastica lege, Missionarii non tenentur offerre sacrificium pro populo, quamvis eo animo sint plerumque comparati, ut non solum sacrificium pro populo offerant, sed etiam animam suam dent pro fratribus suis.

(1) In cap. 9 *Conc. Trid. sess. XIV. de Reform.* haec habentur « Et quia iure » optimo distinctae fuerunt dioeceses et » parochiae, ac unicuique gregi, proprii » attributi Pastores, et inferiorum eccle- » siarum Rectores, qui suorum quisque » ovium curam habeant, ut ordo eccle- » siasticus non confundatur.» *Et cap.* 13 *sess.* 24 *de Reform.* «In iis quoque civita- » tibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae » certos non habent fines, nec earum Re- » ctores proprium populum, sed promi- » scue petentibus sacramenta admini- » strant, mandat Sancta Synodus Episco- » pis, pro tutiori animarum eis commissa- » rum salute, ut distincto populo in certas » propriasque parochias, unicuique suum » perpetuum, peculiaremque parochum as- » signent, qui eas cognoscere valeat, et a » quo solo licite sacramenta suscipiant, » aut alio utiliori modo, prouti loci quali- » tas exegerit provideant. Idemque in iis » civitatibus ac locis, ubi nullae sunt pa- » rochiales, quamprimum fieri curent.»

Ex hoc parochialis officii conceptu eruitur, quam arctum sit illud mutuum vinculum inter Parochum, et parochianos, quod analogice comparari solet cum etiam vinculo illo intimo, quod inter coniuges existit. Hoc autem mutuum vinculum fons est iurium et mutuarum obligationum, et quidem gravissimarum, quae inter Pastorem, et concreditum gregem intercedunt.

Haec vero nullimode aptari possunt Missionariis, quorum obligationes repetuntur non ex officio, ex communi iure statuto, sed ex officio a Mittente imposito, et sponte plerumque suscepto, vel etiam ex charitate in urgente necessitate populi (non quidem in applicanda missa pro populo, uti bene demonstravit Consultor) qui, ministerio necessario, in Missionariorum praesentia indigeat.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

MATRIMONII.

Die 24 *Septembris* 1864.

Compendium facti. Iamdiu Patre orbata erat Agnes Americae regionis puella, et sororum suarum natu minima, annum 13 aetatis quatuor mensibus excesserat, quando importunis suae Matris suasionibus, et instantiis matrimonium contrahere adacta est cum Titio concive.

Ea porro ratione Mater inducere Agnetem ad hoc ineundum coniugium nitebatur, quia sibi animo persuaserat, Titium Lugduni vindicaturum fore pinguem haereditatem, quae ab intestato Agneti obtigerat. At Puella animum suum huiusmodi nuptiis adversum iugiter praemonstrabat.

Contigit autem, ut, re adhuc infecta, Titius Lugdunum demigrare coactus fuerit, ideoque negotium Patri suo concrediderit, ita ut si Agnetis voluntas ad nubendum inclinaretur, ipse personam filii gereret in matrimoniali contractu, ad quem finem literas procuratorias reliquit. Res secundum Titii opinionem cecidit. Itaque, conquisita statim, et impetrata, super publicationibus matrimonio praemittendis, dispensatione, verba sacramentalia Agnes et Titii Pater, nomine filii absentis, coram Parocho et testibus protulerunt.

Hoc celebrato connubio, Titius quidem praefatam Agnetis haereditatem Lugduni vindicavit: sed immemor cuiusvis maritalis officii, ipsum epistolare commercium abscidit. Per Europam enim cursitans, ludum, et perditas mulieres flagitiose prosequens, vindicatum Agnetis patrimonium profundens, nunquam in Americam rèversus fuisse videtur.

Quare infelix puella, suis bonis spoliata, cum nec libera, nec nupta videretur, animum convertit ad suum Archiepiscopum, efflagitans, ut irritus declararetur matrimonii contractus. Instituto itaque et confecto aliqua ratione, causae processu, et

Romam misso, supplex simul Puella petiit, ut saltem super matrimonio tantum rato SS̃mus dispensaret.

Tum preces, cum processuales tabulae, subiectae sunt examini in S. Congregatione Concilii, in iis tamen non pauca desiderabantur, quae iuxta praescriptum ss. Canonum, et Constitutionem Benedicti XIV. incipientem, *Dei miseratione,* in conficiendo hoc processu observari oportet. Namque deerant iudiciales interrogationes tum Agneti, tum Titio faciendae; deerant testimonia, quae in iure dicuntur *septimae manus,* eorumdem coniugum propinquorum (1); deerat demum praesentia Defensoris

(1) In capite 5 *De frigidis et maleficiatis,* haec interseruntur: « si autem quod « nunquam se invicem cognoverint ambo » fatentur, *cum septima manu propin-* » *quorum vel vicinorum bonae famae* » (si propinqui defuerint) tactis sacro- » sanctis Evangeliis etc.» Item in capite 7 eiusdem tituli in fine legitur: «Quo- » circa mandamus quatenus ita est, et » constiterit vobis praefatum virum et » mulierem .... insimul habitasse: ipsis » *cum septima propinquorum manu* fir- » mantibus iuramento, se commisceri » carnaliter nequivisse, proferatis divor- » tii sententiam inter eos. »

Ad completum itaque processum, de quo sermo est, iuxta ss. canones, maxime si agatur de matrimonii consummatione, requiritur testimonium *septimae manus,* quod non est aliud, quam attestatio iurata septem testium ex utroque latere, scilicet quatuordecim propinquorum, vel vicinorum. Videtur dici *manus,* quia est velut auxilium, ad confirmandum illud, quod coniuges sub iuramento deposuerunt, et ad arcendam collusionem, quae inter ipsos coniuges fieri posset. Possent enim coniuges in iudicio agere ex condicto et collusione, ad iudicem decipiendum, ut sententiam pro sua quisque libertate obtineat, dum contra reapse obstricti sunt, et devincti manere deberent vinculo coniugali. Ad haec itaque evitanda et ad augendas probationes, (agitur enim de re gravi, in qua omnis cautela, quae adhiberi potest, adhibenda est, prouti notat Glossa in *cit. cap.* 7) audiendi sunt in iudicio propinqui utriusque coniugis, vel vicini; illi nempe qui ex consuetudine, et colloquiis, aliisque modis, melius quam ceteri cognoscere possunt coniugum vivendi modum, et ea quae intra domesticos eorumdem parietes obveniunt.

Ob hanc causam, ad arcendas nempe fraudes, et collusiones, easque superandas, Benedictus XIV saluberrima Constitutione praescripsit, ut in his causis vinculi matrimonialis Defensor haberetur. Etenim cum facillime dari possit casus, in quo vir et mulier unam tantum in iudicio personam repraesentent, quamvis apparenter videantur contendere, deesset altera persona cum qua contenditur, ea nempe quae representet iura vinculi matrimonialis contra quod coniuges agunt; et ideo constitutum est, ut in huiusmodi causis semper interveniat matrimonii Defensor, qui pro matrimonii validitate, prouti par est, insistat et agat.

Huiusmodi Defensoris necessitas detegitur etiam in aliis causis, quae similitudinem quamdam habent cum causis matrimonialibus, cuiusmodi sunt causae quae agitantur ad demonstrandam nullitatem professionis religiosae, in qui-

matrimonii, qui iuxta dictam Constitutionem Benedicti XIV. interesse debet his iudicialibus actis, etc.

Itaque rescriptum fuit ad Archiepiscopalem curiam, ut ad tramites instructionum, quae eidem transmittebantur, actorum defectibus, novo suppletorio processu, remedium pararet; scriptumque pariter fuit ad Parisiensem Antistitem (namque fama ferebat Titium Parisiis tum degere) ut deputato Defensore matrimonii, aliisque servatis de iure servandis, iudiciali examini, per interrogationes ab ipso Defensore faciendas, Titium subiiceret, tum super assertis causis nullitatis, tum super causis dispensationis matrimonii, et confecti examinis summa, in forma authentica ad S. Congregationem remitteretur.

Ex parte curiae Agnetis confectus transmissusque est suppletorius processus, qui factus fuit coram Vicario generali, et Defensore matrimonii specialiter deputato: Agnes nempe interrogata est, emisso iuramento de veritate dicenda, super causis nullitatis, et dispensationis matrimonii, et nominatim super non consummatione matrimonii eiusdem. Receptae insuper fuerunt propositiones Agnetis, quibus indicabat de qua re interroganda esset sua mater, aliique nominati a se testes, circa vim metumve, et non consummationem.

Archiepiscopus autem sententiam suam hisce verbis patefecit: « His quae ab Oratrice probata apparent, circa nullitatem » matrimonii a se contracti, nihil a me addi potest; quia, vis » et coactio, de quibus fertur, tantum in domestica consuetu- » dine gestae sunt. Quod autem ad dispensationem attinet, credo » esse veluti necessariam ad salutem coniugum: nam maritalis » eorum coniunctio impossibilis evadit.... Et quidem, pro di- » spensatione concedenda, ulli dubitationi locus esse non po- » test circa qualitatem matrimonii, nullo modo autem consum- » mati; quia absentia (Titii) ab hac regione, ex quo matrimo- » nium per procuratorem contractum fuit, notoria omnino est, » ob causam, qua ille abesse compulsus est... »

bus pariter ex Constitutione Benedicti XIV. *Si datam,* exigitur Defensor, qui iura tueatur religiosae professionis, adversus quam Religiosus agit. Item per quamdam extensionem, ob causarum similitudinem, usu receptum est apud S. C. C. ut Defensor habeatur sacrae Ordinationis, quando ille, qui ss. Ordinibus initiatus est, contra ss. Ordines, vel onera eisdem adnexa, agere contendit. De quibus, vide, si placet, causas quas retulimus pag. 25, et pag. 328.

Parisiensis autem Antistes, Titium Parisiis reperire non valuit, ideoque opus fuit, ut per publicas ephemerides citaretur, ut coram S. Congregatione C., stato termino, se sisteret: quod etiam frustra factum est. Nihilominus in cognitionem deveniens Titius, causam suam agi penes Apostolicam Sedem, supplicem misit libellum, ab eadem Parisiensi curia authentice recognitum, quo a R. Pontifice solutionem matrimonii tantum rati, postulavit.

Testes autem iurati eorumque testimonia ad haec reducuntur. Testis A. quae foemina erat aetatis 30 annorum, declaravit in iudicio: « sibi ex propria scientia constare, Agnetis Matrem severitate pertractasse filiam suam, et eiusdem filias in qualibet re voluntatem propriam non habuisse; quadam die proxima matrimonii celebrationi, ob futilem rationem, alapas matrem dedisse Agneti, et alteri filiae, ita ut flerent: Agnetem nupsisse aetate 13 annorum supra quatuor menses: se non detegisse in Agnete amorem erga Titium, licet frequenter et familiariter cum Agnete usa esset: se quadam die praesentem fuisse, dum Agnes conversari noluit cum Titio, quando eam in uxorem petiit, et audivisse, ob eiusmodi acceptam repulsam, Titium obiratum, dum e domo Agnetis in propriam se conferret, proiecisse in flumen pileum suum: se accepisse a quodam viro, qui in Europa cum Titio consuedinem habuit, ipsum Titium de aliis agere nuptiis cum muliere europea, eumque perditis moribus esse inquinatum; constare matrimonium Agnetis non fuisse consummatum, quia Titius nunquam rediit etc.»

Ceteri vero testes qui fuerunt in iudicium inducti ab Agnete uno ore fatebantur, Titium post discessum ab America, nunquam eo rediisse, neque Agnetem e propria urbe discessisse, et hoc veluti factum notorium tradebant; insuper miserum Agnetis statum compatiebantur, cum ex aliis causis, tum ex incontinentiae periculo. Quod vero attinet ad coactionem illatam haec deposuerunt.

Testis B. qui multis annis amicitia iungebatur cum utriusque coniugis familia, declaravit: « sibi persuasum esse locum habuisse violentam coactionem, a Matre filiae suae illatam, ut matrimonium compleretur, ob oscitantiam, et etiam resistentiam Agnetis, quae coecis oculis praeceptis Matris obediverat.»

Testis C. qui Agnetis familiam noverat declaravit: « se a Matre Agnetis accepisse, per obedientiam filiam suam nupsisse, quamvis abhorreret ab huiusmodi nuptiis. »

Testis D., qui a quatuor tantum annis, familiam Agnetis noverat, ex auditu testatus est: « necessarium fuisse minas a matre fieri, ut Agnes matrimonio consentiret. »

Denique alter testis consobrinus Titii tantum fassus est, « Titium nunquam rediisse, et Agnetem e sua patria nunquam discessisse, reliqua vero ignorare. » Superest Matris testimonium, quod infra habetur. Agnes autem iuramento confirmavit, « se, coactam fuisse ad emittendum consensum in matrimonium, ob absolutum Matris imperium, et caput quidem flexisse, non vero voluntatem; et matrimonium nunquam fuisse consummatum. »

Concinnatis itaque dubiis iuxta morem in aula secretariae S. C C. ab utroque Defensore, tum mulieris, tum matrimonii sequenti ratione disceptatum est.

Disceptatio synoptica.

Defensio agnetis circa primum dubium. — Agnetis Defensor praemissis nonnullis circa extrinsecam actorum formam, ad causae meritum deinde accedens, ex testium depositionibus eruebat, Agnetem *per imperium, minas, punitiones, reclusiones* fuisse a Matre severae indolis, adactam ad contrahendum, ipsamque autem Matrem in proprium dedecus ea omnia in iudicio confirmasse sub iuramento nimirum: « Agnetem *abhorruisse* a nuptiis cum Titio, eamque, ut consentiret, *punitionibus, et reclusionibus* affecisse; ipsamque filiam reluctantem fuisse usque ad *ultimum terminum:* se abusam fuisse materna auctoritate; suamque indolem severam esse, obedientiamque absolutam exigentem a suis filiis; Agnetem autem iuniorem caeteris *meticulosae indolis, suae matris voluntati resistere non potuisse.* »

Nec defuisse, adiiciebat Defensor, tricas et artes ad Agnetem circumveniendam, cuiusmodi sunt, et mandatum Titii suo Patri relictum, ut capta opportuna occasione, hic, nomine filii, contraheret; et dispensatio extorta super praerequisitis publicationibus, ut sine mora, puellae invitae perpetuum iugum imponeretur. Haec porro omnia adversus orphanam, tenerae aetatis puellam,

indole trepidam, sufficientia esse contendebat, ad vim metumve gravem constituendum, quo matrimonium nullum redditur. Namque metus hic, etiamsi, reverentialis existimari velit, cum gravis sit, matrimonium infirmat. Reiffenstuel *Lib.* 3 *decret. tit.* 31 *De Regul.* §. 165 S. Rota *decis.* 23 *part.* 12 §. 12 *et seq.* in qua ad rem reperitur similis causa matrimonii, quod declaratum fuit nullum ratione talis metus prouti ibidem legitur: « Pro nul» litate matrimonii (per vim et metum), multum venit inspi» cienda, tam qualitas personae illum inferentis, quam patientis » metum, ut in proposito casu erant parentes adoptivi, qui An» gelam impellebant ad matrimonium: dubium autem non est, » quin ex debita reverentia erga illos, sublata fuerit Angelae » libertas aperte dissentiendi tali matrimonio, ut dicatur fuisse » vi et metu contractum. Angela vero erat puella annorum 13, » et alio auxiliatore destituta. In interpretatione enim iusti me» tus, fit discrimen inter virum et mulierem; quia minor metus » in ista, quam in illo requiritur, Glossa.... et in puella tenerae » aetatis, minor sufficit metus, quam in adulta, et perfectae aeta» tis; quem metum, et violentiam potissime quoque indicant illa» tam, nimia aversio, et repugnantia Angelae, ante et post ma» trimonium, accipiendi Lucium in virum.... Hanc quoque vo» luntatem et parentibus ipsis studuit patefacere, ut illos ab » huiusmodi proposito amoveret..... Quibus etiam addebatur » asperitas, et saevitia Margaritae, quae, ut dicunt testes, erat » etiam solita minas exequi; nec non illius et Hieronymi sua» siones, et importunae preces pariter emissae a persona, cui » debebatur reverentia, iustum metum incutiunt, et vim co» actionis habent, et e contra obsequium, et reverentia puellae » in dictos parentes adoptivos, quae qualitas est multum con» siderabilis etc.» Item S. C. C. *in Lunen. Sarzanen.* 22 *Iunii* 1833 §. *haec* et alibi.

Neque defuisse praeterea eiusmodi coactionem, in ipso etiam celebrationis actu, ostendebat Defensor ex confessione iurata ipsius Agnetis; nec non ex interrogatoriis quae proposuit Agnes, suae Matri faciendis, nempe: « dicat mater mea, quae nihili fecit » meam voluntatem, neque aetatem in qua eram,.... et quomodo, » cum ego huic matrimonio resisterem, mihi minata sit, et ti» more acris punitionis me induxerit ad dicendum coram Sa-

» cerdote, qui impertitus est mihi nuptialem benedictionem, me » exoptare unionem illam, quam repudiabam, et naturali instinctu » nolebam.» Quae confirmabat Defensor opportunis testium declarationibus.

Ceterum (prosequebatur), quamdiu eadem causa et ratio illati metus perdurat, metus quoque illatus perdurare censendus est, De Iustis *De dispens. Matrim. l.* 2 *c.* 12 §. 61 Reiffenstuel *L.* 1 *Decret. tit.* 40 *n.* 102.

Pluribus autem aliis, pari eruditione, ostendere contendebat Defensor, metum deinde non fuisse purgatum per spontaneum Agnetis subsequentem consensum; neque id fieri potuisse ex doctrina S. C. C. quae exponitur in *Caesenaten.* 10 *Aprilis* 1723 §. *Ut quatenus* (1).

Quae observarentur ab eodem Defensore circa secundum dubium. — Gradum deinde faciens ad secundam dubiorum formulam, accurate perpendebat, duo simul demonstrari debere ad dispensationem imploratam obtinendam, quorum primum est ut demonstretur nunquam fuisse matrimonium consummatum, sed ratum tantum mansisse. Alterum autem, ut iustae causae dispensationis habeantur.

Ostendebat autem *primum* ex omnium testium iudiciali confessione, qui, uno ore, testati sunt Titium patrios lares nunquam revisisse, nunquam in Americam rediisse; hoc autem factum tradebant uti publicum et notorium, cui attestationi veluti culmen, Archiepiscopi testimonium accedebat. Hac porro *coarctata* temporis, nempe et loci, nulla alia probatio est validior. Ideoque concludebat, in praesenti causa non exigi aliam probationem, quae ceteroquin necessaria esset, si eiusmodi *coarctata* temporis et loci non haberetur, Ursaya *Tom.* 3 *dis.* 23 *n.* 140 et apud S. C. C. *in Chien. Matrimonii* 15 *Decemb.* 1792 §. *Matrimonii Ianuen. Dispensationis* 27 *Aprilis* 1844 et alibi.

Ostendebat vero *secundum* ex enarratis usque adhuc facti adiunctis. Si enim, quae exposita sunt, non pertingerent ad vim illam, metumve demonstrandum ad effectum de quo agitur, denegabit nemo, dubium grave saltem ingerere de matrimonii validitate. At metus ille qui minus idoneus reputatur ad matrimonii

(1) Doctrinam hanc iam exposuimus in causa *Matrimonii pag.* 23 §. *Repellebat.*

nullitatem declarandam, sufficiens tamen causa dicitur, ad dispensationem obtinendam, *Bracharen. Matrimonii diei* 25 *Ianuarii* 1823 §. *In medium.* Dubium enim super adducta causa nullitatis, dispensandi rationem suppeditat.

Eo vel magis quod in praesenti casu aliae specialesque rationes concurrerent, cuiusmodi sunt perditi viri mores, qui cum honestae puellae moribus cohaerere non poterant; nec non iusta miserrimae Agnetis aversio, quae in dies vehementer crevit. Propterea quaelibet maritalis coniunctio frustra sperari poterat. Eiusmodi autem causas, aiebat Defensor, idoneas ex sese esse, ad impetrandam dispensationem. *Ianuen. Dispens.* 27 *Aprilis* 1844 §. *Altera.*

Defensio matrimonii circa primum dubium. — E contra matrimonii Defensor initio animadvertebat, processus acta sanari non potuerunt ex eo quod postea, commisso a S. Congregatione supplemento processus, fuerint summatim repetita atque accepta a Defensore matrimonii. Opus enim erat redintegrare acta cum forma substantiali. Quod enim ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Perpendebat insuper in actis processualibus desiderari adhuc, et requisitam inspectionem, et testimonium *septimae manus.* Poterat enim in iudicium vocari vitricus Agnetis, eiusdem amici tempore nuptiarum, nec non domestici illius temporis, item Pater et fratres Titii etc.

Ad causae vero meritum deveniens, praemittebat, matrimonium contractum iuxta formam Tridentinam, infirmari non posse, nisi apertissime demonstretur vis et metus, qui sit talis indolis, cui resistere non valeat vir constans, tenax propositi sui, et iniuste inferatur ad obtinendum consensum in matrimonium.

Porro contendebat eiusmodi vim et metum ex actis nullimode ostendi. Non enim quamlibet auram timoris, non naturalem timiditatem, non imperiosae voluntatis habitum, metum illum constituere aiebat. Censebat enim levem omnino esse metum de quo sermonem faciebant testes. Eo vel magis, quod eosdem testes variis exceptionibus obnoxios esse existimaret. Matris enim testimonium suspectum dicebatur, ex praesenti filiae conditione, et quia in propriam culpam, et turpitudinem emissum; contra ceteros vero testes excipiebat, vel quod non testarentur ex propria scientia, vel quod violentia, de qua testantur, gra-

vis non fuerit, et non illata ad matrimonii consensum extorquendum.

Ceterum, subiungebat, etsi dici velit, reverentialem timorem infirmare posse matrimonium, eiusmodi tamen timorem, gravibus adiunctis septum esse debere, Cosci *De separat. tori l.* 1 *c.* 8 *n.* 72 *et seqq.* Clericatus *dec.* 37 *de matrim. n.* 24 in quo haec scribit: « Metus reverentialis dupliciter consideratur, vel » cum periculo alicuius gravis mali, vel sine periculo. Primo » modo quando filius, vel filia non obtemperans voluntati patris, » aliusve inferior non exequens iussa sui maioris, timet ratio- » nabiliter reddere illum sibi infensum, superciliosum, torve » aspicientem, nec placide loquentem et multo magis, si audiat » eumdem verba opprobriosa dicentem, vel ictus aut verbera » minantem, aut alias mortificationes in se promittentem, quae » omnia reputantur in filio mala gravia et insupportabilia. Se- » cundo modo consideratur metus reverentialis absque periculo, » videlicet, quando filia vel subditus, non parens patri, sive su- » periori suo, patitur quidem aliqualem pudorem et verecun- » diam; sed scit parentes, vel superiores, indignationem non » esse servaturos, neque ad vindictam, vel punitionem aliquam » fore transituros; imo de facili se reddere placatos, ut disse- » runt Salmanticenses *c.* 9 *n.* 53, ubi his praenotatis, dicunt, me- » tum reverentialem, primo modo consideratum, esse impe- » dimentum dirimens matrimonii: non etiam secundo modo » acceptum, iuxta communem DD. sententiam, quos sequitur » Sanchez etc. »

Hac doctrina exposita, in praesenti casu locum habere aiebat Defensor, metum illum secundo modo a Clericato consideratum. Nihil enim erat Agneti pertimescendum ab amantissima Matre, quae in orphanae filiae bonum, animum summopere intendebat.

Ea quae observaret matrimonii defensor circa secundum dubium. — Ad alterum dubium Defensor matrimonii expendendum deveniens, non constare de matrimonio adhuc rato, ex eo contendebat, quia, *coarctata* temporum, et locorum non satis demostrata videbatur.

Verosimile enim non esse perpendebat, intra spatium decem annorum, Titium nunquam reliquisse Parisios in facili itinere

triginta circiter dierum, ut salutaret natale solum, suos parentes, et expetitam uxorem. Et in suspicionem inducebatur Defensor, quia Agnes inspectionem per honestas matronas fieri declinaverat.

Ad causam autem dispensationis quod attinet, praemissa auctoritate Schmalzgrueber *Ius. can. univ. par.* 4 *tit.* 19 *n.* 53. affirmantis, gravem postulari causam, quia, cum agitur de iure divino urgentiora requiruntur motiva, negabat Defensor, huiusmodi graves causas in themate adesse. Namque non habetur metus, qui saltem dubium ingerat de coniugii validitate, et nihili faciendas esse censebat assertiones testium de pessima viri indole, utpote gratis factas. Deerat insuper causa gravis aversionis, et odii, quod esse non debet artificiose conquisitum. Quibus in adiunctis, non debere ad dispensationem procedi concludebat, variis allegatis exemplis.

Hisce itaque aliisque amplissime per Defensores disceptatis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An constet de nullitate matrimonii in casu. »

« Seu potius »

II. « An consulendum sit SS̃mo super matrimonio rato, et » non consummato in casu.»

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii causa cognita in comitiis diei 24 Septembris 1864 respondere censuit:

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Affirmative, et ad D. Secretarium cum SS̃mo, tam pro dispensatione, quam pro sanatione actorum.*

Ex iis colliges:

I. Attenta causarum matrimonialium gravitate, plures, specialesque solemnitates, in conficiendo processu, praescribi tum a ss. Canonibus, tum nominatim a Constitutione Benedicti XIV. quae incipit: *Dei miseratione* (1).

II. Irrita autem esse acta processus, si non observentur saltem substantiales solemnitates praescriptae.

(1) Vid. appendicem... in qua refertur generalis instructio S. C. C.; perquam utilis ea est, et prae oculis habenda ab iis, qui eiusmodi processus instituere debent.

III. Inter eiusmodi substantiales solemnitates, praecipuum obtinere locum interventum Defensoris matrimonii, acta iudicialia quodammodo dirigentis iuxta dictam Constitutionem.

IV. Quare acta sine huius Defensoris interventu confecta, non convalidantur per posteriorem simplicem ratihabitionem, seu recognitionem a testibus factam, praesente dicto defensore.

V. Eiusmodi autem convalidationem interdum fieri ab Apostolica Sede, si consideratis actis, et rei veritate tantum inspecta, vitia processus ad extrinsecam formam solummodo referantur.

VI. In praesenti autem casu, licet non omnes solemnitates praescriptae adamussim fuerint observatae (1); nihilominus, ea quae deducebantur, rei tantum veritate inspecta, sufficientia existimata fuisse, ad iudicium ferendum super secundo dubio.

VII. Colliges insuper ad obtinendam dispensationem super matrimonio, duo simul evidenter demonstrari debere: matrimonium nempe permansisse ratum, et causas graves concurrere, ut illud dissolvatur.

VIII. Inter graves autem causas recenseri coactionem passam ad ineundum coniugium, quamvis ea coactio non demonstretur sufficiens ad effectum declarandi irritum matrimonium.

IX. In praesenti autem casu, cum praedicta passa coactione, concurrisse etiam infelicem puellae statum, in quo, suis bonis viri malitia deperditis, neque libera, neque nupta esse videbatur.

(1) Processus enim constabat ex prioribus actis, sine interventu Defensoris confectis, et ex posterioribus praesente Defensore, quamvis priora acta sub iuramento fuerint recognita: deerat insuper examen propinquorum, vel vicinorum Titii: deerat examen, et iuramentum Titii ipsius.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA.

RESPONSA S. APOSTOLICAE POENITENTIARIAE SUPER IEIUNIO ET ABSTINENTIIS.

Occasione proximae Quadragesimae, utile esse putamus sub oculis Lectorum nostrorum ponere quamdam S. Poenitentiariae Responsorum seriem, quae iciunium et abstinentias ciborum respiciunt, quamvis plura satis nota sint, et in aliis ephemeridibus publicata (1).

(1) In eruditis ephemeridibus Italice conscriptis, quibus titulus *Archivio dell' Ecclesiastico*, pleraque omnia vulgata reperiuntur in fasciculo 2.° Hae ecclesiasticae ephemerides, quarum tertius iam incipit annus, commendatione dignae visae sunt ipsi Romano Pontifici, qui literis ad earumdem ephemeridum Directorem datis die 24 Februarii 1864, haec inter caetera scripsit: « oportet fideles, ac » praesertim adolescentem Clerum, ita in- » stitui, ut ei (*Petri Cathedrae*) pleno de- » vinciatur affectu, atque obsequio, sen- » tiatque et teneat, sanctam hanc Sedem in » qualibet quaestione, sive religionem, » sive iustum honestumque spectante, » lydium illum esse lapidem, cuius ope » veritas ab errore sit secernenda. Quam- » obrem cum Tu, ea duce, vulgare coepe- » ris Tuas ephemerides, quibus, in trepida » ista humanae societatis conditione, suc- » crescentem Clerum ad veritatis studium » informare proposuisti, quoad mores et » scientiam; summopere commendamus » consilium Tuum, oblatumque operis » exordium perlibenter, et grato animo » excipimus.»

Hae itaque ephemerides praecipuum scopum sibi proponunt promovendi iuvenes ecclesiasticos in varias scientias, et notitias opportunas et necessarias ad sacerdotalia officia utilius obeunda, ratione habita praesertim temporum, quibus vivimus, conditionis.

Notum enim est, iuvenes presbyteros e seminariis exeuntes, et sacris ministeriis operam navantes, scientias, quas in iisdem seminariis attigerunt, sive ex defectu temporis, sive adminiculorum, sive etiam incitamenti ad sacras scientias allicientis, colere facile non posse, multoque minus sibi ea comparare posse documenta et recentiores notitias, quae dum ad scientiarum profectum conducunt animumque excitant, exhibent eodem tempore remedia, quibus in ista deplorabili societatis conditione, possint aliquo modo tantis calamitatibus obsistere. Haec autem ecclesiastici viri eleganter et accurate exposita in his ephemeridibus reperient.

Prodit Florentiae singulis mensibus fasciculus, in cuius priori parte themata pertractantur ecclesiasticorum propria: alteram partem occupat Bibliographia: tertiam vero notitiae religiosae, et speciatim decisiones, seu decreta SS. Congregationum. Hisce partibus adiicitur appendix, in qua traduntur, iuxta ordinem chronologicum, facta praecipua, quae ad ecclesiasticam historiam referuntur: integre, vel synoptice secundum oppor-

Praemittimus septem dubia, quae proposita fuerunt S. M. Benedicto XIV., et ab eodem soluta, quae leguntur in literis datis ad Archiepiscopum Compostellae die 10 Iunii 1745, et sunt sequentia:

I. « Utrum quae in antedictis nostris literis in forma Brevis » de unica comestione, et de epulis non permiscendis praescri- » buntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur.»

Resp. *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis his adiectis conditionibus, videlicet unice in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

II. « An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in » vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quae ieiu- » nantibus permittitur.»

Resp. *Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae meticulosae conscientiae.*

III. « An qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur, » et unica comessatione uti debent, horam ieiunantibus praescri- » ptam servare opus habeant.»

Resp. *Observandam esse.*

IV. « Quaenam sunt epulae licitae, quae vetantur cum in- » terdictis iis coniungi ? »

Resp. *Epulas licitas pro iis quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, ideoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.*

tunitatem publicantur notitiae, et documenta, quae Rmi Locorum Ordinarii communicant Directioni earumdem ephemeridum; ratio etiam, et quidem accurate, habetur de re civili, ad Italiam spectante quantum Ecclesiasticis sufficiat etc.

Sex fasciculi volumen complent constans saltem paginis 576.

Pretium associationis annuum in tota Italia (excepta Venetiarum ditione) est fr. 10; pretium semestre, fr. 6; extra Italiam ratio habenda est maioris dispendii faciendi in fasciculorum missione.

Associationes incipiunt mense Ianuarii et mense Iulii. Qui associari cupiunt dirigant literas cum associationis pretio hisce verbis inscriptas: *All' amministrazione dell'Archivio dell'Ecclesiastico. Via dei Servi n.° 9 Firenze*, et si opus sit, *Italia.*

V. « An praeceptum de utroque epularum genere non mi-
» scendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur.»

Resp. *Complecti.*

VI. « Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla
» Cruciatae edere possunt ova et lacticinia.»

Resp. *Nihil in praenunciatis nostris Apostolicis Literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatae Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte, et considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.*

VII. « Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Qua-
» dragesimam.»

Resp. *Urgere extra Quadragesimam utrumque praeceptum: illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis: et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.*

SEQUUNTUR ET ALIAE DECLARATIONES PER S. POENITENTIARIAM EMISSAE.

1. « Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestio-
» nis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam X. et XI.
» matutinas, prandium vero differendo ad IV. et V. horam ve-
» spertinas. »

Responsum est die 19 Ian. 1834: *Si inversionis supradictae rationabilis aliqua extet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.*

2. « An Patresfamilias, tum cum in ipsa sua familia adest
» aliqua persona dispensata super usu carnium, possint exten-
» dere dispensationem indiscriminatim ad omnes personas eius-
» dem familiae (1).»

Resp. *Infirmitatem et aliud quodcumque rationale impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam,*

(1) Italice dubium his verbis concipiebatur: « se i Padri di famiglia allorchè vi è nella famiglia medesima qualche persona dispensata ad usar cibi di grasso possono estendere la dispensa indistintamente a tutti gli individui della stessa famiglia.»

sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

3. « An in Quadragesima, cum Patrifamilias facultas sit edendi » carnes, et idem non possit, vel nolit duo parare prandia al- » terum carnium, et alterum iuxta abstinentiae legem, (italice di- » cebatur *di magro*), filiifamilias, ceterique eiusdem servitio addicti » possint carnes edere.»

S. Poenitentiaria 19 Ian. 1834 respondit: *Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis; et de unica comestione in die iis, qui ieiunare tenentur.*

4. « An vi responsionis S. Poenitentiariae hisce verbis con- » ceptae - *Personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui fa- » cta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patri- » familias indultis etc.* - dispensato Patrefamilias, intelligi debeant » dispensati etiam ceteri eiusdem familiae.»

Resp. *S. Poenitentiaria nunquam declaravit dispensationes concessas capiti familiae extendi ad totam familiam; sed tantum dedit directiones pro confessariis in actu practico circa eos, qui sub potestate sunt, et debent vesci cibis a parentibus datis* (1).

5. « An ratio, propterquam filii familias uti possunt cibis » vetitis a Patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica » sive moralis observandi praeceptum; seu potius indultum, quo » gaudet Paterfamilias.»

Resp. *Ratio permissionis, de qua in quaesitu proposito sermo, non est indultum patrisfamilias; sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum.*

6. « Possuntne filiifamilias edere carnes tempore vetito, » praesupposita eiusmodi facultate in ipsis parentibus, vel in ho- » rum uno; et in casu affirmativo, possuntne filii edere carnes » sine offensione conscientiae, cum reperiantur in circumstantia » duo prandia parandi (2)? »

(1) Responsa quae dantur a S. Poenitentiaria plerumque solent esse quaedam normae, quibus uti debent Confessarii, eas applicando casibus, secundum circumstantiarum varietatem.

(2) Italice hoc postulatum ita con fuse exprimebatur: « Possono i figli di famiglia mangiare di grasso in tempo di proibizione, presupposta la loro facoltà ne' loro genitori, od in uno di questi; e nel ca-

Responsum est die 20 Aprilis 1865: *Negative: loquendo speculative, practice vero Confessarius diiudicare tenetur.*

7. « An illi, qui dispensantur super observantia ieiunii, ob » exercitium laboriosae artis in Quadragesima, cum indultum » concessum est vescendi carnibus, et lacticiniis (pro unica co- » mestione), possint uti carnibus et lacticiniis quoties per » diem edunt, sicut diebus dominicis, quibus ieiunium non prae- » cipitur. »

S. Poenitentiaria de mandato felicis recordationis Pii Papae VII respondit: *Fideles, qui, ratione aetatis vel laboris, ieiunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt.* Datum Romae in S. Poenitentiaria die 16 Ian. 1834.

8. « Eminentissime Princeps - Quidam Sacerdotes regnorum Belgii, et Hollandiae, ad tranquillitatem conscientiae suae, et ad certam fidelium directionem, instanter petunt ab Eminentia Vestra solutionem sequentium dubiorum:

» Gury, Scavini, et alii referunt tanquam responsa sacrae Poenitentiariae, data die 16 Ianuarii 1834: *Posse personis quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis, atque interdictis epulis, et de unica comestione in die, iis qui ieiunare tenentur.*

Igitur quaeritur: I. « An haec resolutio valeat ubique terra- » rum » II. « Dum dicitur *permitti posse,* petitur a quo ista per- » missio danda sit, et an sufficiat permissio data a simplici » Confessario. »

Altera resolutio; « *Fideles, qui, ratione aetatis vel laboris, ieiunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus aut lacticiniis, per idem indultum permissis quoties per diem edunt.* »

« Dubitatur igitur, an haec resolutio valeat in dioecesi, cujus Episcopus, auctoritate Apostolica, concedit Fidelibus ut fe-

so affermativo de' figli a mangiare di grasso senza offesa della loro coscienza, trovandosi d' imbandire due desinari? » tamen clara est S. Poenitentiariae responsio.

ria II. III. V. temporis Quadragesimae possint semel in die vesci carnibus et ovis; iis vero qui ratione aetatis, vel laboris ieiunare non tenentur, permittit ut ovis saepius in die utantur. « Quaeritur itaque: I, An, non obstantibus memorata phrasi, » *ovis saepius in die utantur,* et tenore concessionis, possint ii, » qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, vi dictae » resolutionis, vesci carnibus quoties per diem edunt, » II. « An » iis, qui ieiunare non tenentur ratione aetatis vel laboris, ae- » quiparandi sint, qui ratione infirmae valetudinis, a ieiunio » excusantur, adeo ut istis quoque pluries in die vesci carnibus » liceat.»

« S. Poenitentiaria, mature consideratis propositis dubiis, dilecto in Christo Oratori in primis respondet, transmittendo declarationem ab ipsa S. Poenitentiaria alias datam, scilicet: *Ratio permissionis, de qua in resolutione data a S. Poenitentiaria* 16 *Ianuari* 1834, *non est indultum patrifamilias concessum; sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum.*»

« Deinde ad duo priora dubia respondet: Quoad primum, *affirmative;* quoad secundum, *sufficere permissionem factam a simplici Confessario.*»

« Ad duo posteriora dubia respondet: Quoad primum *negative* (1); quoad secundum, *non aequiparari* (2).»

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 27 Maii 1863.

(1) Haec respensio est peculiari observatione digna. Benedictus XIV. in responsione ad primum dubium propositum ab Archiepiscopo Compostellae, respondit: *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis adiectis conditionibus; videlicet unicae in diem comestivnis, et non permiscendarum epularum. Eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, snb gravi ad binas ipsas conditiones obligari.* Supposita itaque concessione huius indulti cui nova limitatio facta non sit, locum habet S. Poenitentiariae responsio data die 16 Ianuarii 1834, de qua supra. At vero si nova limitatione indultum circumscriptum sit, ut in praesenti casu, in quo Episcopus, auctoritate Apostolica, permisit tantum, ut qui ratione aetatis vei laboris, ieiunare non tenentur, ovis saepius in die utantur, locum dicta responsio non habet, pro ea parte, quae iisdem permittit usum carnium, quoties per diem edunt.

(2) Rationes cur non *aequiparentur*, sunt sequentes: Qui a ieiunio excusantur ratione aetatis vel laboris, uti possunt cibis vetitis solummodo vi Indulti, quod subiici potest maiori vel minori limitationi; dum e contra infirmi, possunt uti cibis vetitis iuxta statum propriae valetudinis, et Medici iudicium. Ita ex. gr. aliquibus diebus Indultum posset non ex-

9. « Utrum ii, qui, ratione aetatis vel laboris (addunt pari-» tate rationis *et infirmitatis)*, ieiunare non tenentur, subiiciantur » legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per » indultum carnes permittuntur.»

Resp. die 13 Februarii 1834: *Consulat probatos auctores.*

10. « Confessarius petit a Sanctitate Vestra: an illis quibus indulgetur esus carnium diebus Veneris, et Sabati per annum, » in quibus obligatio ieiunii non habetur, permissa sit permixtio » ciborum, non obstante responsione Benedicti XIV. ad Archie-» piscopum Syracusanum per Secretariam Memoralium emissa, » die 5 Ianuarii 1755.»

« S. Poenitentiaria 15 Febr. 1834, proposito dubio, diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis suae mandato respondit: *Permitti.*»

11. « Utrum in diebus ieiunii, tempore Adventus a Pio VI. » praescripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem » licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et » piscium.»

Resp. 8 Ianuarii 1834: *Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem.*

12. « Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus, com-» prehendantur pisces sale siccati (vulgo *salumi* idest *acciughe* » *mosciame, caviale, aringa, tarantella* aliaque his similia); an » potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi. »

Resp. 16 Ianuarii 1834: *Pisces sale siccatos ... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

13. « Utrum tempore ieiunii, cui licitus est usus carnium li-» ceat miscere testacea marina, quae improprie *fructus maris* » dicuntur, sed vulgo pisces censentur (idest *ostriche, telline,* » *patelle, canolicchi, cappe, granchi* etc.) »

Resp. die 16 Ianuarii 1834: *Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

tendi ad condimenta; hoc in casu qui super ieiunio dispensatur ratione aetatis vel laboris, abstinere debet a condimentis in Indulto exceptis, at infirmus potest carnibus vesci, si ita exigat eiusdem valetudo. Eiusmodi rationes, consulta S. Poenitentiaria, reddidit Emus Card. Barnabò ad Episcopum Suthwarsensem, per literas datas die 8 Martii 1864. His sunt consona, quae in antecedenti nota diximus.

14. « Illi, quibus licita est cibi qualitas possuntne diebus ie-
» iunii vesci solo iusculo carnis, ut suae prospiciant valetudini, ac
» praeterea uti cibis esurialibus, ut obtemperent, quantum fieri
» possit, ciborum praecepto? »

Resp. die 8 Februarii 1828: *Affirmative.*

15. « Utrum tempore ieiunii liceat mixtio carnis cum legu-
» minibus. »

Resp. *Carnes cum quibuscumque leguminum speciebus misceri posse, extra dubium est.*

16. « An illi, quibus licitus est esus carnium diebus, qui-
» bus utuntur tantum lacticiniis, possint uti condimento laridi
» liquefacti. »

Resp. 8 Februarii 1828: *Affirmative.*

17. « Utrum, quum, sive per Bullam Cruciatae, sive aliam
» ob causam, conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo
» *strutto*) solo titulo condimenti, ii, qui ad ieiunium tenentur,
» eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione. »

« S. Poenitentiaria 16 Ianuarii 1834, de expresso sanctae memoriae Papae Leonis XII. oraculo, respondit: *quod ii, qui ad ieiunium tenentur, licite uti possunt, in serotina etiam refectione, condimentis in indulto permissis, quia illa, vi indulti, olei locum tenent: dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.* »

18. « An in concessione condimentorum (vulgo *di grasso*) intelli-
» gatur concessus usus condimenti ex adipe cuiuscunque animalis. »

Resp. *Utendum tantum condimento suino.*

19. « An, diebus Veneris et Sabati, quibus indulgentur con-
» dimenta vulgo *di grasso*, possit iusculum carnis adhiberi. »

R. *Sub terminis* condimenti di grasso, *non comprehendi iusculum carnis coctae* (1).

(1) Mirum esse non debet si reperiantur nonnulla S. Poenitentiariae responsa sine die *Datae*, praesertim si sint antiqua. In regestis enim S. Poenitentiariae, decisiones distribuuntur iuxta ordinem materiae, et satis est ut ibi reperiatur responsio inscripta, ut authentica sit. Quin imo Responsa, quae *Datam* habent, plerumque antiquiora sunt *data* illa, quam gerunt; sunt enim saepe repetitiones responsorum, quae in regestis sine *data* reperiuntur. Neque, cum agitur de foro interno, magna solicitudo de *datis* est habenda, quae *datae* suppressio secretum, quod servari debet, coadiuvat; et multa in S. Poenitentiariae officio ratione dicti secreti, nullimode in regestis recensentur.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

CAMERACEN.

Die 29 *Augusti* 1864.

« Cum in Civitate, vulgo *Turcoing* nuncupata, Archidioecesis Cameracensis, hoc in nonnullarum piarum matrum more positum sit, ut parvulis suis etiam rationis usum nondum adeptis, sacrum Scapulare consueto ritu imponi faciant; superior domus Religiosae Missionariorum Societatis Mariae eiusdem Civitatis, de huiusmodi impositionis validitate dubitans exquisivit – Utrum sufficiens esset isthaec Scapularis impositio, ut parvuli, cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis aliisque privilegiis illud gestantibus concessis, frui possint et valeant.»

S. Congregatio in Comitiis generalibus habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, audito Consultoris voto respondit: *Affirmative*. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Indulgentiarum Congregationis die 29 Augusti 1864.

F. Ant. M. Card. Panebianco Praef.

Philippus Can. Cossa Substitutus.

Nonnulla tantum Consultor adnotaverat. Videlicet adesse consuetudinem in nonnullis christiani orbis regionibus laudabilem, deferendi infantes immediate post susceptum baptismum ad Carmelitarum ecclesias, ut eis a sacerdote facultatem habente, sacrum Scapulare imponatur, eorumque nomina in confraternitatis libro scribantur. Itaque censebat Consultor nullum oriri posse dubium super validitate impositionis Scapularis, si quae observari debent impleantur, et sufficientem esse sacri habitus impositionem de qua in precibus, ut cum parvuli ad rationis usum pervenerint, valide frui possint indulgentiis ac privilegiis, sacrum Scapulare gestantibus concessis.

MONACEN.

Die 29 *Augusti* 1864.

« Presbyter quidam facultatem habens, Scapulare Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et Scapulare caeruleum Conceptionis immaculatae, compluribus dedit personis. Quae duo Scapularia ita confecta et aptata fuerant, ut ambae partes unius Scapularis cum partibus alterius unirentur, eademque chorda iungerentur. Per errorem vero, ambo Scapularia, ita male confecta fuerunt, ut nullum constituerent determinatum Scapulare; binae enim partes eiusdem coloris ita componebantur, ut pars pectoralis nonnisi caerulea esset, et pars quae ad tergum descendebat nonnisi coloris tanaei, et viceversa. Unde sacerdos Franciscus De Wimmes sequentium dubiorum supplex postulat solutionem. »

I. « An scapulare dictae formae pro utroque Scapulari valeat.»

Quatenus affirmative.

II. « Nunquid supplendum vel emendandum sit.»

Quatenus negative ad primum dubium.

III. « Utrum dispensatio, an nova Scapularium distributio sit » necessaria. »

IV. « Quaerit Orator a S. Congregatione facultatem distri- » buendi, si opus sit, personis de quibus supra, ambo dicta Sca- » pularia.»

S. Congregatio Indulgentiarum in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, audito Consultoris voto et re mature discussa respondit:

Ad I. *Negative, et ad mentem: mens est: valere dummodo partes cuiuscumque Scapularis, ita disponantur, ut una ab humeris, altera a pectore dependeat, licet omnes uno funiculo connectantur.*

Ad III. *Supplicandum SS̃mo pro sanatione.*

Ad IV. *Provisum in III.*

« SS̃mus vero D. N. Pius PP. IX. in audientia habita die 26 Septembris eiusdem anni a subscripto Card. Praefecto, petitam sanationem benigne concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus. »

F. Anton. Maria Card. Panebianco Praefectus.

Philippus Can. Cossa Substitutus.

Animadvertebat Consultor in suo emisso voto, haec duo firma esse ex Decreto 22 Augusti 1842, (1) videlicet, 1. colorem caeruleum esse necessarium in Scapulari Immaculatae Conceptionis, quemadmodum griseus color, vel niger, essentialiter exigitur pro parvo habitu Carmelitico. 2. Fideles accipientes Scapularia Carmeli, et Conceptionis, adstrictos esse ad utrumque gestandum. Oportet itaque ut ambo Scapularia a piis gestanda, panno, et colore, ita distinguantur, ut unumquodque suam servet proprietatem, nec unus cum altero confundatur. Per unicum autem funiculum Consultor censebat non tolli praefatam Scapularium distinctionem utpote qui adhibetur tantum ad sustentandas partes sacrae vestis, eamque non constituit. Quare integra manente ratione Sacri Scapularis puta Carmelitici, poterit, eidem chordulae, aptari pannus caerulei habitus, dummodo talis aptatio ita perficiatur, ut pectori, et scapulis, partes panni utriusque Scapularis ex aequo respondeant. Quod in proposito casu servatum non erat, in quo partes panni eiusdem coloris, ita fuerant coniunctae, ut nec carmeliticum, nec caeruleum Scapulare appareret. Hisce animadversis responsiones proponebat ad praefata dubia.

(1) Citatum Decretum est sequens: « Vicarius generalis dioecesis Engolismensis implorat a S. Congregatione responsum, ad dubia, scilicet: » I. « Utrum » color caeruleus sit color necessarius in » Scapulari Beatae, et Immaculatae, Ma» rlae Virginis.» II. « Utrum qui Scapu» laria Montis Carmeli, et Immaculatae » Conceptionis accepit, utrumque gestare » debeat.»

« S. Congregatio, auditis Consultorum » votis, ad praefata dubia respondit: *af*» *firmative.*»

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. Feria III. die 19 Decembris 1865.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Codice Ecclesiastico Siculo con note ed illustrazioni, opera dell'Avv. Andrea Gallo. Palermo 1847.

Philosophie Religieuse, Terre et Ciel, par Jean Reynaud; 4, édition. Paris 1865.

Geschichte der Kirchlichen Trennung zwischen dem Orient und Occident, von D. A. Pichler. München. Latine vero: Historia ecclesiastici schismatis inter Orientem et Occidentem; auctore Doct. A. Pichler, volumen secundum. Russiaca, hellenica et reliquae orientales ecclesiae cum parte dogmatica. Monachii 1865.

Il Filomaria, ossia una vita romantica per saggio ad un nuovo genere di romanzi. Vol. 1 Bertinoro 1863.

Publica Confessione d'un Prigioniere dell'Inquisizione romana, ed origine dei mali della Chiesa Cattolica. Torino 1865. *Decr. S. Off. Feria IV. die* 20 *Decembris.*

Auctor operis cui titulus – Della Costituzione civile del Clero e dell'incameramento dei beni ecclesiastici, Discorso di Francesco Dini. *Prohib. Decr. diei* 8 *Octobris* 1861 *laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Auctor operis cui titulus – Catechismo politico ad uso delle classi inferiori del Can. D. Maresca. *Prohib. Decr. diei* 19 *Decembris* 1861 *laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. C. a Secretis relatis* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 23 *Decembris* 1865.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus.

Fr. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.

Loco ✠ Sigilli. S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 30 *Septembris* 1865 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, ac in aliis locis solitis Urbis per me Aloysium Serafini apost. Curs.*

Philippus Ossani Maj. Curs.

APPENDIX XIV.

REGULAE SODALITATIS FILIARUM QUAE A SS. CORDE IESU NUNCUPANTUR (1).

I. Finis huius Sodalitatis est, ut suavissimo Cordi Iesu specialis cultus deferatur, tum vitae integritate, tum periculorum fuga, quae iuventuti praesertim exitio sunt, tum maxime impenso labore et studio virgineae Castitatis custodiendae.

II. Huic piae Sodalitati nomen dare nonnisi puellae queunt, non ante tamen quam primo ad sacram Synaxim accesserint; quae quidem vix dum nupserint, e Congregationis albo excidant. Antequam vero cooptentur, aliquot menses experimento probabuntur: quod si recte, ut par est, se gesserint, die SS. Cordi sacra aut alia prout Praefecto seu Rectori videbitur, ad Oblationem promoveri poterunt.

III. Parochus ubique earum Rector seu Praefectus habebitur, nisi alium ex Sacerdotibus in suum locum sufficiat: isque semper earum privatis coetibus praeses intersit. Uni ex Filiabus, Praesidentis munus demandetur, duabus, Assistentium: nonnullae a Consiliis, altera a Secretis deligatur; sit quoque altera Sacelli seu Oratorii custos. Quibus unaquaeque muniis diutius anno non fungatur.

IV. Praesidens et ambae Assistentes, quae dum coetus initur, eminentiore loco sedent, ceteris exemplo praeibunt, et ut bene omnia fiant serio invigilabunt. Consiliariis officium est ut de negotiis Congregationis decernant. Quae a Secretis est, nomina Postulantium adnotet, sociarum quoque censum agat, et penes se retineat. Bibliothecaria libros Sodalitii diligenter asservet, quos dum alicui e Filiabus commodaverit, nomen accipientis et libri titulum, qui stato tempore restituatur, in schedula exaret. Thesauri custos, pecuniae quae forte offeratur, curam habeat. Aeditua, (quae si opus fuerit, alterius opem expostulet) Altare iis diebus rite exornet, quibus conveniendum est.

V. Coetum ineant semel in quolibet mense, die Dominico, sed potissimum quo die ad Sacram Synaxim accesserint, sive in Oratorio, dum prope templum prostat, sive

(1) Eiusmodi Regulae, ut iam dictum est, fuerunt italice conscriptae, et typis impressae cum approbatione Emi Urbis Vicarii. Pro Dioecesum et locorum diversitate, poterunt moderari iuxta modum, qui opportunior prudenter iudicabitur; dummodo tamen, ad indulgentiarum lucrum, serventur ea, quae iuxta Apostolicum rescriptum, servanda sunt.

*

in templo Paroeciae, peractis iam diei caeremoniis et officiis. Poterit nihilominus Rector conventum crebrius indicere, quum praecipuum aliquod Christi aut Deiparae festum inciderit.

VI. Cum simul omnes convenerint, haec pietatis officia devote persolvent: 1° Auxilium Domini a Sacerdote imploretur, dicto « Veni Sancte Spiritus etc. » 2° Aliquem hymnum aut sacram laudationem concinant. 3° Hinc Sacerdos per semihorae spatium verbis accommodis sermocinetur. 4° Ad haec, accensis cereis ante Imaginem SS. Cordis, eam precationem, quae eiusdem SS. Cordis Coronula appellatur, rite proferant. 5° Demum cantu aliquo pio finem conventui imponent.

VII. Dominica in quolibet mense a Praefecto seu Rectore condicta, ad sacram Comunionem accedant universae quae possunt, publice in templo ut omnium aedificationi consulatur. Sacramenta pariter suscipiant praecipuis Christi Domini seu Deiparae sollemnitatibus, prout in quolibet conventu monebuntur. Sancto Aloisio iuventutis Patrono supplicationes instituant sex continenter Dominicis, sive ante eius Festum, sive quovis anni tempore, quod aptius Praefecto videatur.

VIII. Praecipuo ac singulari cultu Sodalitatis Sociae festum SS. Cordis Iesu transigant, cui 1° vel privatim domi vel palam in templo supplicationes novemdiales praemittant; 2° Eodem die, suscepta devote Eucharistia, pro universo sodalitio ferventius divinam opem implorent; et 3° Sermonem audiant, qui vel in Templo vel in Oratorio seu Sacello habebitur.

IX. Filiabus SS. Cordis suggeritur ut *Piae Unioni* eiusdem SS. Cordis, et *Apostolatui precum*, (vulgo *Apostolato della Preghiera*) nomen dedant, nec non piae Sodalitati Purissimi Cordis Mariae, ad peccatorum conversionem impetrandam. Eaedem vero Sociae cum exemplo omnibus in paroecia et Christi bonus odor sint oporteat, regulas, quae sequuntur, observare conentur; 1° Tum mane, tum vespere, preces consuetas sedulo et constanter persolvant; 2° Sacro intersint, quoad fieri poterit, diebus etiam non feriatis. 3° Coronam B. V. quotidie recitent sive seorsim sive cum domesticis: quod si nequeant, offerant saltem sexies *Pater et Ave cum Gloria* Augustae Trinitati pro beneficiis B. Virgini Immac. concessis. Qua pia exercitatione, qui benedictum Immaculatae Scapulare gerunt, eas indulgentias lucratur, quae stationes peragentibus sive Romae sive Hierosolymis conceduntur (1). 4° Vespere ante cubitum per quartam circiter

(1) Multae omnino sunt indulgentiae, quas lucrari possunt, qui gerunt parvum caeruleum Scapulare in honorem I. C. B. Mariae Virginis. Illae, quae hic memorantur, sunt eiusmodi: « Indulgentiae stationum Ecclesiarum Urbis (ut videre « est in Missali Romano), dummodo quis adeat ecclesiam Clericorum regularium

horae partem conscientiae examen instituant et actum sincerae Contritionis eliciant. 5° Geminandis saepe per diem iaculatoriis precibus mature assuescant.

X. Ut pericula laedendae angelicae Virtutis avertantur, 1° Vestibus utantur, quae ne leviter quidem modestiae legibus adversentur. 2° Tumultuosam turbam evitent, choreas praesertim aliaque id genus solatia. 3° A nocturnis congressibus, ubi potissimum inhonesti sermones misceantur, multoque magis a turpibus amoribus prorsus abhorreant.

XI. Ut proximos exemplo promoveant, 1° Detractiones omni nisu caveant sive de Sororibus sive de aliis agatur. 2° Omnes quidem, sed praecipue iuniores foeminas piis monitis et consiliis iuvent. 3° Boni etiam singulae consulant, ab aliis, dum errant, corripi, praesertim vero a parentibus aut a Congregationis Praefecto.

XII. Exercitiis Spiritualibus quotannis vacent, quae sive in paroecia, sive privatim per triduum Rector opportune tradi iubebit.

XIII. Si quae, gravi quadam et publica labe contra modestiam sese inquinarit, e Sodalitio protinus expelli debet, eiusque nomen e Congregationis albo deleatur. Eadem poena multabitur quaecumque sive exitiales amicitias foveat, sive publicis choreis intersit, sive mores qui christianam mulierem dedecent prae se ferat, dummodo bis monita non resipuerit.

XIV. Si quae ad nuptias arcessitur, sequentia diligenter observet: 1° Domus accessum nemini permittat, nisi cui voluntas et facultas sit quantocius connubium ineundi. 2° Ne tunc quidem, dum invisitur, sola cum solo moretur, multo minus noctu; sed semper et ubique patrem aut matrem vel tutorem sui testem postulet. 3° Insciis parentibus, nullo se foedere aut promisso devinciat; 4° Tempore eodem munditiem mentis et cordis solita custodia servabit, ut Sacramentum hoc magnum in omni sanctitate suscipere valeat. 5° Quod antequam suscipiat, Confessarium consulat, sint nec ne per generalem totius vitae Confessionem praeteritae noxae rursus expiandae.

XV. Cum aliqua ex Filiabus SS. Cordis nupserit, reliquae S. Comunio-

» Congregationis Teatinae, ibique oret. » « Indulgentiae quas lucrifaciunt qui vi-
» sitant s. Sepulcrum, et terram sanctam Palestinae *bis in mense*, orando in ea-
» dem ecclesia. » SSmus D. N. sub die 3 Decembris 1847, praedictum Scapulare gestantibus concessit, ut iis in locis, in quibus deest ecclesia Clericorum Regularium, aliam ecclesiam, in qua tamen aliquod adsit altare B. M. Virginis, substituere valeant. Vide collectionem cui titulus, *Resolutiones, seu decreta authentica S. Congregationis Indulgentiis... praepositae, collectae ab Aloisio Prinzivalli, in app. n. LIV.*

nem offerant ac pro ea Coronam recitent, illam Deo commendantes (1).

XVI. Quod si aliqua in osculo Domini requieverit, ceterae ad sepulcrum Cadaver simul comitabuntur, et quamprimum pro eius anima Communionem offerent, ac ter Coronam dicent, aliasque praeterea preces coram Deo fundent, quas cuique christianae charitatis ardor afflabit.

Formula Oblationis qua Filiae SS. Cordis Iesu in Sodalitatem primo cooptantur.

Suavissime mi Iesu, qui omnibus hominibus in Corde tuo Sacratissimo, tutum acceptumque refugium patere voluisti, me famulam tuam misellam tibi humiliter dedico, totisque animae viribus consecro. Ita me, quaeso, divinum Cordis tui robur et gratia communiat, ut quodcumque peccatum semper et ubique fugiam, ut amore tuo magis magisque accendar, ut Puritatis florem quo tantopere delectaris, sollicite custodiam, ut eas tandem virtutes, quibus maxime egeo, ab illo infinitae Charitatis fonte haurire possim. — Quam sanctissimam metam ut assequar, coram B. Virgine Maria et Curia coelesti universa, me hodie Sodalitati SS. Cordis Iesu adscisco atque mancipo, ea voluntate et intentione ut eiusdem piae Sodalitatis regulas et exercitia omnia exacte impleam, utque hinc animae meae saluti consulam et proximorum, quos Cordis tui infinito amore redemisti. Amen.

Inscripta fuit die.....

Praefectus, seu Rector etc.

(1) *Offerre S. Communionem,* est expressio, quam catholici omnes intelligunt; non enim agitur de actione sacrificiali, sed agitur de oblatione lato sensu accepta, quae fieri potest Deo, in bonum proximi, sicut offerri possunt Deo in proximi bonum merita cuiuslibet alterius boni operis. Maxime cum in praesentia agatur de opere sacratissimo, cuiusmodi est sacra synaxis, ob quam fidelis sanctior fit, intima unione cum Deo; ideoque eiusdem preces fiunt multo efficaciores.

APPENDIX XV.

INSTRUCTIO EDITA A S. CONGREGATIONE CONCILII DIE 22 AUGUSTI 1840 PRO CONFECTIONE PROCESSUS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

« Cum moneat Glossa (in cap. fin. de frig. et malef.) in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (de matrim. lib. 7 disp. 107) et Card. Argenvilliers (in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5 vol. ult. n. 16) plura hinc a Sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, S. M. Bened. XIV. (in Constit. *Dei Miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte, et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

» Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta SS. Canones, et citatam S. M. Benedict. XIV. Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. (sess. 24 cap. 20 de reform. §. ad haec), ac etiam a S. M. Bened. XIV. (in cit. Constit. Dei Miseratione §. 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus vere nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut

nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

» Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate Matrimonii, Episcopus Iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus citari mandabit Defensorem Matrimonii, quatenus in Curia Episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitut. S. M. Benedicti XIV. requirit, eumque citari mandabit. Defensoris Matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem Matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic Defensor Matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

» Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda illo postulante ex Iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio Iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus coeteri omnes, de re instructi, erunt examinandi.

» Cum itaque advenerit statuta dies pars nullitatem Matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram Iudice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

» Interim dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a Iudice dictandas. Si quod interrogatorium ut superius monitum est, addatur ex officio a Iudice vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

» Si examen una sessione absolvi non poterit, Iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione facienda eodem modo ac forma, ut supra dictum est. Absoluto examine Cancellarius leget clara, et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus, per signum Cru✝cis; dein Iudex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

» Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

» Haec norma, quae data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

» Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis vel novis confectis prout Defensor Matrimonii in Domino censuerit.

» Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. *(in Cap. Litterae Vestrae: de frig. et malef.)* Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor Matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine, vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant: seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi designatis diebus et horis, delato prius singulis iuramento. Defensor Matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

» Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et me-

thodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

» Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad Civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam vel, ea silente, ad instantiam Defensoris Matrimonii erunt ab Episcopo illius Dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausula et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata S. M. Bened. XIV. praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini intersit.

» Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim quando initum fuerit Matrimonium, utrum inter Coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo, vel Civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in Matrimonio permanere.

» Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

» Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit Matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim, sequenti methodo perficiendam, instante praesertim Defensore Matrimonii.

» Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam Defensori Matrimonii ad exhibendas notulas Peritorum Medicorum et Chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

» Exhibitis notulis a partibus Iudex eliget quinque peritos, tres scilicet Medicos, et duos Chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus Civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem, et honestatem, atque his Peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam, et locum destinabit, in quibus Periti accedent, ut inspectionem perficiant.

» Designatadie et hora, ad locum accedent Iudex, Defensor Matrimonii, Cancellarius, ac Periti. Singuli ex Peritis, ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit de-

centia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

» In inspectione, et relatione haec praecipue investiganda, et referenda erunt.

» An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis, ac praecedens Matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

» Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, et sigillata, super quibus fieri debet examen Peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum Peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit ut illud prosequatur. Uterque ex Peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, Iudex, Defensor validitatis Matrimonii, et Cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

» Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supradictum est de Peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem Peritis uno Medico et altero Chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestae Matronae pariter a Iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus, et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus Matrona, et Obstetricibus, statim, ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude, uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

» Iudex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum Peritis, ut supra ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae Obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indiciis ab

inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii. Deinde formali examine erunt subiiciendi Periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab Obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

» Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Iudice, factisque subscriptionibus ab Eo a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

» Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori Matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. saepius citatam *Dei miseratione*.

» Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

» Si haec Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt Coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario. »

APPENDIX XVI.

CIRCA PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE.

S. Poenitentiaria Apostolica in concedendis matrimonialibus dispensationibus Oratoribus pauperibus, iuxta ea, quae in appendice XIII. adnotavimus, quando inter Oratores ipsos intervenit incestus, vel scandalosa familiaritas, committit Delegato dispensandi facultatem hac adiecta clausula - *Interdicto prius Oratoribus quocumque tractu per mensem, aut per duos menses, aut per tempus Ordinario benevisum, et exhibita ab Eis fide sacramentalis confessionis.* -

Porro super verbis - *interdicto quocumque tractu* - in rescripto appositis, duo quaesita fuerunt ab Ordinario N. quae sunt sequentia:

I. « Quid in praefata clausula » intelligendum venit per vocem » *tractu*? »

II. « Si, interdicto per Ordi» narium quocumque tractu, Ora» tores nihilominus tempore inter» dicti habeant in se tractum, (in » sensu responsionis ad praecedens » dubium), an ideo opus sit nova » dispensatione, seu revalidatione. »

Sacra Poenitentiaria mature consideratis expositis respondit:

Ad I. *Id omne vetari quod opponitur fini, qui, in interdicendo quocumque tractu, quaeritur, nempe Oratorum resipiscentia, aut dati scandali reparatio.*

Ad II. *Cum clausula apposita det iurisdictionem sub conditione, sed non respiciat ipsam dispensationem, debere quidem conditionem appositam impleri, ut Commissarius exequi valeat Rescriptum, non vero novam petendam esse dispensationem, si Oratores violata interdictione cuiuscumque tractus, fideliter abstineant per tempus praescriptum, dummodo tamen violatio interdicti non fuerit per incestum.* Ita respondit die 15 Februarii 1854.

Consueta est S. Sedis praxis in re de qua agimus, qua non committit facultatem dispensandi, nisi adiecta de separatione, aliqua clausula. Expedit indicare praxim quae viguit atque viget cum de hac dispensatione agitur.

Apud Apostolicam Datariam, in qua regulariter poterant eiusmodi dispensationes tantum expediri, priusquam haec facultas in foro externo S. Poenitentiariae pro pauperibus concessa esset, antiqua praxis erat, ut clausula, qua separatio iniungitur, apponeretur tantum illi formae rescriptorum, quae dicuntur *in forma pauperum*. Hoc rescriptum quod remittitur Delegato, quodque est particularis lex ab eodem Delegato sequenda, huiusmodi continet tenorem: « Nos igitur... discretioni tuae per » Apostolica scripta mandamus etc. » Tunc Ioannem et Luciam praedi» ctos, qui pauperes et miserabiles » existunt, et ex labore et industria » sua tantum vivunt, *in primis ab*

» *invicem separes;* deinde, si veniam a » te petierint humiliter, eam illis poe- » nitentiam publicam imponas, quae » alios deterreat a similibus com- » mittendis; utque dictus Ioannes » operam suam, fabricae, vel in » aliud servitium alicuius ecclesiae, » vel loci pii, tribus saltem mensi- » bus conferat; aliaque iniungas, » quae de iure fuerint iniungenda. » Qua poenitentia publica peracta, » ac recepto ab eis iuramento, quod » sub spe facilius habendae dispen- » sationis huiusmodi, incestum hunc » non commiserint, ipsos ab ince- » stus reatu et excessibus huiusmodi, » imposita prius propter incestum » huiusmodi, arbitrio tuo, poeni- » tentia salutari, hac vice dumta- » xat in forma Ecclesiae consueta, » in utroque foro, auctoritate no- » stra absolvas ... Demum si tibi ex- » pediens videbitur, quod dispen- » tio huiusmodi sit eis concedenda, » nec scandalum sit ex ea oritu- » rum, super quo tuam conscientiam » oneramus, tunc cum iisdem Ioanne » et Lucia, *postquam ipsi in sepa- » ratione praefata arbitrio tuo per- » severaverint,* dummodo ipsa Lucia » propter hoc rapta non fuerit ... ea- » dem auctoritate dispenses. Prolem » susceptam si qua sit, et suscipien- » dam exinde legitimam decer- » nendo etc. (1).

Haec antiqua rescripti forma quoad eius substantiam in Apostolica Dataria adhuc servatur, nonnulla tantum immutantur secundum inductum stylum, vel expressam Romani Pontificis voluntatem pro variis casuum adiunctis. Sic ex. gr. cum de gradibus maioribus agitur, rescriptum in *forma pauperum* paulisper hoc pacto immutatur: « In » primis ab invicem *per mensem* se- » pares, deinde peractis ab eis *dua- » bus sacramentalibus confessionibus,* » si veniam a te petierint humili- » ter, imposita eis pro modo cul- » pae, arbitrio tuo, *gravi poeniten- » tia salutari* etc. Cum eisdem expo- » nentibus, ut postquam in sepa- » ratione praefata perseveraverint, » et dummodo etc. dispenses. »

Antiquitus S. Sedes non videtur cum pauperibus facile dispensasse in gradibus prohibitis, si non adfuisset ea causa canonica, quae vulgo dicitur *causa infamans.* Hinc celebris reddita est ea literarum forma, quam modo indicavimus; decursu autem temporis, concessae fuerunt facilius dispensationes pauperibus, ex aliis *rationabilibus causis.* Et quamvis cum istae, tum illae pauperibus concedantur, illae tantum proprie dicuntur in *forma pauperum.*

Quando vero non agebatur de pauperibus, et miserabilibus personis, literae expediebantur, in *forma ordinaria* in quibus non solebat iniungi per appositam clausulam separatio.

(1) Vid. Pyrrhum Corradum in celebri opere cui titulus: Praxis dispensationum *l.* 8 *c.* 5 *n.* 1, in quo opere erudite explanantur ea omnia, quae scitu necessaria sunt in executione horum rescriptorum.

Nunc tamen in usu est ut cum in hac altera ordinaria forma dispensatio conceditur ex. gr. *ex honestis familiis*, separatio expresse iniungatur, puta hac clausula: «Praevia Exponentium » praefatorum separatione adhuc ad » mensem *(idest etiamsi, iam sepa-* » *rati sint, adhuc ad mensem separa-* » *tio protrahi debet)*, ac peractis ab « eis duabus Sacramentalibus con- » fessionibus, auctoritate nostra ex » gratia speciali dispenses....» Haec quidem de rescriptis huiusmodi, quae ex Apostolica Dataria exeunt.

Sacra autem Poenitentiaria, quamvis pauperibus dispensationes in foro externo concedat, hae tamen proprie non sunt in *forma pauperum;* non enim sequitur in eiusmodi concessionibus rescripti tenorem, ea forma, quam indicavimus. Clausulam tamen inter ceteras apponit, qua vetatur quilibet familiaris usus illis verbis: - *interdicto prius Oratoribus quocumque tractu* (1).-

Hic autem tractus, sive familiaris usus et consuetudo, ob eam rationem inter Oratores vetatur, ob quam in Literis in *forma pauperum* separatio iniungitur: nimirum ob Oratorum resipiscentiam, et dati scandali reparationem.

Itaque si Oratores iterum tempore interdicti, ita se tractent contra praestitutum interdicti finem, ut interdictum violatum censeatur, Delegatus dispensare non potest; conditio enim sub qua Delegatus dispensare potest impleta non est. Nihilominus per violationem huius interdicti, potestas delegato commissa non cessat. Quare renovato interdicti tempore, eoque exsecutioni mandato, poterit Delegatus dispensare, *dummodo tamen violatio interdicti non fuerit per incestum.*

Super hac limitatione a S. Poenitentiaria apposita, nonnulla veniunt adnotanda. Videlicet S. Poenitentiaria non videtur tulisse iudicium super ratione agendi in peculiari casu incestus, interdicti tempore, commissi.

Gravis quaestio viguit inter Doctores in praxi Apostolicae Datariae peritissimos, de casu simili eveniente antequam Delegatus Literas in *forma pauperum* exequeretur. In hisce Datariae Literis, expresse Delegato iniungitur, ut diximus, lex sequenda hisce verbis: *in primis*

(1) Non raro contingit, ut videre est in Corpore Iuris canonici, ut nonnulla latina verba in iuridica praxi adhibeantur, quorum latinam originem si inquireres, non exhiberet eam significationem, quae vulgo illis adnectitur. Ad hoc intelligendum considerandum est, quod praxis est *res facti*, prouti notat Pyrrhus Corradus *loc. cit. lib.* 7 *c.* 7 *n.* 88, et cum formulae concinnari non soleant uno tempore, sed decursu temporis, quando nempe necessitas et experientia id suadeat, ea ipsa introducuntur in formulis verba, quibus solent mentem suam aperire illi, qui ad Apostolicam Sedem verba dirigunt, quaeque paullatim transeunt in usum officialium, et Curiae, et deinde in formulas, ita ut ex praxi sensus determinatus sit, et circumscriptus.

ab invicem separes: et post alia: *demum si tibi expediens videbitur, quod dispensatio huiusmodi sit eis concedenda.... tunc cum eisdem... postquam ipsi in separatione praefata arbitrio tuo perseveraverint... dispenses.* Disputarunt itaque Doctores: « Quid » agendum esset, si, durante supra- » dicta separatione, vel alias ante » obtentum decretum huius dispen- » sationis sub hac *forma pauperum,* » dicti Oratores se denuo carnaliter » cognoverint; nunquid egeant nova » dispensatione super nova copula » habita? »

Pyrrhus Corradus hanc quaestionem exponens *loc. cit. l.* 8 *c.* 5 *n.* 37, adducit rationes, quas afferebant illi, qui stabant pro negativa responsione, et sunt sequentes: « Quia vero nullo iure statu- » tum reperitur, an huic quaestio- » ni affirmativa, aut negativa re- » sponsio danda sit; propterea re- » currendum est ad *stylum non igno-* » *tum* ipsius Romanae Curiae, qui » hoc in casu negativam partem » tenere videtur: a peritissimis enim » et antiquissimis eiusdem Curiae » practicis fuit semper tentum, Ora- » tores in hoc casu non egere nova » dispensatione, respectu huius se- « cundae copulae carnalis, ea ra- » tione, quia sufficit Papam semel » scivisse inter eos intervenisse co- » pulam praedictam....»

Attamen in praxi Datariae, tempore Corradi, sub Pontificatu Pauli V., contraria praevaluit sententia.

Haec respiciunt tantum literas in *forma pauperum* ob speciales in iisdem praescriptas leges. Etenim de aliis dispensationibus, quae conceduntur in *forma ordinaria* in quarum literis antea non iniugebatur separatio, haec edocuit idem Corradus: « Se- « cus autem dicendum, ac tenendum » est ubi copula ipsa carnalis iterabi- » tur inter Oratores, qui in *forma* » *ordinaria,* non autem in *forma pau-* » *perum,* ipsam dispensationem, cum » copulae mentione, impetraverint: » tunc enim etsi post impetratam » dispensationem, et ante literarum » exsecutionem, se denuo carnaliter » cognoverint: ex quo in ipsa forma » ordinaria, nequaquam adiicitur, » ut Oratores separentur, non indi- » gent nova dispensatione, respectu » posterioris ac reiteratae copulae; » et ista est *notoria praxis,* et obser- » vantia, quae nunquam contrarium » admisit, sicut fatentur omnes an- » tiqui Curiales. »

Neque his, quae enarrat Corradus reputandae sunt oppositae quaedam antiquae Resolutiones SS. Congregationum ab Auctoribus citatae quae ipsimet Corrado ignotae esse non poterant, multoque minus Apostolicae Datariae, de cuius praxi ipse Corradus tanta certitudine loquitur.

IMPRIMATUR { Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
Petrus Villanova-Castellacci Arch. Petr. Vicesg.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

DUBIUM DE EPISCOPO REGULARI.

Die 6 *Maii* 1864.

Compendium facti. Episcopus N. haec Sanctissimo Patri exposuit: « Romanus Pontifex Bendictus XIII. in Constitutione: *Custodes.* die 7 Martii 1725, loquens de Regularibus ad Episcopatum evectis, expresse iniungit, *in virtute s. obedientiae sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda, Papae reservata, ut singulis suae Regulae officiis et obligationibus, quae Pontificale.... officium minime impediant, perpetuo subsint.*»

« Ex hac pontificia declaratione romanus Theologus in adnotatione operis Ferraris subiungit: « hinc liquet, praedictos » Episcopos subesse omnibus illis obligationibus, quae in Regula, » quam professi fuerant, exprimuntur, quaeque non pugnant » cum onere et dignitate episcopali. Idque respectu Franciscalium praesertim tenendum est tamquam certum, cum eorum » Regulae praecepta obligent sub mortali, a quorum obligatione » nisi specialiter a Sede Apostolica dispensationem obtinuerint, » nulla causa est cur censendi sint exempti dum ad Episcopatum promoventur.»

« Ex adverso tamen habetur decisio s. Rotae *die* 3 *Aprilis* 1761 *in Vilnen. Ordinis S. Basilii M. Ruthenorum* de qua, ita scribitur in opere Ferraris *(additiones ex aliena manu)* « in hac » decisione statuitur, quod ut primum Regularis ad Episcopatum promovetur, a iugo Regularis Observantiae liberatur, li» beramque acquirit facultatem, donationem etc.»

« S. Alphonsus cuius sententias iudicio S. Sedis quis inoffenso pede sequi potest (1) in *L.* 4 *dub.* 1 *quaes.* 2 quaerens: – Utrum Episcopus Regularis teneatur ad observantiam suae Regulae –

(1) Vid. Appendicem XVII.

Respondit: « probabilius esse, quod ipsi sub nulla culpa sint » ad Regulam obligati, sed solum ex honestatis debito, quod » autem debitum ne sub levi quidem obligat.» Et in confirmationem adducit can. *Statutum*; ac subiungit: « ab aliis autem » votis propriis alicuius Religionis, Episcopus Regularis omnino » liberatur.»

Hisce propositis authenticam declarationem a S. Sede Episcopus N. postulabat.

Missis precibus ad S. C. Epis. et Reg. duo auditi fuerunt Theologi Consultores, alter praesul Regularis, alter saecularis Episcopus, qui copiosa eruditione vota sua emittentes, in eamdem sententiam convenerunt (1). Praestat synoptice saltem praecipua referre, quae in amplissimo Revmi Episcopi Consultoris voto exposita reperiuntur.

Votum unius ex Consultoribus in compendium redactum.

Ad removendam quamlibet aequivocationem super verbis – *ad Regulam quam professus est* – in dubii formula expressis, ne scilicet resolutio dubii existimaretur referri ad nonnullos tantum Regulares Ordines; haec praemittebat Consultor.

Quamvis ad Religiosum statum pertineant essentialiter tria vota, castitatis, paupertatis et obedientiae, haec tamen non sufficiunt ad statum Religiosum constituendum, nisi emittantur secundum Regulam ab Ecclesia approbatam. Porro non est idem in omnibus Religionibus professionis modus, quemadmodum notat S. Thomas 2 2 *q.* 186 *art.* 9 *ad* 1, in quo ait: « In quibusdam Re» ligionibus cautius aliqui profitentur, non quidem Regulam, sed vi» vere secundam Regulam, idest tendere ad hoc, ut aliquis mores » suos informet secundum Regulam, sicut secundum quoddam » exemplar. In quibusdam autem Religionibus adhuc cautius profi» tentur obedientiam secundum Regulam; ita quod professioni non » contrarietur, nisi id quod est contra praeceptum Regulae.»

Eiusmodi autem profitendi modi, in re de qua agimus, nullum discrimen important. Hisce aliisque praenotatis, suum vo-

(1) Theologi Consultores fuerunt alter Rmus P. Hieronymus Gigli O. P. et S. P. A. Magister, alter Illmus et Rmus Ioseph Cardoni, tunc Episcopus Carysten. in *partibus infidelium*, nunc Episcopus Lauretan. et Recineten.

tum in duo Capita dividebat Consultor, in quorum primo quaerebat: *an et quomodo obligetur Episcopus Regularis ad castitatem et paupertatem iuxta Regulam.* In altero capite quaerebat: *an et quomodo Episcopus Regularis obligetur ad votum obedientiae et ad observantiam Regulae.*

CAPUT PRIMUM.

AN ET QUOMODO OBLIGETUR EPISCOPUS REGULARIS AD CASTITATEM ET PAUPERTATEM SECUNDUM REGULAM. — Regularis, iuxta communem Theologorum sententiam, prout Consultor animadvertebat, talis substantialiter esse non desinit, cum evehitur ad episcopalem, vel etiam cardinalitiam dignitatem. Desineret enim esse Regularis, vel ex rei natura, vel ex Summi Pontificis dispensatione; neutrum autem dici potest. Non *ex rei natura;* quandoquidem Regularis status cohaerere potest cum statu episcopali, quemadmodum docet S. Thomas 2 2 *quaest.* 185 *art.* 89. «Status religionis ad perfe» ctionem pertinet, quasi quaedam via in perfectionem tendendi. » Status autem episcopalis ad perfectionem pertinet tanquam » quoddam perfectionis magisterium. Unde status religiosus com» paratur ad Episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, et » dispositio ad perfectionem. Dispositio autem non tollitur per» fectione adveniente, nisi forte quantum ad id, in quo perfe» ctioni repugnat. Quantum ad id quod perfectioni congruit ma» gis confirmatur.»

Non cessat *ex dispositione:* nullum enim afferri potest Pontificium documentum ad id probandum; quin imo a saeculo V. Innocentius I. ad Victricium Episcopum Rothomagensem *epist.* 1 *cap.* 10, ita scripsit: *De Monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus Ordinem pervenerint, non debere eos a priori proposito deviare. At enim, sicut in monasterio fuit, et quod diu servavit id in meliori statu positus amittere non debet.* Ex quibus consequitur Regularem ad Episcopatum evectum, obstringi adhuc tribus votis, quae ad essentiam Regularis status pertinent.

Deinde nonnullis singillatim animadversis circa castitatis votum, quo obstringuntur ceteri sacerdotes, multoque magis Episcopus et Regularis, sermonem Consultor instituit de voto paupertatis et nominatim secundum Regulam.

*

Duo porro sunt praecipui effectus voti paupertatis, alter qui nunquam potest seiungi, quo scilicet, nihil Regularis habet proprii, vel saltem rebus uti non potest tanquam propriis. Hinc S. Thomas 2 2 *q.* 185 *art.* 8 *ad* 3 docet: « proprium autem nullo modo habere possunt » *et q.* 88 *art.* 11 *ad* 1. « Nihil de- » bet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator commu- » nium bonorum Ecclesiae. »

Alter effectus, qui fere legalis dicitur, ille est, quo Regularis redditur inhabilis in perpetuum ad habendum rerum dominium, et proprietatem. Quare notat S. Thomas *loc. cit. q.* 185 *art.* 8 *ad* 3. « Si tamen ex concessione Papae testamentum fa- » ciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apo- » stolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suae di- » spensationis, ut eius dispensatio possit valere post mortem. »

Praeter eiusmodi effectus illis omnibus communes, qui solemniter paupertatem sunt professi, habentur etiam illi, qui ex Regula particulari proveniunt, iuxta quam paupertatis votum fuit emissum. Et ad rem Consultor afferebat auctoritatem Suaresii *Tom.* 4 *l.* 3 *c.* 16 in quo scripsit: « quamvis ergo daremus, » Episcopum iam non obligari Regulae, nihilominus obligari » potest voto paupertatis facto secundum Regulam: quia ibi » Regula non concurrit imponendo obligationem, sed signando » materiam voti. »

Quare observabat Consultor, licet obligatio voti paupertatis eadem sit in omnibus quoad duos priores effectus; diversa nihilominus esse potest circa caeteros effectus, ex peculiari Regula provenientes. Hinc ex. gr. Episcopus Ordinis S. Francisci, rigidiori paupertatis observantia tenetur, quam Episcopus ex aliquo Ordine Clericorum Regularium. Et ad Societatem Iesu quod attinet ita loquitur Suaresius: « quod quidem ad votum pauper- » tatis in Societate pertinere, constat ex examine capitis primi, » ubi votum paupertatis ita exponitur: *Sic paupertatem acci-* » *piendo, ut nec velit, nec possit reditus ullos ad suam sustenta-* » *tionem, nec ad quidvis aliud habere.* Et infra: *Neque etiam* » *(quamvis aliis sit licitum) pro Missarum sacrificiis, vel praedi-* » *cationibus, vel lectionibus, vel ullius Sacramenti administratione,* » *vel quovis alio pio officio ex iis, quae iuxta suum institutum So-* » *cietas potest exercere, stipendium ullum, vel eleemosynam, quae*

» *ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab aliis* » *quam a Deo, ob cuius obsequium omnia pure facere debent,* » *possunt admittere....* »

Verum quamvis Episcopus Regularis hisce vinculis maneat devinctus; tamen non eodem modo adstringitur usu paupertatis, ac simplex Religiosus. Id enim repugnaret cum novo episcopali statu, quem suscepit: Hinc habere debet ampliorem rerum temporalium usum, quippe usus considerari potest, 1 in bonis acquirendis: 2 in iisdem retinendis: 3 in iis erogandis. Poterit nimirum, interdicta semper proprietate, bona acquirere eo modo, iisdemque titulis, quibus saecularis Episcopus acquirere potest; nempe ex donatione, ex contractu, ex testamento, ex legitima successione. *Monachus factus Episcopus velut legitimus haeres paternam sibi haereditatem postea iure vindicandi potestatem habeat,* ceu legitur in can. *Statutum* 18 *q.* 1. Acquirit autem non sibi, neque monasterio cuius membrum amplius non est, sed suae ecclesiae, cui desponsatus est. Ideo s. Thomas *loc. cit. art.* 8 *ad* 3 declarans cap. *Statutum* ait: » proprium autem nullo modo habere possunt (Episcopi Reli- » giosi), non enim paternam haereditatem vindicant quasi pro- » priam, sed quasi Ecclesiae debitam. Unde ibidem (cap. *Sta-* » *tutum* 18 *q.* 1) subditur, quod *postquam Episcopus ordinatur,* » *ad altare ad quod sanctificatur et intitulatur secundum sacros* » *canones, quidquid acquirere potest restituat.*»

Quaerebat insuper Consultor cuinam acquirat Episcopus Regularis tantum Titularis, et cum Suaresio respondebat. «Dicendum » est enim per se, et ex vi iuris acquirere illi ecclesiae, cuius ti- » tulum habet; quia vero non possunt illi cum effectu applicari » talia bona, *in pia opera dispensanda sunt,* quae dispensatio ipsi » Episcopo est commissa, dependenter autem a Summo Ponti- » fice » *De Relig. t.* 3 *l.* 3 *c.* 17 *n.* 5. Et iuxta huius doctrinae tramites emissa est decisio *in Vilnen. Ordinis S. Basilii M. Ruthenorum* de qua mentionem fecit Episcopus N. In hac enim decisione, valida iudicata fuit donatio cuiusdam vis pecuniae ab Episcopo *in partibus infidelium,* Ordinis S. Basilii M., facta favore alterius Ordinis Religiosi.

Poterit insuper (prosequebatur Consultor) Regularis Episcopus possidere, et retinere apud se omnia ea bona, quae acquisivit post susceptum Episcopatum; ea autem bona, quibus ex

venia Superioris antea utebatur, retinere non potest, sed monasterio relinquere tenetur, iuxta *cit. can. statutum:* in quo legitur: *quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat, et Abbatis sui... arbitrio.* Et Summi Pontifices Clemens IV. pro Regularibus Ordinis S. Dominici, et Alexander IV. pro Regularibus S. Francisci, poenam suspensionis ab usu Pontificalium inflixerunt, si ipsi ad Episcopatum promoti, non resignarent Superiori omnia quae habebant, libris etiam non exclusis.

Ad usum vero et dispensationem bonorum quod attinet, observabat, Doctores in hisce convenire, nimirum: 1 quod Regularis Episcopus, id exigente novo statu, ampliores facultates habeat in usu ac dispensatione bonorum, quas non habet simplex Regularis. 2 Quod vi episcopalis status, sibi uti, et aliis dispensare bona potest independenter ab alterius voluntate, quod simplex Regularis facere non potest. Haec autem facultas *ipso facto,* idest assumptione ad Episcopatum, tacite a Romano Pontifice concessa existimatur, ita tamen, ut si Romanus Pontifex eamdem facultatem et modum disponendi pro arbitrio limitare vellet, Episcopus Regularis hanc limitationem impositam sequi teneatur, non tantum sicut caeteri Episcopi, sed etiam ex speciali obligatione, ex paupertatis voto proveniente; et hoc pacto manet essentia voti, quo quisque obstrictus, si bonis utatur, iisdem non tamquam propriis, uti debet.

Quare cum ex dictis Regulares Episcopi, sint meri administratores, et dispensatores episcopalis mensae, erogare tenentur reditus superfluos in pauperes, ususque pios, sibi tantum retentis, quae honestae sui sustentationi conveniunt; honesta autem sustentatio ex vi voti, et ex specialibus regulis, quae voti materiem determinent, modestior esse debet illa, quae saeculari Episcopo convenire posset.

CAPUT SECUNDUM.

AN ET QUOMODO REGULARIS EPISCOPUS OBLIGETUR AD VOTUM OBEDIENTIAE, ET AD OBSERVANTIAM REGULAE. — In examen revocabat Consultor obligationem Episcopi Regularis, quae ex voto obedientiae oritur. Ex dictis dubitandum non esse aiebat, quin Regularis Episcopus obedientiae voto obstringatur, cum Regularis

esse non cesset. Verum cum inter Principes Ecclesiae Dei collocetur, ordo exigit, ut obedientiam sui Ordinis Praelatis praestare non teneatur. Nihilominus urgente obedientiae voto, illi, peculiari obligatione, obedire tenebitur, cui obedientiam praestare debent ipsi Ordinum generales Praelati, videlicet Summo Pontifici, qui omnium Ordinum Superior est. Haec autem locum habere Consultor aiebat, etiam cum agitur de Regularibus Episcopis titularibus tantum. Hi enim pertinent etiam ad Ecclesiae principatum, quamvis per accidens iurisdictionem exercere non possint. Nec praetermittebat observare, quod ex vi voti, Episcopi Regulares tenentur obedire tantum Romano Pontifici; aliis vero, si qui sint, Superioribus puta Patriarchae, Primati, Metropolitae, vel etiam Synodalibus aliisque Ecclesiae legibus, obedire debent, prouti obedire tenentur caeteri Saeculares Episcopi. Eiusmodi enim Superiores, non subrogantur illis, quibus obedientiam promisit Regularis in voti professione.

Gradum autem faciens Consultor ad quaestionis nucleum, nimirum ad Regulae observantiam, maiori eruditione, et documentorum copia ad praestitutam sibi metam deveniebat. Quamvis autem omnia, ratione nostri instituti referre non possimus, praecipua tamen referre curabimus.

Animadvertebat autem in primis in eo convenire Doctores, nimirum Regularem Episcopum, Regularum *vi coactivae* non subiici, cui subiecti sunt caeteri Regulares, si Regulam non servent. De qua re rationem reddit Passerinus *de triplici statu hominis q.* 185 *art.* 8 *n.* 115, hisce verbis: « Ratio vero est, quia licet » in iis quae perfectionis sunt eadem deceant discipulum et ma» gistrum; uterque enim tenetur legere et meditari: tamen ma» gistrum non decet ferula, vel flagellum, quo compellatur ad » studendum. Ita Episcopum religiosum decet observantia regu» laris, quem tamen non decet vis coactiva, per poenarum in» flictionem, sed suae dignitati convenit, ut per modum dominii, » et libertatis, ex honestatis amore, non ex timore poenarum » moveatur ad observandam Regulam, quantum potest.» Ex quo concludebat Consultor: quemadmodum Episcopus non subest poenis Regulae transgressoribus inflictis, ita non tenetur ad earum Regularum observantiam, quae obligant, non ad culpam, sed ad poenam tantum.

Praeterea Doctores in hoc conveniunt, ut Episcopus nulla ratione teneatur ad earum Regularum observantiam, quae vel dedecent episcopalem dignitatem, vel episcopali muneri repugnant, aut saltem impediunt rectum eiusdem muneris exercitium, *argum. ex can. Nemo* 2 *caus.* 16 *quaest.* 1 in quo S. Gregorius haec ait: *Nemo potest Ecclesiasticis observantiis deservire, et in monastica regula ordinate persistere, ut ipse monasterii districtionem teneat, qui quotidie in ministeriis ecclesiasticis cogitur permanere.*

Quaerebat insuper Consultor, quaenam essent eiusmodi regulae, quae cum episcopali officio non cohaereant, et eas determinabat cum angelico Doctore *loc. cit. art.* 8 in quo scripsit: « si quae vero sunt in observantiis regularibus, quae officio pon» tificali repugnant, sicut est *solitudo, silentium,* et *aliquae absti» nentiae,* vel *vigiliae graves,* ex quibus impotens corpore redde» retur ad exequendum pontificale officium, ad huiusmodi obser» vanda non tenetur.» Omissis autem quae spectant ad solitudinem et silentium, animadvertebat, Doctorem angelicum non dixisse absolute non teneri ad *abstinentias,* sed *aliquas abstinentias,* idest *graves.* Et sane iuxta S. Ambrosium *L. de Elia c.* 8, « Ieiunium » est continentiae magisterium, pudicitiae disciplina, norma vir» tutis, purificatio animae, senectutis gratia, custodia iuventutis, » infirmitatis alleviamentum, alimentum salutis; » proindeque Episcopo magis convenit, quam aliis, utpotequi perfectior ceteris esse debet. Quare sobrietas ab Apostolo exigitur *in ep.* 1 *ad Timoth.,* et Concilium Tridentinum *sess.* 25 *cap.* 1 *de Reform.* praescribit: *ut modesta supellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint.*

Nonnullis insuper animadversis, concludebat gravem abstinentiam posse censeri quotidianum ieiunium, quod usum ovorum, et lacticiniorum excludat; nec non eas abstinentias, super quibus Regularis idem Episcopus ferre iudicium non valeat, an conveniant, vel non, cum Episcopali officio.

Altera obligatio, qua certo Regularis Episcopus tenetur, est incedendi habitu et deferendi insignia, quae propria sui Ordinis sunt. Haec enim obligatio aperte declaratur in Cap. *Clerici* 15 De *Vita et hones. Cleric.*, et sancitur in Const. *Custodes,* de qua infra. Et originem suam ex eo repetit, quod talis Episcopus non desinit esse Regularis. S. Thomas *loc. cit. art.* 8. Sane quamvis

Monachum non faciat habitus, sed professio regularis, iuxta caput *Porrectum de Regular.*; nihilominus habitus est tessera peculiaris status suscepti in visibili Ecclesia existentis, qua a ceteris Regulares distinguuntur, eorumdemque obligationes designantur.

Hisce itaque praehabitis, quae communiter tamquam certa tradi solent, exponebat Consultor tres diversas Doctorum sententias circa obligationem observandi caeteras regulas. Prima enim sententia eorum est, qui docent talem Episcopum omnino solvi a dicta obligatione, ita Suarez *T.* 4 *de Relig. tract.* 8 *l.* 3 *c.* 17 *n.* 16. Lucarinus *De Episc. Regular. c.* 2 *n.* 348, Palaus, Tamburinus, Sanchez, pluresque alii. Suarez autem distinguens Constitutiones a Regulis reddit has rationes: « quia illae *(Constitutiones)* » non obligant, nisi ut praecepta Praelatorum, vel Capitulorum » Religionis, sed talis Episcopus, non tenetur obedire Praelatis, » ergo nec huiusmodi legibus: par enim est ratio praecepti scri- » pti permanentis, seu legis et praecepti ab homine impositi, » imo praecepta ab homine rigorosius obligare solent; quia, ut » dicunt Iuristae, mitius agitur cum lege, quam cum homine.» Non obligatur vero Episcopus ad Regularum observantiam, quia hae sunt leges communitati impositae; ideoque eos omnes obligant, qui ad eandem communitatem pertinent, et usque dum permaneant membra eiusdem: Episcopus autem Regularis, neque ut subditus, neque ut Praelatus, ad communitatem pertinet, ergo eiusdem Regulis non tenetur.

Altera sententia est Caietani, quae paucos habet sequaces, quaeque docet talem Episcopum teneri ad dictam observantiam *ex quadam decentia, et ex debito morali*, et quamvis huius observantiae transgressio ab aliqua culpa excusari non possit, tamen ea ad gravem culpam non pertingit, licet Regula obliget *sub gravi*. Tum prima, tum haec secunda sententia innititur praecipue Canoni *Statutum. caus.* 18 *q.* 1.

Tertia sententia docet Regularem Episcopum ad Regularum observantiam, quae cohaerere possit cum dignitate, et episcopali munere, teneri *sub gravi*, vel *sub levi*, prouti ipsaemet Regulae obligant. Et haec videtur esse sententia angelici Doctoris, qui *loc. cit. q.* 185 *art.* 8. scripsit: « sic ergo dicendum est, quod si » quae sunt in regularibus observantiis, quae non impediant pon- » tificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam,

» sicut est continentia, paupertas, et alia huiusmodi, ad haec » remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus; et per » consequens ad portandum habitum suae Religionis, qui est » huius obligationis signum.» Et respondens difficultati depromptae ex Can. *Statutum*. ait: « ad primum ergo dicendum, quod » ille, qui fit de Monacho Episcopus, absolvitur a iugo monasti- » cae professionis, non quantum ad omnia, sed quantum ad illa, » quae officio pontificali repugnant, ut dictum est.» Quam sententiam sequuntur Passerinus *loc. cit.* Card. Petra aliique pauci.

Si eiusmodi quaestio, Consultor subiungebat, dirimi deberet extrinseca auctoritate, prima sententia vera dicenda foret, quae velut communis haberi potest. Unde Card. Petra *t.* 3 *comm. in Const.* 5 *Alex. IV. n.* 32 scripsit: « Huic tamen sententiae, » cui communis Doctorum calculus accessit, in obsequium potius » auctoritatis, quam suadentis rationis captivare intellectum opor- » tet. » Verum expensis rationibus, tertiam sententiam veram dicendam esse censebat Consultor et in praxi sequendam; rationes autem, quas tantum indicamus sunt sequentes.

Obligatio ex professione orta observandi votum obedientiae, et regulas proprii Ordinis, *natura sua* perpetua est. Ex triplici tantum hypothesi posset cessare, nimirum, vel per incompatibilitatem novi status legitime adepti: vel per aliquam dispositionem canonici iuris: vel per Pontificiam dispensationem. Atqui nulla ex hisce hypothesibus in facto obtinet. Non prima, quia Regulae, quae ad perfectionem Regulares simplices ducunt, conveniunt etiam Regulari Episcopo, qui ad magisterium perfectionis evectus, instruere populum, eumque ad sanctitatem promovere debet. Quo enim Episcopus perfectior evadit, eo utilior populo redditur. A tramite ergo perfectionis semel suscepto per determinatae Regulae professionem deflectere non potest.

Altera hypothesis pariter locum non habet. Namque in canonico iure, excepto Canone *Statutum* de cuius vi infra dicetur, nihil aliud reperitur, ex quo solutio a dicta obligatione erui possit.

Tertiam autem hypothesim, plura documenta non modo excludunt, sed contrarium aperte declarant. Ac omissa epistola Innocentii I. ad Victricium, quam supra retulimus, adducebat Consultor plura alia documenta. Innocentius III. Episcopum Pin-

nensem, qui ex Abbate Ordinis Cistercensis ad Episcopatum assumptus, monasticas observantias non custodiebat, sic acriter redarguit: « *Tacti sumus dolore cordis intrinsecus, et gravi moerore turbati, quod tu sicut accipimus, in iniuriam Ordinis tui, et infamiam Ordinationis nostrae agis in pluribus ut apostata, qui teste scriptura vir inutilis appellatur. Si enim diligenter attenderes, quod de Monacho non simplici, sed de Abbate duximus in Episcopum assumendum.... eam deberes observare, tam in vita, quam in moribus honestatem, quae ad salutem tibi proficeret, et subditis ad exemplum. Verum, de quo miramur non modicum et movemur, propriae conditionis oblitus, quod post* acceptum Episcopatum quaedam illicita *liceas et expedias,* quae Fratrum Cistercensium observantia reputat inhonesta : *picturata sella, et chirothecis uteris sericatis, amplo te galero coronas, et carnibus, publice usque ad saturitatem te reples, ei forsitan per insignia huiusmodi comparandus, de quo, data ei tunica pellicea, scriptum esse legitur* – ecce Adam factus est sicut unus ex nobis sciens bonum et malum – .... *Meminimus quidem, et tu debueras meminisse, qualiter in recessu tuo coram fratribus nostris districte tibi duximus iniungendum, ut Cisterciensis Ordinis observantiam custodires, cum Pontificalis susceptio dignitatis non absolveret te a voto, ex qua, licet cum honore sit,* sic onus tibi magis auxerit, ut Religioni nihil penitus deperiret, *per quod eius habenas taliter relaxares. Ideoque Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus..... ita corrigas vitam tuam, et te sic* observantiae regulari conformes, *ut non rediisse ad saeculum, sed in saeculo potius, ipsum et pompas eius contemnere videaris. Alioquin cum admonitio praecesserit, de caetero vindicta sequetur.* » *ex Innocen. III. epist. t.* 1 *l.* 5 *pag.* 666.

Post hoc aureum documentum, alia adiungebat Consultor, nimirum Decretum Alexandri VII. super Episcoporum residentia emissum die 26 Iulii 1662, quo declaratur, quaenam sit RR. Pontificum mens in evehendis ad dignitatem episcopalem Regulares, hisce verbis: « Decernit insuper ac declarat, Sanctitatis Suae » mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, si Regulares fue- » rint, ab obligationibus professioni regulari, quam emiserunt, » adnexis, per adeptionem dignitatis ac muneris episcopalis, ul- » latenus absolvere ac eximere, nisi quatenus eiusdem mune-

» ris ac curae pastoralis exercitio impedimenti sint, ideoque » quotiescumque ex ipsorum culpa (quod absit) sive ex alia qua- » libet causa, aut impedimento quamtumvis iusto ac legitimo, » excepto tempore a S. Conc. Tridentino praefinito, aut nolue- » rint, aut nequiverint, minime absolutos esse censeri ab obli- » gatione, quam per professionem regularem contraxerunt, de » vivendo intra claustra, et sub obedientia Superiorum eiusdem » Religionis, observandoque omnia et singula, quae a Regulari- » bus, intra claustra degentibus, sive ex voto, sive ex praescri- » pto Regulae et Constitutionum suae Religionis, quomodolibet, » et qualitercumque observari debent ac solent. » Hoc decretum fuit insuper confirmatum a Clemente XI. anno 1715 ac exten- sum ad omnes Episcopos Regulares, qui eliguntur ad obeunda officia Vicarii Apostolici vel Administratoris et Visitatoris in aliis dioecesibus.

Denique Benedictus XIII. in Constitutione *Custodes super muros.* 1725, haec sancivit: « Statuimus atque sancimus, ut ex » monastico, regulari, et Mendicantium Instituto, ad episcopa- » lem seu qualemcumque aliam dignitatem, etiam S. R. E. Car- » dinalatum iam evecti, et in posterum evehendi, universis et » singulis suae Regulae officiis et obligationibus quae Pontificale, » seu cuiuscumque alterius dignitatis, aut Cardinalatus officium » minime impediunt, perpetuo subsint, et proinde sui monastici » Ordinis, sive alterius Regulae Mendicantium insignia, et pro- » pria indumenta lanea, suoque peculiari colore distincta, rasilem » quoque et ad cutis planitiem in summo vertice, vel eo gyro » et forma expressam coronam praeferant, quibus antea cum » intra eorumdem regularium Ordinum claustra Deo militarent, » ex solemni sua professione insignia induere et coronam prae- » ferre tenebantur, a cuius professionis obligatione per munus » episcopale neutiquam absolvuntur, aut nullo pacto eximuntur; » propterea huiusmodi Episcopi ex familiis Regularium, Mona- » chorum, et Mendicantium assumptis, in virtute sanctae obe- » dientiae praecipimus et mandamus, ut omnia et singula prae- » sentibus Literis Nostris hactenus recensita, undequaque ob- » servare non differant. Si vero, quod absit, hoc agere contem- » pserint, vel neglexerint, eos poena suspensionis ab exercitio » Pontificalium ipso facto incurrenda, tamdiu innodatos esse de-

» claramus, donec a contumacia resipiscentes eiusdem suspen-
» sionis relaxationem meruerint obtinere.»

Mirum hinc videri non debet iudicium quod tulit Benedictus XIV. *De Beatific. l.* 3 *c.* 3 *n.* 11. Ait enim eo loco Pontifex : « docet D. Thomas 2 2 *q.* 88 *art.* 11 *ad* 4 *et q.* 185 *art.* 8 » Religiosos assumptos ad Episcopatum teneri ad Regulares obser-
» vantias, quae non impediunt officium pontificale, quod ipsum
» ad eosdem Regulares ad Cardinalatum evectos extenditur, iu-
» xta ea quae habentur apud Dominicum de s. Thoma, (De Ec-
» cles. Christi et Papa sect. 18 q. 9 tom. 10. *Max. Biblioth. Pon-*
» *tificia*) ac de huius sententiae veritate *absonum esset dubitare*
» post editam a Bened. XIII. Constitutionem an. 1725, quae
» incipit *Custodes.*»

Hisce autem haud obstantibus, Doctores fuerunt, qui de hac obligatione dubitarunt inter quos Andreuccius *De Epis. Titular. par.* 3 *n.* 163, *et* 165, qui Auctor S. Alphonsum praecedens et quaestionem non obiter pertractans, inter cetera haec ait : « Cum vero in praedicta Constitutione *(Custodes)* non exprima-
» tur an subsit *(Episcopus)* ex lege coactiva obligante sub gravi,
» vel solum ex lege honestatis ac decentiae sicut olim docuit
» Caietanus ... siquidem cum simus in lege odiosa et poenali,
» ea non extendenda est ultra casum expressum, ut constat ex
» *regula* 49 *in* 6, praesertim quia aliter haberetur manifesta cor-
» rectio Canonis *Statutum caus.* 18 *q.* 1, Glossae ibi adiectae,
» et omnium ferme Canonistarum, qui iuxta citatum Canonem
» docent Episcopum absolvi a iugo Regulae, idest, ut cum aliis
» novissime interpretatus est Rotharius, absolvi ab obligatione
» observandi omnes et singulas regulas, *sub culpa saltem gravi.*
» Correctio autem legum non facile praesumenda est ex Cap.
» *Ecclesia de elect....* » S. Alphonsus quaestionem hanc obiter pertractans, innixus antiquiorum Doctorum auctoritati, et saepe citato Canoni *Statutum,* eam sententiam probabiliorem esse putavit, quae a iugo Regulae Episcopum penitus absolvit.

Expendebat itaque Consultor rationes oppositas; et quoniam praecipuum fundamentum huius sententiae est Canon *Statutum,* secundum quem Monachus a iugo monasticae Regulae absolvitur; illum in examen revocabat. Inquiebat itaque Canonem de quo agimus insertum reperiri in Gratiani *Decreto.* Porro igno-

rat nemo, per eiusmodi insertionem a Gratiano factam, Canones provinciales, et reliquas ss. Patrum sententias vim legis universalis non habere. Maiorem enim auctoritatem sibi non vindicant ea, quam habeant fontes a quibus haustae sunt. Magna quidem reverentia recipi debent Patrum sententiae, et Canones conciliorum provincialium, qui in eo Gratiani *Decreto* continentur, sed tum habebunt vim universalis legis, quando in oecumenicis Conciliis, vel in Decretalibus, et Pontificiis Constitutionibus RR. Pontifices eas sententias et Canones sibi proprios fecerunt. Canon autem de quo agimus, est Concilii provincialis Altheimensis in Rhaetia habiti initio saeculi X. de cuius genuinitate insuper a Criticis dubitatur, licet Berardi eumdem ut genuinum habeat, in opere *Gratiani Canones genuini, ab apocryphis discreti.* Hisce aliisque consideratis concludebat Consultor; eam sententiam posthabendam esse nullaque probabilitate gaudere, quae innititur provincialis concilii Canoni, de cuius genuinitate insuper dubitatur, qui opponitur Decretis, et Constitutionibus RR. Pontificum. Talis porro est sententia de qua agimus. Ergo etc.

Occurrebat insuper Consultor aliis oppositis rationibus, et in primis illis, quae ab Andreuccio allatae sunt. Animadvertebat hunc auctorem in duplici falso supposito versari. Ex errore nimirum supponit Benedictum XIII. novam edidisse legem, et Canonem *Statutum* legem esse universalem. Quod per eam Constitutionem, non fuerit nova lex, novaque obligatio inducta, ex hactenus dictis colligitur. Non enim natura sua earum regularum iugum solvitur, quae cum episcopali dignitate, et munere congruunt; non per aliquod iuris caput; multoque minus per mentem RR. Pontificum, qui nunquam ab observantia Regularum talem Episcopum eximi voluerunt. Ex vi autem huius obligationis Benedictus XIII. *in virtute sanctae obedientiae* iniunxit, ut *insignia et propria indumenta .... suoque colore distincta, rasilem quoque .... coronam* etc. *praeferant* Regulares Episcopi, vel Cardinales. Poenam autem Suspensionis adiectam, ad huius tantum peculiaris iniunctionis contemptum, referri Consultor censebat. Proindeque dictos Regulares, ex vi obligationis susceptae per professionem, non ex nova obligatione, teneri ad Regularum observantiam *sub gravi vel sub levi,* prouti ipsaemet Regulae obligent.

Falso insuper supponitur, Canonem *Statutum* vim legis universalis habere, quam vim mutuari non potuit a Patribus Concilii provincialis, neque a Gratiano per suam collectionem, cui talis auctoritas nunquam a S. Sede tributa est; neque a RR. Pontificibus, qui nunquam in Decretalibus, vel Constitutionibus illum canonem interseruerunt; neque a Doctoribus, qui illam vim tribuere non possunt. Quare non agitur de legis praeexistentis correctione ut supponebat laudatus Auctor; sed tantum de correctione doctrinae communiter receptae ab Auctoribus, ex nimia auctoritate illi Canoni tributa; quorum, ut usuvenit, unus alterum sequitur.

Demum rationi illi subtiliter a Suaresio excogitatae Consultor respondit. Et circa primam rationis partem, quam supra retulimus, Constitutiones a Praelatis Ordinis, vel Capitulis factas respicientem, distinguebat Consultor Constitutiones generales quae antecesserunt, ab illis peculiaribus, quae post adeptum Episcopatum, subsecutae sunt. Porro prioribus illis devictum manere Episcopum Consultor censebat; non vero posterioribus, quo tempore per accidens Regularis Episcopus solutus extat ab auctoritate sui Praelati, cuius loco succedit Summus Pontifex.

Ad alteram autem rationis oppositae partem, quam sic expressit Suaresius: « Ratio autem est, quia illa regula solum obli- » gat, tanquam quaedam lex huic communitati imposita : ergo » solum obligat personas huius communitatis, quamdiu sunt » membra illius, quia omnis lex pro communitate per se primo » fertur, et ita ad eos tantum loquitur, qui sunt partes illius » communitatis; sed Religiosus, eo ipso quod fit Episcopus, » desinit esse membrum talis communitatis, quia nec est sub- » ditus nec Praelatus eius: » ita respondit Consultor; verum esse generale principium, leges subditos obligare, quamdiu ipsi manent in communitate, seu territorio, ita ut lex *afficiat subditos mediante territorio,* et iuxta iuris principium *ff. l. ult. de Iurisd.* « *extra territorium ius dicenti impune non paretur.* » Haec autem non omnia aptari posse casui nostro, in quo Regulae et Constitutiones ex Romani Pontificis auctoritate, afficiunt directe et immediate personas Regulares ubicumque sint, sive in monasterio, sive extra: tamdiu itaque quis regulis devincitur, quamdiu Religiosus manet. Verum habentur quidem Regulae,

quae Religiosis singulis conveniunt non immediate, sed quatenus in communitate vivunt, puta regulam accedendi statis horis ad monasterium; petendi veniam a Superiore in exitu etc.; ab eiusmodi regulis, quae respiciunt rationem vivendi in communitate, solutus manet Episcopus, qui membrum amplius non est communitatis eiusdem.

Hisce autem difficultatibus reiectis, ad mitigandum huius sententiae rigorem, qui prima fronte nimis gravis videri posset, sequentia Consultor animadvertebat. Auctores qui hanc sententiam sequuntur, eodem tempore docent posse Religiosos Episcopos secum ipsis dispensare, quemadmodum possunt Superiores Ordinum Praelati secum ipsis, et cum subditis suis, ne dicatur Episcopus in hac re inferioris esse conditionis, simplici Religioso; quamvis eiusmodi loquendi ratio probanda Consultori non videretur. Manet enim Episcopus a Regulis obligatus, proindeque secum ipse dispensare non potest: nihilominus censebat Consultor, posse Episcopum, spectatis adiunctis, in casibus obvenientibus, prudenter iudicare, an obligatio Regulae cesset: quo sensu loquitur S. Thomas *loc. cit. q.* 185 *art.* 8 - ibi - « In aliis » tamen (*regulis non repugnantibus episcopali officio*) potest di- » spensatione uti, secundum quod requirit *necessitas personae,* » vel *officii, et conditio hominum cum quibus vivit,* per modum » quo etiam Praelati Religionum in talibus secum dispensant.» Eiusmodi autem causae ab Angelico recensitae, *necessitas personae* (Episcopi), vel *officii et conditio hominum cum quibus vivit,* propter quas prudenter iudicare potest, an in particulari casu obligatio Regulae cesset, ad unum revocantur prouti docet Passerinius *De triplici statu hominum q.* 85 *art.* 8 *n.* 157, hisce verbis: « Cum immo haec regula sit certa, quod Episcopus est a » iure solutus ab obligatione regulae, vel in universali, vel in » casibus singularibus, quotiescumque regulae observantia im- » pedit illum ab exercitio sui officii; ad huius officii necessita- » tem reducitur etiam necessitas personae, vel convictus cum » aliis, quia et personae firmitas, et convictus honestus cum » aliis, ad perfecte exercendum officium sunt in Episcopo ne- » cessaria. Ceterum ubi ex observantia regulae nullum nascitur » impedimentum officii, non est cur Episcopus non teneatur ad » id, quod in professione sua promisit.»

Post haec omnia non praetermittebat Consultor adnotare, ad paucas reduci Regulas, quas Episcopi observare adstringuntur. Namque demptis Regulis, quae officia Religionis respiciunt, quae ad communem rationem vivendi spectant, aliisque officio, et dignitati episcopali per se repugnantibus, supersunt tantum Regulae, quae, orationes, ieiunia, aliasque mortificationes iniungunt, ad quas insuper servandas prudenter in casibus particularibus iudicare potest an teneatur. Quare, hisce omnibus in suo voto ample et erudite disputatis, opinabatur Consultor ad propositum dubium posse responderi: « affirmative iuxta modum: idest te» netur Episcopus Regularis observare regulas suae Religionis, » quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias » Regulas et observantias dignitati et officio episcopali non re» pugnantes, eadem obligatione gravi, vel levi observare, qua » tenebatur antequam assequeretur episcopalem dignitatem; ita » tamen ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre pos» sit, utrum cum dignitate et officio episcopali optime illae con» veniant.» Quibus si S. Congregationi placeret addi posse opinabatur Consultor: « et consulat D. Thomam 2 2 *q.* 185 *art.* 8 » haec tradentem: *in aliis tamen* (quae officio episcopali non re» pugnant) *potest dispensatione uti secundum quod requirit neces» sitas personae, vel officii, et conditio hominum cum quibus vi» vit, per modum, quo etiam Praelati Religionum secum di» spensant.*»

Haec Consultoris opinio probatu digna visa est S. Congregationi eo modo, quo sequitur.

Dubium.

« An et quomodo Episcopus Regularis teneatur ad Regulam » servandam, quam professus est.»

Resolutio dubii. — Sacra Congregatio Episc. et Reg. comitiis habitis die 6 Maii 1864 respondere censuit: *Affirmative, ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. incipientis* Custodes, *nempe Episcopus Regularis tenetur observare Regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias dignitati, et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi, vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen ut in pe-*

culiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant.

Ex iis colliges:

I. Regularem ad Episcopatum evectum, quamvis a monasterio divulsum, Regularem esse non cessare.

II. Eumdem proinde non solvi a votorum obligatione iuxta Regulam, quamvis termini relationis voti obedientiae mutentur.

III. Imo teneri ad Regularum observantiam, quae cum persona a communitate seiuncta, et ad Episcopatum evecta congruunt.

IV. Eiusmodi autem obligationes ita intelligi debere, ut *in collisione* status regularis cum dignitate, et munere episcopali suscepto, vincat dignitas et episcopale munus, praeeunte circa hanc *collisionis* existentiam prudente eiusdem Regularis Episcopi iudicio.

V. Non enim decet ecclesiam desponsatam, quae libera est, subesse incommodis et iacturis (1) ob singularia sui sponsi vota, singularesque leges.

VI. Haec omnia insuper facile posse ad Religiosos ex instituto votorum simplicium ad Episcopatum assumptos. Eadem enim obligationis ratio vigere videtur.

STIPULATIONIS CONTRACTUS.

Die 22 *Februarii* 1861, *et* 17 *Maii eiusdem anni.*

Compendium facti. Administrator generalis locorum piorum quae in oppido A. reperiuntur, a S. C. Ep. et Reg. Apostolicum beneplacitum obtinuerat, ut praedium quoddam *la Clausura* nuncupatum, et ad sodalitium SS̃mae Crucis pertinens, publice venumdare posset. Promulgatis itaque edictis, maior ac melior extitit oblator Petrus, qui pretium obtulit scutatorum 425; cum enim ex viri

(1) Vid. pag. 227 in nota in qua refertur Resolutio S. C. C. respiciens acquisitionem bonorum favore ecclesiae.

periti aestimatione fundus pretio scutatorum 320 valere constaret, ipse augmentum scutatorum centum supra quinque exhibere non dubitaverat. Quocirca re ad S. C. iterum delata, die 30 Martii 1838 rescriptum prodiit, quo Petrus ad contractum rite ineundum auctorabatur, *salvo tamen iure vigesimae ac sextae*. Executioni rescripto demandato die 17 Augusti eiusdem anni, per acta notarii, venditionis instrumentum rite peractum est.

At die proximo 29 mensis eiusdem penes Curiam adstitit Iosephus, qui ex titulo sextae scutata 71 obtulit supra summam scut. 425 a Petro oblatam, et insuper die 7 Septembris insequentis ex titulo vigesimae (nimirum praeposteio gradu) alia scutata 25 superaddidit, adeoque pretium fundi *la Clausura* ad scutata 521 extulit. Haec oblatio per publicum comparitorem Petro deliberatario denunciata fuit; sed huius denunciationis exemplar die 29 Sept. eiusdem anni domi in manibus uxoris Petri deliberatarii, nequaquam vero personaliter in manibus ipsius relictum est. Nihil ad haec Petrus: sed Iosephus supplex a S. C. deprecatus est, ut sibi fundus venderetur: quapropter Sacer Ordo die 13 Iulii 1840 declaravit fundum vendendum esse Iosepho, hac adhibita cautione, – *nisi Petrus augumentum ab eo* (Iosepho) *oblatum intra praefinitum terminum a die intimationis, quae ei facta asseritur, acceptaverit* – Cum itaque Ordinario, cui rescriptum hoc exequendum remissum fuerat, constitisset, Petro denunciationem factam, et nihil insuper ab hoc responsum vel oppositum fuisse, Iosepho fundum adiudicavit; qui proinde fundum excolendum accepit, nullo tamen instrumento, vel scripto super venditione confecto.

Post haec Iosephus plures peregit actus, quibus iura sua super eodem fundo renunciabat sive pro homine hoc, sive pro alio, dum interea fundum retineret, ac sodalitio interusurium scutatorum sex in singula centena pro pretio quod fuit scutator. 521, persolveret. Superfluum ducimus in hisce actibus ulterius immorari; satis enim, quod ad rem praesentem attinet, eosdem innuisse, videtur. Rebus in hoc statu manentibus anno 1859 tum Iosephus, tum Petri filii et haeredes (quippe hoc intervallo Petrus ad plures abierat) separatim S. C. adierunt, ut instrumentum venditionis pro se quisque, altero repulso, stipulari permitteretur. S. C. antequam potius Petri heredibus, quam Iosepho, ac

*

viceversa annueret, ex more Ordinarium rogandum de veritate precum, eiusque sententia existimavit. Ordinarius ea, quae gesta erant, ab initio usque ad id temporis diligenter enarrabat, ac extremo loco concludebat, Sodalitio fundum libere restituendum, tum propter defectus ac vitia, quae in hoc negotio pertractando contigerant, tum propter iura et actiones, quas ex cessione Iosephi mediate Sodalitium acquisiverat. Monitis deinde partibus, quarum id intererat, ut iura quisque sua penes S. Ordinem deducerent, earum deductionibus acceptis, silente omnino Sodalitio, in consultationem quaestio vocata est, cuinam permittendum esset, ut venditionis instrumentum perageret iuxta dubium, cuius formula heic in calce legitur.

Disceptatio synoptica.

Quas rationes afferret Iosephus. — Hic itaque contendebat, contractum emptionis venditionis in sui favorem fuisse perfectum; quandoquidem cum agatur de contractu consensuali, scriptura et instrumentum non ad actus substantiam, sed ad meram integritatem requiritur (1). Quod vero emptio venditio consummata fuisset ex eo demonstrabat, quod in illo negotio consensus, res, et pretium non defuisset: quamvis enim hoc ultimum idem reipsa non persolvisset, attamen (id quod idem est) conventum ac determinatum fuerat, ut eius loco Iosephus interusurium scutatorum sex in singula centena pro scutatis 521 per plures annos pensitaret, quod adhuc pensitabat.

Subinde varias exceptiones quae contra forsitan obiici possent, fuse diluebat ac dissipabat, quas peculiariter ac speciatim hic exponere superfluum arbitramur.

(1) Ait Voetius ad *Pand. Lib.* 18 *Tit.* 1 *De contrahen. empt.* §. 1. « Emptio-ven-» ditio est contractus bonae fidei consen-» su constans, quo id agitur ut merx cer-» to pretio permutetur. Cuius tria sunt » requisita substantialia, consensus, merx » et pretium, quorum si unum desit em-» ptio non est.» Iisdem fere verbis utitur Peretius *Instit. Imper. Lib.* 3 *Tit.* 24 §. 2.

Quod autem in contractibus consensualibus scriptura necessaria non sit, tradit Imperator *Instit. Lib.* 3 *Tit.* 23 *de oblig.* «Ideo autem istis modis (in emptio-» nibus et venditionibus) obligatio dici-» tur consensu contrahi, quia neque scri-» ptura, neque praesentia omnimodo o-» pus est, at nec dari quidquam necesse » est, ut substantiam capiat obligatio, sed » sufficit eos, qui negotia gerunt, consen-» tire.»

Hisce praestitutis concludebat, rem dici prorsus haud posse ita integram, ut Sodalitio a contractu resilire liceret. Illud enim accidit, quo ista resilitio accidere non poterat (1) sine mediocri eiusdem Iosephi detrimento: nam si bona fides ab omnibus, tum potissimum ab Ecclesia servanda est, eoque magis quando agitur de hominibus idiotis ac rusticis, (qualis erat Iosephus), qui iuris apices ignorant: hic porro tum Administratori, tum Ordinario, qui venditorem repraesentabant, sese crediderat et iis, quae per illos acta fuerant plane acquieverat.

Quae momenta petri filii et haeredes s. congreg. deducerent. —Hi statuebant ante omnia, *Clausurae* fundum in primis experimentis patri suo deliberatum fuisse ac propterea instrumentum per acta Notarii legitime celebratum esse, cuius exemplar exhibebant. Quamvis autem non inficiarentur, vigesimae et sextae experiendae aditum utili tempore patuisse, nihilominus tuebantur id praestitum suo tempore minime fuisse. Quapropter elapso termino dierum viginti pro vigesima, et mensium trium pro Sexta, quin huic conditioni factum satis esset, Sodalitium omni iure deciderat eadem experimenta perficiendi.

Quod autem utili tempore nec vigesimae nec sextae conditiones impletae fuissent, ostendebat animadversio, quod denunciatio, quae obiiciebatur, per comparitorem facta, Petro personaliter indicta non fuerat (2) siquidem domi eius uxori tradita fuerat, et insuper nullum Petrus ipse actum ediderat, quo comprobaretur oblatio a Iosepho exhibita, a Petro, utpote primo deliberatario, acceptata vel reiecta fuisse.

Praeterea ad maiorem iurium suorum demonstrationem subiiciebant, Iosephum omnia iura sua cum S. C. licentia cuidam Aloysio renunciasse, hunc vero eadem iura in haeredes ipsos rite transtulisse. Itaque etiamsi nulla ratio habenda esset instru-

(1) « Comperti iuris est (ait Rota *in* » *Romana stipul. Instrum.* 26 *Iunii* 1850 » *coram Bonini* §. 8 *in fin.*) in iis etiam » contractibus, in quibus, re integra, poe- » nitentiae sit locus, nullum amplius » poenitentiae locum patere simul ac res » iutegra esse desierit, quemadmodum » docent Voet etc.»

(2) In Motu-proprio Benedicti XIV. incipien. «*Essendo ben*» 22 Novemb. 1842 legitur: « Sarà però in obbligo del se- » condo deliberatario riconosciuto che » sia, d'intimare personalmente al pri- » mo l'aggiunta da lui fatta e l'ottenuta » delibera.» Vid. pag. 254 §. V.

menti a Petro anno 1838 cum sodalitio celebrato, attamen se, utpote mediatos Iosephi cessionarios, in eius iura ingressos fuisse propugnabant.

Hisce rationum momentis una cum aliis minoris pretii per partes utrinque expositis, die 22 Februarii anni 1861. Emrum Patrum S. C. Ep. et Reg. iudicio subiectum est

Dubium.

« An et cuius favore permittenda sit stipulatio instrumenti » in casu. »

Resolutio dubii. — S. Congregatio quaestione discussa respondere censuit: *Affirmative favore fratrum* (Petri filiorum et haeredum) *pro scutatis* 521, *praevio novo experimento sextae.*

Eiusdem causae continuatio et exitus definitivus. — Ab hac resolutione Iosephus sese gravatum fuisse censuit, adeoque supplex petiit obtinuitque, ut iterum modo propositum dubium examini supponeretur. In hac itaque nova propositione, partibus acriore animarum aestu flagrantibus, duo Romanae Curiae Advocati, unus pro Iosepho alter pro Petri haeredibus, restrictum iuris et facti typis editum Emis Patribus diribuerunt.

Causa itaque in disceptationem iterum deducta; S. Congregatio die 17 Maii eiusdem anni stetit in decisis, et ita ut causa non amplius reproponeretur, respondendo consueta formula: *In decisis et amplius.*

Ex iis colliges:

I. Contractum emptionis ac venditionis perfici simul ac merx, pretium, et consensus una concurrerint.

II. Plures tamen requiri solemnitates ad contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos.

III. In serie actorum, quae fieri debent, antequam ad instrumentum deveniatur, si vitium aliquod vel defectus forte superveniat, S. C. rata habere ea, quae rite facta sunt ante vitium vel defectum admissum; rescindere autem et abrogare ea, quae in ipso vitio vel defectu nituntur, eaque alia, quae inde subsequuntur.

IV. Nec Ecclesiae locum dari poenitentiae quando res integra esse desiverit.

V. Quamvis ex motu proprio Benedicti XIV., primo deliberatario denunciatio novae oblationis per secundum oblatorem *per-*

sonaliter facienda esse dicatur, nihilominus S. C. denunciationem veluti *personaliter* factam habuisse eam, quae per comparitorem peracta est domi in manibus uxoris copia oblationis relicta.

VI. Non tamen ratam S. C. habuisse sextam vitiose oblatam, sed eam admisisse in vigesimae augmentum (1).

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM ET NULLITATIS PROFESSIONIS, SEU DISPENSATIONIS.

Die 23 *Ianuarii, et* 23 *Aprilis* 1864. *Sess.* 25 *c.* 19 *de Reg.*

Compendium facti. Anno 1844 Titius in Ordine Regulari A. in Galliis religiosam professionem emisit; anno 1849 indultum Apostolicum perpetuae saecularizationis petiit, atque iustis de causis obtinuit a S. Sede, *retento tamen castitatis voto*: anno 1860, petiit ut nulla declararetur sua religiosa professio, utpote emissa per vim et metum. Remissis de more precibus ad Ordinarium, ut regularis processus conficeretur iuxta Constitutionem Benedicti XIV. *Si datam,* hic processus ob peculiares circumstantias confectus non fuit. Quare Sanctissimus annuit ut, non obstante dicta Constitutione, aliisque contrariis, processus Romae conficeretur coram Pro-Secretario S. C. Concilii cum adsistentia Defensoris Professionis religiosae ex officio, absque aliis solemnitatibus, sed sola facti veritate inspecta.

Iudiciali itaque examini suppositi fuerunt tum Titius, qui praeterea quasdam literas suam professionem respicientes produxit, tum Titii germanus frater Caius, qui in eodem regulari Ordine A. iamdiu ante Titium professus fuerat.

(1) Inter allos defectus, qui in praesenti contractu irrepserunt, ille erat, quo statim facta est oblatio sextae loco vigesimae. Sexta autem praecedere non potest vigesimam, quia consideratur velut restitutio in integrum: de qua re vid. pag. 254 §. VI. nec non Appendicem XVIII.

Cum autem quosdam testes Titius nominaverit, nempe alterum germanum fratrem Sempronium, qui Parochus erat, et quatuor Regulares ex eodem Ordine, in variis monasteriis degentes: hinc ut isti omnes rite examinarentur, literae datae sunt ad respectivos locorum Ordinarios ut eorum depositiones reciperent iuxta modum et interrogatoria a praedicto Defensore Professionis exarata; prout reapse factum est.

Quid autem in hisce depositionibus et literis iuramento firmatis contineretur, in sequenti disceptatione refertur. Cum autem utile ad reclamandum quinquennium elapsum fuerat (1), ideo duobus dubiis alterum praepositum est, quae in calce reperiuntur.

Cum autem causa ex mandato SS̃mi *oeconomice* proponenda erat, duo rogati fuerunt Consultores alter Theologus, alter Canonista (2) ut suum votum emitterent, quae vota simul cum actis processus remissa sunt Defensori Professionis ex officio, ut suas faceret animadversiones favore dictae Professionis (3). Consultores itaque, omnibus ad trutinam ample revocatis, in eamdem devenerunt sententiam. Referimus tantum synoptice Canonistae votum, quod ita accurate exaratum est, ut ipsum haberi posset tamquam exemplar in eiusmodi pertractandis quaestionibus, quae in facto consistunt.

Votum Canonistae in compendium redactum.

Praemittebat Consultor, agens de causae merito, seu de puncto principali nullitatis Professionis, naturam religiosae Professionis exigere, ut plena libertate ipsa fiat ut legitur cap. 1 De Regular. *Nullus tondeatur nisi in legitima aetate, et spontanea voluntate:* et cum nihil magis huic liberae et spontaneae voluntati adversetur, quam metus, qui efficit ut Professus *per timorem dicat sibi placere quod odit.* Cap. *Veniens.* 15 *de spons.* ideo ambigi nequit religiosam professionem vi metuque extortam nullius esse valoris, Cap. *De iis quae vi* et Cap. *Cum verum. De Regular. in fine.* Idem statutum iam erat a S. Leone I. et a

(1) Vid. pag. 31.

(2) Theologus fuit Fr. Anacletus a Sancto Felice Minor. Observ. Canonista autem Praesul Ludovicus Iacobini Consultor.

(3) Vid. pag. 259 in nota.

Concilio Romano sub Eugenio Papa in Canone *Puellae;* iterumque S. Tridentina Synodus sancivit, *Sess.* 25 *c.* 19 *De Reg.*

Ex iure tamen non omnis metus professionem irritat, sed ille, qui gravis fuerit et cadens in constantem virum, cuius gravis metus indicia, conditiones et gradus, Iuristae in eorum disquisitionibus determinant et illustrant, inter quos Fagnanus in Cap. *perlatum. De iis quae vi* in Cap. *Si quis. De Reg.* in Cap. *Nullus eod. tit.* in Cap. *Vidua eod. tit.*

Utrum autem gravis sit timor vel levis non *absolute*, et in abstracto, sed *respective* et in concreto est discernendum ex Lege 3 ff. *Ex quibus causis maiores* – ibi – « Metus autem causa » adesse illi videtur qui iusto timore mortis, vel cruciatus corporis » conterritus etc. *et hoc ex affectu eius intelligitur.*» Quod omnes Doctores tradiderunt, et pluries firmavit S. C. C. praesertim in *Theanen. Restit. in integr.* 23 *Novemb.* 1782.

Quare concludebat Consultor prudentia iudicis definiendum esse, an levis, vel gravis in virum constantem cadens sit timor, idque eruendum ex omnibus rerum adiunctis et circumstantiis inter quas peculiares profecto sunt conditio, et natura metum passi, modus, ac ratio metus incussi, et qualitas personae, quae metum incutit.

Iam vero (prosequebatur Consultor) si haec omnia in praesenti disquisitione prae oculis habeantur ambigi non posse videtur, metum incussum in animo Titii gravem fuisse, ita ut valeat solemnia vota irritare: ex tota enim facti serie apparebit in sua iuvenili aetate importunis iteratisque suasionibus Fratris sui, cui erat obsequentissimus, cui nec audebat contradicere, coactum fuisse Religionem ingredi; ibique toto probationis tempore, per quamdam mentis fascinationem remansisse, et tandem maxima animi sui perturbatione religiosam professionem emisisse.

Quod ut facilius, et clarius dignosceretur investigabat Consultor: I. Ingressum in Religionem. II. Emensum novitiatum. III. Emissam professionem. IV. Vitam transactam usque ad saecularizationem, ex quibus tota facti historia apparebat.

Circa coactionem in ingressu in religionem.— In iudiciali examine haec narravit Titius: «Ingressum meum in Religionem usque ad pro» fessionis tempus inclusive neque liberum, neque spontaneum » in ea iuvenili aetate (16 annorum) fuisse puto, sed provenien-

» tem ex timore et oppressione spiritus, orta ex variis circum-
» stantiis et personis. Cum ego morarer in parvo seminario....
» (*in quo per tres annos in literarum studiis haud parum pro-*
» *fecerat*) malo fato levem percussionem dedi humanarum litera-
» rum magistro et in eius indignationem offendi, quia veniam petere
» nolui. Ex hoc originem duxit reciproca animi aversio, quae adeo
» crevit ut cum aliis meis collegis iuramento firmaverimus non fore
» transituros ad eiusdem scholam. Verum urgente tempore tran-
» situs, ego seminarium relinquere debuissem: eo tempore conti-
» git ut meus frater nomine (Caius) iam Regularis professus in
» conventu B. incoeperit mihi persuadere, ut amplecterer idem In-
» stitutum has rationes interserens; quod ob discessum e semi-
» nario noster Pater, qui rigidissimae indolis erat, me ad quam-
» dam trusatilem molam agendam destinasset, quod gallice appella-
» tur *la plaque*... quod ego utpote deditus profanae lectioni Aucto-
» rum latinorum, quibus vehementer delectabar, animae meae fe-
» cissem iacturam. Adiungebat etiam, me ob animi mei levitatem
» et flexibilitatem in mundo fore omnium fraudibus obnoxium,
» quin unquam in societate statum comparare mihi valerem.
» Hisce suasionibus victus, conventum B in qualitate novitii sum
» ingressus. » Huic narrationi consonat depositio fratris Caii, qui auctor fuit huius coactionis ; hic enim deposuit: « Negare
» non possum me pluries allocutum fuisse eidem (Titio) exci-
» tans eius vivam imaginationem religiosis incitamentis, et eius-
» dem phantasiae describens fausta, quae eidem essent obven-
» tura, si se dicto instituto dedidisset.»

Haec confirmantur ex epistola, quam idem Caius scripserat ad suum fratrem Titium, die 13 Februarii 1861, quamque coram Pro-Secretario S. C. C. recognovit, eiusque veritatem iuramento confirmavit (1).

(1) In hac Caii epistola haec continebantur : « Je déclare que mon Frère... est entré au noviciat... sur mes pressantes sollicitations, et que ces sollicitations ont dû exerçer une impression morale très puissante sur son caractère ardent, et sur son jeune âge: il n'avait que seize ans. Je faisais alors partie de la famille du Noviciat, et je dois declarer qu'avec l'experience que j'ai aujourd'hui de la vie religieuse, je vois très clairement, que je me suis trompé dans l'appréciation que je faisais alors, et que j'ai continué à faire pendant les deux ou trois mois qu'il est resté au Noviciat, sur sa vocation à notre Ordre des frères...»

Quam confessionem fratris incutientis metum in pretio habendam esse tradit Barbosa *cons. matrim. divers.* p. 1 cons. 24. Rota *coram Emerix iun. decis.* 225 *n.* 10 11 *et in recent. decis.* 643 *n.* 8 *pag.* 1.

Cui accedit attestatio a Sempronio, altero Titii fratre, in iudiciali examine emissa, et in eius epistola iuramento confirmata, quae inter alia continebat: « insuper bene memini (Ca» ium) nostrum fratrem te in conventum attraxisse, tuam fa» scinando imaginationem.»

Ex quibus omnibus haec tria uti certa eruebat Consultor videlicet: 1 Quod vividissimis saepiusque iteratis suasionibus, ac sollicitationibus fuerit Titius inductus ad amplectendum statum religiosum. 2 Quod hae suasiones procul dubio potentiorem vim in animo reclamantis exercere debuerint, quatenus illarum auctor erat ipsiusmet frater consangnineus natu maior et in Religione professus, quam ob causam apud totam familiam, et iuniorem eius fratrem summa pollebat auctoritate. 3 Quod ab his suasionibus seiunctae dici non poterant minae et pericula impendentium malorum, quod scilicet nisi Religionem amplecteretur reservata unice ipsi fuisset apud paternam domum dura vitae conditio in opificio Patris. Porro cum ex una parte importunitas valde urgeat, ne dicam vexet et opprimat, ex altera parte reverentia et obsequium personae petenti debitum, pusillanimem et timidum reddat nec audentem contradicere rogatum, utraque causa simul iuncta prudentem ac constantem virum cogere eiusque consensum extorquere dicenda est. Quod iam animadverterunt Ciarlinus *cons.* 108 *n.* 3 loquens praecise de metu reverentiali erga fratrem; Portell. *Cons.* 32 *n.* 3 *p.* 3 Pignatt. *cons.* 173 *n.* 30 *et* 151. Imo Rota *coram Merlino decis.* 491 inter eius nomine impressas teste Pignatel. speciatim firmavit sufficere solum metum reverentialem etiam absque minis ad irritandam professionem, propter summam libertatem, quam huiusmodi actus requirit.

Haec autem coactio et malorum apprehensio, qua Titius ingressus est in coenobium eo maiorem vim in Titii animo exercere debuit qui certo noscebat Patris severissimam indolem. De eo enim haec enarrat in sua iurata epistola Sempronius: « Pa» ter noster quamvis honestissimus tanta erat severitate et acri-

» monia ut existere videretur tantum ad terrorem suis pueris » incutiendum. Semper iratus, obiurgans, maledicens, domum » paternam nobis durissimum carcerem faciebat. Persuasum ha- » beo...nostras sorores... et nostrum fratrem mortuos esse non » propter morbum naturalem, sed propter molestiam paternae » domus in qua diutius vixerunt. Si te non fugit cum petendi » collegium tempus erat laetabundi proficiscebamur, et anno » scholari exacto valde moesti rediebamus. »

Quae suasiones sollicitudines et minae vim etiam augent si consideretur indoles, aetas, ingenium, conditio Titii, quae multum consideranda esse ait Rota *decis.* 202 *n.* 6 *recent.* Verum prosequebatur Consultor in casu agi de iuvene, qui ardenti phantasia et aestuanti imaginatione praeditus erat, uti uno ore tradebant testes; de iuvene vitae humanae omnino ignaro.

Quod si in themate desint acerrimae obiurgationes, verbera, comminationes vultu atroci ferocique animo factae, non inde arbitrandum esse aiebat Consultor, deesse moralem coactionem. Non enim lege definita sunt omnia timoris gravis obiecta. Contingere imo potest, habita ratione indolis, et ingenii illius qui vim patitur, ut vividius agant in ipsum moralia motiva, quam physica media.

Probata itaque morali coactione qua Titius religionem ingressus est, facilior aperiebatur Consultori via ad caetera probanda. *Difficile enim est ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio,* ut inquit S. Leo in *Can. Principatus prim. quaest.* 1.

Circa coactionem in emenso novitiatu. Tempus probationis quod comprehendit octodecim fere menses, duas epochas distinctas complectebatur, quarum primam, sex mensibus constantem, in conventu B. in Gallis Titius transegit, alteram unius integri anni, in altero conventu C. in Sabaudia. Primam epocham actuumque seriem ita descripsit ipsemet Titius sub iuramento. « Victus ab » huiusmodi suasionibus, ingressus sum conventum B. in quali- » tate novitii. Sed cum expertus essem rigores huius instituti, » illud derelinquere statui. Ideo accessi ad superiorem, qui se- » met exhibuit paratum ad reddendas mihi saeculares vestes, » quas deposueram. Attamen cum ad eas accipiendas accederem, » frater meus Caius, qui in eodem conventu morabatur, cognita

» mea deliberatione enixe conatus est ut ab eo proposito recede-
» rem, et me in suum cubiculum ducens, ibi me detinuit duas
» horas, inquiens, paterna auctoritate (uti dicebat) a Patre ipso
» accepta - *nolo ut hinc tu exeas.* Ac rediens ad suasiones, mihi in-
» culcabat periculum incidendi in Patris rigores, qui me consti-
» tuisset ad agendam machinam *(la plaque),* me deventurum
» mundi ludibrium, ab omnibus appellatum *Moine defroqué:* se
» autem omnino persuasum habere, Deum me ad hunc statum
» vocare: me esse puerum, qui nihil intelligebam, incapacem
» meipsum regendi. Hisce sollicitationibus, et consiliis remansi;
» at nunquam me obsequentem exhibui rigoribus Ordinis disci-
» plinae, ita ut continuis severisque poenitentiis.... et mortifi-
» cationibus subiicerer, quibus ingenium meum absolute repu-
» gnabat. Frater meus animadvertens me resistere absque ulla
» emendatione, arrepta occasione qua Religiosus N. transi-
» bat etc. »

Cui narrationi lucem ulteriorem, fidemque conciliabant ea, quae eius frater coactionis auctor sub iuramento deposuit, quae cum caeteris a Consultore animadversis, omitti possunt.

Itaque si adhuc in Religione permansit Titius id non spontaneae persuasioni, sed potius fascinationi mentis; non electioni, sed coactioni voluntatis tribuendum esse Consultor aiebat, quod facile quisque sibi persuadet, si praedictae narrationis verba, argumenta et circumstantias perpendat. Verum ita toto hoc tempore permansit, ut suae vitae ratione, voluntatem ostenderet illi statui omnino contrariam. Et ob hanc causam eius frater obtinuit ut Titius in conventum Sabaudiae mitteretur, putans ibi magis idoneum reperiri Novitiorum magistrum.

In hoc novo conventu C. in Sabaudia iterum tempus probationis incoepit Titius. Quid autem ipsi accederit, et quomodo se gesserit, sic ipsemet in iudiciali examine descripsit: « Quam-
» vis frater meus absens esset, institit tamen ut ego perseverа-
» rem in probatione usque ad professionem religiosam, per epi-
» stolas ad me et novitiorum Magistrum missas, in quibus Ma-
» gistro inculcabat, ut flocci faceret meas perplexitates, oscitan-
» tias et quodlibet dubium in contrarium emissum: et reapse
» pluries certiorem feci Magistrum, mihi gratum non esse illud
» vitae genus. At ille mihi respondens *Gros Bekiant,* magna bestia

» et imbecillis, non ad me, sed ad se pertinere inquiebat cogno-
» scere et iudicium ferre super mea vocatione : et ita dicens
» aut poenitentiam iniungebat alicuius disciplinae, aut me mit-
» tebat in hortum ad terram fodiendam. Putabant, at frustra,
» vincere meam repugnantiam exhibentes mihi libros legendos
» continentes terrificas narrationes, quas ego habebam ut Evan-
» gelii lectiones. In hac spiritus agitatione, scrupulis plenus,
» advenit professionis dies. Ipso mane ante professionem, sa-
» cramentalem confessionem feci coram eodem Magistro, et iti-
» rum eidem manifestavi, me ad professionem accedere per obe-
» dientiam; de caetero, me vocationem ad illud vitae genus non
» experiri. At Magister iterum iisdem verbis *Gros Bekiant* re-
» spondens, mihi mandavit ut magno animo procederem ad pro-
» fessionis actum, quemadmodum iam fecerant alii mei sodales,
» adiungens sibi coram Deo meae vocationis certitudinem im-
» putare, et ut ego meae imaginationi diffiderem, quae in ma-
» lum me duxisset. Inter huiusmodi spiritus angustias, sacra-
» mentali absolutione recepta, statim accessi ad emittendum
» professionis actum. »

Circa emissam professionem. — Hisce enarratis inter plura alia animadvertebat Consultor, attenta factorum historia, rationem non suppetere cur in dubium haec revocari deberent, etsi solus Reclamans ea referret. Nemo autem alius ex testibus poterat ea recensere excepto Magistro, qui tamen de hisce peculiaribus interrogatus non fuit; et sicut in sua depositione haec omnia non affirmavit, ita nequidem negavit.

Quamvis autem satis sit ut de violentia constet ante professionem emissam, ut observat Hondet *Cons.* 29 *n.* 40 Sperell. *Decis.* 80 *n.* 8 *seqq.* Rota *coram Ludov. dec.* 326 *n.* 30 *seq. et in recent. decis.* 211 *par.* 13; durante enim causa metus, actus inde celebratus censetur ex praecedenti metu gestus: attamen in themate facta non deerant quae ostendebant, inchoatam moralem coactionem, et fascinationem mentis toto probationis tempore perdurasse. Requisitus siquidem eius frater Caius super hac re in iudicio respondit: « quamvis longe seiuncti essemus, tamen
» scribere non omisi bis vel ter ad novitiorum Magistrum... dire-
» cte pariter scripsi bis vel ter ad fratrem meum semper insistens
» penes eosdem argumentis manifestatis, et adhibitis in con-

» ventu B. in Galliis: mihi tamen videtur in una ex literis me » adiunxisse, quod si ipse se vocatum ad statum religiosum non » agnosceret, transiret ad collegium de Meylhan » (ad studia prosequenda) (1).

Ex hoc autem contextu, quae certa Consultori videbantur haec erant: nempe Caius etsi abesset a conventu Sabaudiae, ubi degebat Titius, praesens tamen ibi erat literis et incitamentis, quibus multo minus poterat resistere oppressa mens Titii in nova hac domo, ubi *longe a suis et ab iis circumdatus, qui voluntatem eius flectere data opera debebant, a nemine solamen et auxilium poterat expectare.* Aliis autem animadversis concludebat Consultor, cum moralis coactio semel inducta, nunquam Titium deseruerit, votorum emissionem irritam haberi debere, utpote necessaria libertate destitutam.

Quoniam autem huic conclusioni videbatur opposita attestatio Magistri novitiorum, eam attestationem in examen revocabat Consultor. Attestatio autem ita se habebat: « Quod sciam iuve- » nis Titius, impulsus non fuit ad professionem religiosam, nec » per metum, nec per minas, nec per spiritus seu ingenii levi- » tatem. Puto eiusdem vota perfecte libera fuisse quemadmodum » fidem facit eius professionis actus coram integra communitate. » Communitas, cum ter convocata fuisset durante Titii novitiatu » ut iudicium ferret, omnium professorum suffragia favorabilia » ipsi semper retulit; et nunquam contestatio aliqua exorta est » super eiusdem vocatione. » Animadvertebat itaque inter alia Consultor mirum esse non debere si ille, qui Titium, integro probationis anno, suo consilio, et directione gubernavit, quique suis incitamentis ad professionem impulit, asserat – *puto eiusdem vota perfecte libera fuisse* - Erronee id putare potuit, sicut ex errore dixit Titii professionem fuisse immunem a quacumque

(1) Ad declarationem huius ultimi incisi faciunt verba, quae reperiuntur in Epistola Caii de qua supra in nota. In ea Epistola postquam Caius fassus sit, se ex deceptione, vehementer institisse, ut Titius in Sabaudiam demigraret, haec de epistolari relatione adiungit. « Mais je » dois déclarer, que mes lettres soit au » R. P. Maitre, soit a mon frêre, tout en » laissant entendre la *possibilité de Mey-* » *lhan* faisaient évidemment pencher la » balance vers la première chance de l'al- » ternative. » Quae verba innuunt quam inanis fuerit ista possibilitas si quae indicata fuerit, ut Consultor animadvertebat.

coactione. Nec eiusdem Magistri depositionem vim acquirere ex adiecta ratione – *quemadmodum fidem facit eius professionis actus coram integra communitate* – Nam unanimiter tenent Doctores ac pluries firmavit S. Rota ut videre est penes Ursayam *t.* 1 *disc.* 1 *p.* 1 *n.* 38, quod professio, etsi emissa appareat iucundo hilarique animo, cum metus praecesserit, et durent influxus eiusdem, coactionisque moralis, uti nulla habenda est. Attestatio autem Communitatis respiciebat actus omnino externos.

Quid post professionem evenerit. — Non est cur referamus depositiones testium, qui omnes conveniebant in eo quod evenerit post emissam a Titio professionem. Integrum porro temporis spatium usque ad saecularizationem Consultor dividebat in tria veluti stadia. Primum stadium est, poenitentiae, aversionis ab instituto religioso, et conatuum ad dissolvendam professionem: secundum stadium comprehendit perplexitates mentis, et angustias spiritus nimiis et continuis scrupulis agitati: tertium denique stadium irregulari vitae genere, et culpis vere gravibus continebatur.

Atqui (subiiciebat Consultor) immediata illa poenitentia, et subsequens scrupulorum quantitas, et ultima culparum perpetratio ostendunt professionem antecedentem non omnino liberam, et spontaneam fuisse. Non enim tam cito afflatus Spiritus Domini pertransit, ceu arguit Rota in *dec. n.* 25 *et seqq. coram Arguell.* Quibus insuper illustratis Consultor plene ostendebat non potuisse tractu temporis hanc professionem convalidari per aliquam ratihabitionem.

Post haec, ea omnia, quae usque adhuc in examen revocata sunt et disputata, Consultor breviter colligens adiungebat, non deesse rationem cur fides non praestetur confessioni iuratae Titii asserentis suam professionem fuisse irritam, allegata auctoritate Pignatellii *Cons.* 4 *n.* 9 *t.* 1 inquientis: « non obstat quod » in re professionis stari non debeat iuramento professi... Quando » sunt aliae praesumptiones potentissimae, adminicula, et con- » iecturae, quae nulliter professo favent, multi Auctores, iique » gravissimi docent, stari posse iuramento illius; ita limitant suam » doctrinam Angles, Caietanus, Navarrus, ac tenent Barth etc.» Atque addebat, huic iuratae professioni non posse valide opponi opinionem testium, qui validam Titii professionem existimarunt,

utpotequi excepto Magistro, reliqui testes tantum post professionem Titium noverant, eorumque opinio nulli argumento innitebatur. E contra in pretio habendas esse duorum Titii fratrum attestationes qui ex nota factorum historia, alter invalidam, alter saltem dubiam iudicavit. Praesertim cum ut observat Card. De Luca *De Reg. disc.* 4 *n.* 2 *et disc.* 43 *n.* 13, quando agitur de dubietate ex defectu consensus, pro nullitate est respondendum.

Haec omnia robur accipiebant ex suffragio Ordinarii, qui in sua relatione scripserat: « accuratissime, nec non religiosissime » perpensa fuisse rationum momenta, quibus nititur (Titii) po- » stulatio, a quatuor nostris dioecesis Theologis, nempe.... Qui » omnes pietate et doctrina praeclari, imo nostri consiliarii pri- » vati, de nullitate votorum (Titii) unanimiter suffragium tu- » lerunt. »

Attenta autem actorum confectione, nonnulla adiungebat Consultor circa dispensationem; inspecta enim rei veritate, persuasus videbatur de nullitate professionis. Adiungebat scilicet inter causas iuxtae dispensationis, ex communi Canonistarum doctrina, ex praxi S. Congregationis, dubium circa validitatem professionis recenseri; praesertim si exinde magna exurgat petentis spiritualis utilitas. Etenim non requiritur necessario causa publica, sed sufficit gravis causa privata, iuxta recentiorem praxim, quatenus bonum privati redundat in commune bonum, uti tradunt Coninch. *De sacram. disp.* 33 *dub.* 1 *n.* 4 Pignatell. Cons. 148 n. 7 Ursaya *disceptat.* 3 *num.* 49 *tom.* 2 *pag.* 1 *et discept.* 32 *n.* 58 *tom.* 6 *pag.* 1.

Iamvero subiiciebat, professionem religiosam Titii, si non aperte nullam, saltem dubiam haberi debere: cui rationi accedebat gravissima Titii spiritualis necessitas, in qua re quatuor conveniebant testes, reliquis non contradicentibus.

Animadversiones defensoris professionis religiosae ex officio. — Omissis caeteris, nonnulla sat erit indicare, quae proferebat Defensor religiosae professionis super causae merito (1). Contendebat scilicet Defensor in casu deesse quamlibet vim metumve gravem, qui nullam reddere valeat religiosam professionem.

(1) Videri possunt si placet ea quae disputata fuerunt in altera huius generis causa pag. 29.

Aiebat autem reverentialem etiam metum, ad illum effectum, talem esse debere ut dici de eo possit *cadere in constantem virum*. Nulli autem vi aut timori subfuit Titius. Omnia enim, quae adducebantur non constituere aiebat coactionem sive physicam sive moralem; erant enim ad summum suasiones et licita incitamenta, quae nihil libertatis adimunt; maxime cum germanus frater facultatem Titio fecerit relinquendi novitiatum, et collegium ingrediendi ad prosequenda studia: et fere omnes testes, duobus tantum exceptis, de hac gravi coactione non deponere: eos insuper, qui de gravi coactione testabantur, esse duos Titii, fratres, ideoque suspectos.

Post haec negabat Defensor locum esse dispensationi, tum quia dubia reputanda non erat emissa religiosa professio, tum quia deerat publica ad dispensandum causa iuxta ea quae docet Maschat. *lib.* 3 *tit.* 31 *n.* 29 circa finem. Hisce aliisque disputatis, causa proposita fuit sub sequentibus dubiis.

Dubia.

I. « An constet de causis restitutionis in integrum in casu.»
« Et quatenus affirmative »

II. « An constet de nullitate professionis in casu.»
« Et quatenus negative »

III. « An consulendum sit SSmo super castitatis voto in casu.»

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii causa cognita die 23 Ianuarii 1864 respondere censuit:

Ad I. et II. *providebitur in III.*

Ad III. *Attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus, affirmative.*

Causae prosecutio. Defensor professionis religiosae hac sibi infausta sententia habita, novum audientiae beneficium postulavit iuxta Constitutionem: *Si datam*, ut iterum causa in examen revocaretur, et novo conatu, defensione professionis arrepta, nitebatur excludere professionis dubietatem, ut ita unica quae aderat, prouti ipse contendebat, maneret exclusa dispensandi causa. Nihilominus S. C. iterum causa in examen revocata die 23 Aprilis 1864 ad novum propositum dubium prout moris est: « an sit standum vel recedendum a decisis in casu,» respondit: *in decisis.*

Ex iis colliges :

I. Adolescentem Titium phantasia praepollentem, fuisse iugiter circumventum ut in Religione profiteretur.

II. Eiusdem priores, efficacesque conatus ad circumventionem superandam in irritum cessisse, per oppositas suasiones innixas religiosis et profanis motivis iuvenili phantasiae energice repraesentatis a fratre in quo unice fiduciam reponebat.

III. Eamdem circumventionem auctam fuisse per factum, quo dictis suasionibus cedens, longe a suis in alterum monasterium sub severiori magistro missus fuerit.

IV. In hoc novo statu eo fine inducto ut actus professionis facilius obtineretur, neque suasiones, neque auctoritatis pondus defuisse, quod eo maiorem vim in animo Titii exercuisse dicendum est, quo minor reddita erat tali adolescenti resistendi facultas.

V. Exitum professionis religiosae in tali statu emissae, quinam fuerit, tristes probavisse inde consecutos eventus.

VI. Haec autem adiuncta, aliis non exclusis, movisse S. Congregationem ad consulendum SS̃mum super dispensatione (1).

(1) S. Congregatio iudicium non tulit super nullitate professionis, imo ex verbis in Resolutione adiectis - *attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus* - non sine quadam difficultate videtur in sententiam pro dispensatione descendisse. Et sane quamvis omnibus spectatis adiunctis, facile cuique appareat, Titio structam fuisse viam quae ad actum professionis eumdem ducere natura sua debebat, quam viam coacte suscepit, et sponte nunquam est prosecutus; nihilominus acta processus deficiebant ad probandam saltem perseverantiam incoeptae coactionis in novo probationis tempore. Confessioni enim iudiciali Titii, videbatur obstare depositio Magistri, et nonnullae fratris expressiones, quamvis praesumptio favore Titii militaret ratione novi status in quo adactus reperiebatur.

Die 7 Decembris 1861. *Sess. 5 c. 1 de Refor.*

Compendium facti. Supplici oblato libello conquerebatur Canonicus theologus N. apud S. Congregationem Concilii, quod Capitulum nonnulla iura eidem denegare, et nonnullis oneribus eumdem subiicere consuevit. Namque Capitulum contendebat Canonicum theologum N. qui loco lectionis sacrae Scripturae dogmaticam theologiam docebat, teneri choro interesse horis vespertinis iis diebus, quibus mane lectiones scholasticas habebat: deinde gaudere non posse emolumentis incertis, quae ex anniversariis aliisque sacris functionibus fixis aut adventitiis percipiuntur, quibus non interfuerit ut suo muneri satisfaceret, quamvis iisdem emolumentis caeteri canonici, ratione officiorum absentes, ut Parochus, Poenitentiarius, Thesaurarius, Archivii Custos etc. fruerentur: denique eumdem amittere debere quotidianas etiam distributiones diebus vacationum etsi choro non interesset ut ratione officii sui clericorum examini iis diebus assisteret. Quare tria dubia proposita fuerunt resolvenda quae heic ad calcem exscribuntur.

In facto autem constabat, antea in eo Capitulo Canonicum theologum sacras conciones habere solere; postea vero munus docendi theologiam dogmaticam impositum eidem fuisse Apostolicis Literis expeditis anno 1832; quibus Canonicatui etiam parochiali provisum fuit. In iis autem ubi de emolumentis ab utroque canonico Parocho, et Theologo lucrandis sermo fit, edicitur: « *dum suorum onerum adimplemento vacant, tamquam praesentes in choro, aliisque saepe dictae Metropolitanae ecclesiae functionibus habeantur, et choralibus distributionibus aliisque incertis perfrui debeant.*» Insuper in synodali lege eiusdem Metropolitanae ecclesiae statutum erat: *Qua die theologus legit . . . . distributiones accipiat.*

Capitulum nihilominus innixum cuidam resolutioni capitulari anni 1829, qua statutum fuerat, ut Canonicus theologus emolumenta incerta anniversariorum, aliarumque functionum non nisi praesens perciperet; et pariter consuetudini innixum, quae videbatur inde secuta, haec emolumenta Canonicum N. percipere iure non posse censebat.

Archiepiscopus autem in sua relatione gravibus rationibus allatis, tria proposita dubia resolvenda esse favore Oratoris opinabatur.

Disceptatio synoptica.

Quae observarentur circa primum dubium. — Initio *ex officio* observabatur, Canonicum Theologum aeque suo officio satisfacere, sive biblicas conciones habeat, sive theologiam dogmaticam tradat, ceu docet Benedictus XIV *de syn. dioec. l.* 13 *c.* 9 *n.* 17. Et cum hoc munus erudiendi clerum in dogmatica theologia fuerit Canonico N. impositum, consequens esse videbatur, omnia privilegia eidem competere, quae huius officii gratia constituta sunt.

Iamvero Canonicus theologus ex constanti praxi S. C. C. fructus suos facit et distributiones quotidianas lucratur non solum tempore et hora quibus legit, sed tota die, etiamsi choro non inserviat; quia secus, ut perpendit Cardinalis Petra, « vere » frustratorium fuisset privilegium, cum lectio fieri non debeat » horis divinorum officiorum, et ulterius impracticabile foret, si » utrique oneri subiiceretur. » *Comm. ad Const. II. Innoc. VI. n.* 53 *tom.* 4. Hanc porro sententiam omnium esse Doctorum idem Petra tradit, atque ita saepe resolutum fuisse a S. C. C. praesertim in *Tropien.* 9 *Maii* 1597 *lib.* 9 *Decret.* pag. 13 in qua « *auctoritate sibi tributa Sacra Congregatio indulsit, ut eo die quo theologus sacram legit Scripturam ex munere sui officii ad praescriptum Concilii, percipere possit distributiones quotidianas, quamvis divinis non intersit.* Nec secus in *Mediolanen.* 29 Aprilis 1593 « ibi » « *Theologo illa die qua legit tribuendae sunt integrae distributiones quotidianae omnium horarum, licet choro non inservierit.* » *Lib. Decr.* 7 *pag.* 106.

Nec aliter censuit S. Congregatio recentiori tempore, ut in *Corien.* 26 *Augusti* 1848 *per summaria precum* in qua prodiit rescriptum: « *Canonico theologo integrae tradantur quotidianae distributiones pro diebus quibus legit, perinde ac si choro perenniter adesset* » Pariter in *Bisarchien.* 26 *Septembris* 1857 proposito tertio loco dubio: « An *(Canonicus theologus)* diebus quibus do- » cuit, et docet sit immunis a choro pro tota die ad effectum » lucrandi quotidianas distributiones in casu; responsum fuit:

affirmative. Idem habetur in *Perusina Theologalis* 30 *Iulii* 1859 ad II. dubium hisce verbis conceptum: « an *(Theologus)* censea- » tur dispensatus, etiamsi illa die scripturalis lectionis studio » operam non dederit, sed solummodo legat hora statuta in » casu. » S. Congregatio respondit: *affirmative*. Hoc enim privilegium dicebatur Canonicis theologis concessum ad eos alliciendos, ut muneri suo praestantissimo vigilantius incumberent, vel quia theologale munus animi praeparationem, et studium exigit, quod cum servitio chori non congruit, et huius loco succedit, ut advertit Card. Petra *loc. cit. n.* 53.

Quid observaretur circa secundum dubium. — Quamvis ex adductis Canonicus theologus choro praesens censeatur diebus quibus legit, nihilominus, Tridentinum Concilium de hac praesentia mentionem non facit, unde immediate post Tridentini Concilii celebrationem, non aliud privilegium videbatur posse sibi vindicare Canonicus Theologus, praeter illud quod conceditur in *Cap. Quia nonnullis. De Magistris.* Videlicet privilegium faciendi fructus suos, tempore dictae absentiae, non vero lucrandi distributiones quotidianas, prouti immediatis temporibus post Concilii celebrationem S. Congregatio C. resolvit; Card. Alciatus *in manuscripto ad cap.* 1 *sess.* 5 *de Reform.* et refert Card. Petra *loc. cit. n.* 53. Verum quamvis iure quotidianae distributiones non deberentur, nihilominus S. C. C. censuit agendum esse pro gratia de hac re cum SS$\tilde{m}$o tunc Gregorio XIII. qui ex gratia concessit eiusmodi quotidianas distributiones Canonicis theologis, minime obstante textu in *Cap. Quia nonnullis.* Hoc enim iuris caput non agit de Lectore qui ratione ecclesiae suae in ea legit, ut facit Canonicus Theologus. Ab eo itaque tempore mens S. Congregationis fuit habendi Canonicum theologum uti praesentem in choro cum ratione sui muneris choro non intersit, adeoque ipsum lucrari praeter fructus, et quotidianas distributiones, etiam emolumenta, quae dari solent iis qui ipsi coram intersunt. Ita in *Avenionen. mensis Octobris* 1586 *ad* 17. *Lib.* 4 *Decret. pag.* 189 habetur: « *Theologalem praebendam obtinens non lucratur distributiones, quae dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant pro diebus lectionis, in quibus Lector habetur pro praesente.*»

Animadvertebatur tamen horum emolumentorum perceptionem limitationem recipere posse ex voluntate testatorum, vel

Benefactorum. Quam limitationem Sacra Congregatio faciendam esse duxit, dum ageretur de Canonicis Iubilationis indulto donatis, aut causa valetudinis absentibus, imo et de Canonicis curam animarum exercentibus, qui ratione officii sui absunt a choro, ceu patet ex *Asculana Literar. Apostolic.* 20 *Nov.* 1830, in qua ad dubium IV. « An et quae distributiones et emolu- » menta percipere possint Canonici Curati absentes a chorali » servitio pro exercenda cura animarum in casu ». respondit: *affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta, exceptis iis quatenus non intersint, quae ex voluntate Testatorum debentur tantum actu praesentibus.* Idemque resolvit de Canonico ad confessiones excipiendas deputato, et privilegiis donato ad instar Canonici poenitentiarii in *Romana distributionum* 27 *Novembris* 1858 *ad I. dubium* (1).

Quid circa tertium dubium observaretur. Archiepiscopus inter caetera observaverat in sua relatione, ad munus Canonici theologi spectare Clericorum examini assistere, aliaque perficere, quae cum officio magisterii iuncta sunt; adeoque merito censendum esse, eumdem muneri suo actu vacare cum hisce occupationibus a magisterio dependentibus destinatur.

Quibus insuper addebatur, privilegia huiusmodi non tam in ipsius Theologi gratiam invecta fuisse, quam in favorem officii, seu pro bono publico, cui cedit diligentia Theologi, si suo muneri fructuosius satisfaciat: neque iactatam ex adverso consuetudinem, quae huic bono adversaretur, posse aliquo in pretio haberi. Idque declaratum etiam est in *Perusina Theologalis* 30 *Iulii* 1859.

Item deliberationes vel decreta capitularia privilegiis huiusmodi infensa posthabuit S. Congregatio in *Bisarchien. Praebendae Theologalis* 16 *septem.* 1857; ac praesertim in *cit. Romana Distributionum,* quae de Poenitentiario agit, 27 *Nov.* 1857 *ad II. dubium.*

Caeterum cum ex documentis exhibitis in hac causa deprehenderetur, deesse Constitutiones capitulares in eo Metropolitano Capitulo, praefigendus erat terminus ad illas conficiendas, et Archiepiscopo pro approbatione praesentandas, ceu fert pra-

(1) Vid. etiam ea quae adnotavimus pag. 289.

xis S. Congregationis C. de qua recens habebatur exemplum in *Viterbien. suppress. et suspens. Canonicatuum et Transact. die* 27 *Iulii* 1861 (1).

Dubia.

I. « An Canonicus theologus teneatur interesse choro vespere » illorum dierum, quibus mane docet in casu.»

II. « An eidem praedictis diebus debeantur praeter quotidia- » nas distributiones, emolumenta etiam incerta in casu.»

III. « An exemptus a choro declarandus pariter sit ad prae- » dictum effectum lucrandi distributiones, et emolumenta in- » certa, iis diebus, quibus licet non doceat, attamen ratione offi- » cii sui Clericorum examini assistit in casu. »

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii causa cognita die 7 Decembris 1861 respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative, exceptis emolumentis, quae ex voluntate Testatorum aut Dantium debentur tantum actu praesentibus.*

Ad III. *Affirmative, ut in II, et ad mentem: mens est ut Archiepiscopus praefigat terminum congruum ad conficienda statuta ab eodem approbanda.*

Ex iis colliges:

I. Non debere confundi Canonicum theologum cum quovis Canonico, qui munus docendi suscipiat, quod Canonicatui adnexum non sit.

II. Praecipuum enim theologalis praebendae officium est illud rite docendi, quod in aliis Canonicis ratione praebendae nullimode locum habet.

III. Quare Canonicus theologus suo vacans muneri, tamquam choro praesens censeri debet, ac si chorali officio satisfaciat.

IV. Ius ideoque eumdem habere non solum ad praebendae fructus percipiendos, sed etiam ad distributiones quotidianas et extraordinarias, nisi hisce postremis percipiendis resistat Testatorum vel Dantium voluntas, quae ut suprema lex servari debet.

(1) Vid. etiam pag. 156 in nota.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

CONGREGATIONIS S. BENEDICTI IN GALLIA.

Die 11 *Augusti* 1862, *et* 29 *Augusti* 1864.

Ioannes Baptista Nicolas Monachus S. Benedicti in Gallia, sequentia dubia dirimenda S. C. I. proposuit, nempe:

I. « An Decretum sub die 9 Augusti 1852 de translatione In» dulgentiarum (1) intelligendum sit de omnibus festis per an-

(1) « Decretum Urbis et Orbis. *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit* in fidelium utilitatem, atque *earum usum Christiano populo maxime salutarem esse* affirmet Sancta Tridentina Synodus (Sess. 26 decr. de Indulg.), congruum omnino videtur omne studium impendere ut Indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae iam sunt vel concedentur, fideles facilius lucrari possint, eoque magis quod ingens populi Christiani concursus ad ea festa celebranda conveniat. Iam vero cum, hac nostra praesertim aetate, maxime ob Ecclesiasticas Conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimae translationes occurrant; et generatim cum per huiusmodi translationes ex iustis causis, debitis tamen cum facultatibus, factas (licet etiam pro sola externi cultus celebratione, quin et una simul Officium cum Missa transferatur), fidelium devotio excitetur ad laudandum Dominum in Sanctis eius, huic fidelium pietati fovendae atque animarum saluti quam maxime interest ut etiam Indulgentiae his festis adnexae transferantur. Quamvis autem alias tum a S. Rituum Congregatione tum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita quaesitum fuerit, utrum in translatione festorum etiam translatae intelligantur adnexae Indulgentiae, et vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc Sac. Congregationem sancitum esset, nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi Indulgentiarum provisum fuerit; attamen Eminentissimi Patres in Generalibus comitiis huius Sacrae Congregationis, attentis actualibus temporum huiusmodi et peculiaribus locorum et ecclesiarum et fidelium circumstantiis, atque etiam die 16 Februarii currentis anni pro concessione generali translationis Indulgentiarum occasione translationis festorum supplicandum Sanctissimo unanimiter censuerunt. Sanctissimus itaque Dominus Noster Pius PP. IX. audita de his omnibus relatione per me infrascriptum Secretariae eiusdem Sac. Congregationis Substitutum in Audientia diei 9 Augusti 1852 facta, benigne mandavit ut *omnes Indulgentiae quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus Ecclesiis et publicis Oratoriis pariter concessae fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit de consensu Ordinarii*

» num rite translatis cum eorum solemnitate. Rationem dubi-
» tandi adducunt haec verba eiusdem Decreti – *quibusdam fe-*
» *stis* – non desunt enim qui inde autumant hic solum agi de
» festis ad Dominicam remissis, ob ecclesiasticas Conventiones a
» S. Sede cum exteris nationibus initas, ut fert idem Decretum.»

II. « Utrum Indulgentiam alicui festo adiunctam lucretur
» quisquis die ipsa iuxta kalendarium Breviarii romani, vel po-
» tius iuxta kalendarium uniuscuiusque dioecesis, Ordinis etc.
» Item qui sodalitati cuiuscumque nomen dederunt, an Indul-
» gentias acquirant die qua Festum celebratur in Ordine Regu-
» lari, ad quem attinet Sodalitas, licet sit diversa a die kalen-
» darii romani, vel dioecesani. »

Responsio. S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, auditis Consultorum votis re perpensa die 11 Aug. 1862 respondit:

Ad I. *Decretum praedictum intelligendum esse de omnibus festis rite translatis prout in eodem Decreto.*

Distulit autem S. Congregatio resolutionem secundi dubii iniungendo ut alter ex Consultoribus scriberet, cuius Consultoris votum hic adiicimus.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Ad uberiorem dubii intelligentiam adducebat Consultor practicum exemplum, nimirum: iuxta kalendarium romanum dies

illae concessae in Sacris Supplicationibus, aut in Novendialibus, vel Septenariis, sive Triduanis precibus ante vel post festum vel eius Octavario perdurante; translatae intelligantur pro eo die quo festa huiusmodi vel quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad Officium et Missam) in aliquibus locis, vel Ecclesiis, publicisque Oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa non autem Solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit.

« Hanc autem Apostolicae benignitatis concessionem Eadem Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus, absque ulla Brevis expeditione valituram, per hoc S. Congregationis Decretum typis impressum publicari voluit, dummodo caeterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum Indulgentiarum pro iis adipiscendis praescriptae omnino serventur.»

« Datum Romae ex eadem Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 9 Augusti 1852.»

F. Card. Asquinius Praef.

Aloisius Archipr. Prinzivalli Substit.

festus SSm̃i Nominis Iesu agitur Dominica II. post Epiphaniam, in Ordine S. Francisci fit die 14 Ianuarii: ponamus autem in aliqua dioecesi fieri ex. gr. Dominica III. post Epiphaniam, quaeritur, (si aliqua indulgentia huic festo tributa sit) quando indulgentia a Christifidelibus acquiretur? Acquireturne Dominica II. Ianuarii iuxta kalendarium romanum, an Dominica III. iuxta dioecesanum? Fratres autem a S. Francisco, et Sodalitates quae ad eos attineant, quandonam indulgentiam ipsam consequentur? Consequenturne Dominica II., an forsan Dominica III. post Epiphaniam, vel potius die 14 Ianuarii?

Hoc exemplo determinata quaestione, censebat Consultor, supposita legitima concessione, vel festi translatione, tum indulgentiam acquiri iuxta dictum Decretum, cum *exterior Festi celebratio* locum habet. Quare in adducto exemplo, indulgentia lucrifieret in dioecesi quidem Dominica III. post Epiphaniam, in Ordine vero S. Francisci die 14 Ianuarii.

Circa sodalitates autem quae ad aliquem Ordinem Regularem pertineant, observabat, eas, si ita pertineant ad Ordinem Regularem ut participes sint privilegiorum, et indulgentiarum Ordinis, ea ipsa die indulgentiam esse lucraturas, qua ipsemet Ordo lucratur.

Quia vero sodales ipsi non ita religioso Ordini addicti sunt, ut ab eius Praeside omnino pendeant, sed utpote dioecesani subiecti sunt episcopali iurisdictioni, alterutro die indulgentiam lucrari poterunt; scilicet vel die festo in kalendario dioecesano assignato, vel in Regularis Ordinis kalendario constituto.

Resolutio. S. Congregatio re in examen revocata die 29 Augusti 1864 respondere censuit ad dubium secundo loco propositum: *Indulgentiam acquiri a Christi fidelibus die fixa et rite constituta in sua dioecesi; a Regularibus Ordinibus die rite constituta in suo kalendario; ab hominibus qui sodalitati nomen dederint, quae ad Regularem Ordinem attineat, indulgentiam acquiri die rite constituta in kalendario dioecesis vel in kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die.*

Ex iis colliges:

I. Translata legitime solemni celebratione cuiusvis diei festi censeri translatas indulgentias, quae intuitu eorumdem festorum concessae sint.

II. Ad hunc tamen effectum scilicet indulgentias transferendi, non censeri celebrationem translatam per simplicem officium cum Missa translationem.

III. Quare indulgentiae sequuntur tantum extrisecum solemnitatis cultum, quo fidelis populus congaudere solet.

IV. Exigente fidelium utilitate, translata ex venia Ordinarii in commodiorem diem externa alicuius diei festi celebratione cum suis novendialibus, aliisque si quae fieri debeant publicis precibus, hac die etiam indulgentiarum lucrum translatum censeri (1).

V. Eos qui sub vario respectu membra sunt diversarum communitatum distincto kalendario fruentium, indulgentias lucrari posse in una ex pluribus repetiti festi celebrationibus.

EX S. CONGREGTIONE SS. RITUUM.

RESOLUTIONIS DUBIORUM.

Die 28 *Iulii* 1821.

In hoc Decreto dubium propositum est inter caetera, cuius resolutio cum perutilis sit ut cognoscatur et in praxim deducatur, suggestum nobis est, ut memoriae hanc resolutionem revocaremus, quamvis in Gardellini collectione reperiatur inserta: quod libenter facimus. Sic itaque proponebatur.

(1) Ut res exemplo fiat clarior; concessa est ex. gr. indulgentia plenaria Sodalitati, de qua sermonem fecimus pag. 321, die S. Aloisii Gonzagae: verum puta hac die (si sit ferialis) non posse Sodales hoc festum celebrare, et satisfacere commode iniunctis operibus ad indulgentiam lucrandam. Ex venia Ordinarii, assignari poterit dies dominica infra octavam, ut Sodales celebrent, extrinseca tantum pompa, festivitatem S. Aloisii, et hac die indulgentiam Sodales lucrabuntur. Haec eruuntur ex verbis relati Decreti 9 Augusti 1852.

Dubium.

« An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam paroe-
» ciis, praesertim ruralibus, celebrandi per Parochum Missam
» lectam Feria V. in Coena Domini, quin peragi valeant eadem Fe-
» ria et sequenti, caeterae ecclesiasticae functiones praescriptae,
» ob Clericorum defectum: vel potius abolenda.

Resolutio. Sacra eadem Congregatio re diligenter discussa, audito Consultoris voto, censuit respondendum: *Affirmative, et ad mentem: mens est ut locorum Ordinarii quoad parocias in quibus haberi possunt tres, quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feriis V., et VI., ac Sabato maioris hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII. anno* 1725 *iussu editi: quoad alias paroecias quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia)* (1) *Feria V. in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in cathedrali vel matrice, Conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum SSmo.* »

Cum caeteris Resolutio haec adprobata et confirmata fuit a Pio VII f. r. die 31 Iunii 1821, qui insuper praecepit ut typis evulgaretur.

Ad ulteriorem rei declarationem, adiungimus Consultoris votum.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Animadvertebat Consultor, rei liturgicae Scriptores, in hoc convenire, videlicet Feriam hanc V. non adnumerari diebus *aliturgicis,* qui Missa omnino carent, quales sunt *Feriae VI.* et *Sabati sancti* dies, ex Can. *Sabbato dist.* 3 *de Consecr.;* imo ob sublimia

(1) Sacra Congregatio noluit in Parochorum ruralium arbitrium rem relinquere, siquidem, ut ipsemet Gardellinius in dicta sua collectione animadvertit, occurrere quandoque casus possunt rationabiliter eam denegandi. Talis profecto erit, si rurales Parochi in Cathedralem convenire deberent, ad complendum numerum presbyterorum, Diaconorum, et subdiaconorum, quot necessarii sunt in Oleorum sacrorum confectione quin utrumque munus ob loci distantiam, vel ob aliam causam componi possit. Dum vero consuluit S. Congregatio pauperioribus, et ruralibus paroeciis, excitare etiam voluit Episcoporum solicitudinem ut iubeant sacras functiones peragi Feria V. et VI. nec non Sabato maioris hebdomadae in aliis parochialibus ecclesiis, in quibus saltem tres vel quatuor Clerici haberi possunt, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII. iussu editi.

quae recoluntur mysteria, haec Feria sacrificium iure postulat. Ideo iuxta veterem morem tres celebrabantur Missae: *prima* ad reconciliandos poenitentes; *altera* ad sacra conficienda olea; *tertia* demum ad recolendam S. Eucharistiae institutionis memoriam. Praesens vero disciplina unam tantum Missam solemnem admittit in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, conventualibus; privatas omnino vetat. Quod si hac in Feria festum incidat de praecepto servandum, non omnibus Sacerdotibus celebrandi fit potestas, sed aliquot Missae lectae in qualibet ecclesia permittuntur, ut queant fideles obligationi satisfacere; nec reliqui de Clero desint, qui inter Missarum solemnia ad Apostolorum imitationem sacram sumant Eucharistiam. Si ratio quaeratur curnam hac die privatae Missae prohibentur, eadem non a qualitate diei petenda est, quae revera sacrificium admittit, sed a reverentia debita sublimissimo sacramenti institutionis mysterio. Decet namque ut sacerdotes a sacrificando abstineant, sacramque dapem, laicorum more, Episcopi, Praesidis, Parochi celebrantis manibus accipiant. Memoria namque recolitur D. N. I. C. qui verum suum corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini accumbentibus Apostolis tradidit. « Quare sicut divinus Salvator » sibi primum, ac deinde Apostolis sacrosanta mysteria tradidit, » ita consentaneum fuit, ut Sacerdos, Feria V maioris hebdoma- » dae, suscepta divina Eucharistia, ipsam postea universo Clero » distribueret, qui ecclesiae adscribitur ubi sacrum peragitur.» ut ait Benedictus XIV *in Instit.* 38 *n.* 5.

Porro subiungebat Consultor non modo decere, ut Sacerdotes in hac Feria, et reliqui de Clero e manibus Celebrantis sacram Hostiam sumant, sed etiam congruere, ut fideles caeteri id ipsum praestent, imo ius habere ut Sacramentum sibi ministretur a Parocho, cuius regimini subiiciuntur. Nam iuxta veterem ecclesiae morem ad hoc non solum pietate, verum etiam praecepto fideles omnes ducebantur, ut comprobatur ex Canon. *In Coena. de Consecrat. dist.* 2 (1).

(1) Hic Canon qui Sothero Papae adscribitur, hisce verbis *loc. cit.* reperitur: « In coena Domini a quibusdam perceptio » Eucharistiae negligitur, quae quoniam » in eadem die ab omnibus fidelibus (ex- » ceptis iis, quibus pro gravibus crimi- » nibus inhibitum est) percipienda sit, » ecclesiasticus usus demonstrat: cum et-

Quoniam autem aequum est, ut in ecclesiis omnibus, quae subditam habent plebem, sacrum solemne fiat, neque omnes aeque Clericis, supellectilibus atque opibus abundant, ut pro dignitate, tam in hac Feria V., quam in Feria VI., et Sabato sancto sacrae actiones celebrari valeant, Benedictus XIII. huic incommodo consuluit per parvum Rituale pauperibus, et ruralibus paroeciis accomodatum. De qua re consuli potest P. Meratus ad Gavantum *part.* 4 *tit.* 7 *num.* 31 *de Ritibus servandis in minoribus ecclesiis.*

Verum, prosequebatur Consultor, si pauperiores sint paroeciae, cuiusmodi solent esse rurales, in quibus vel unus dumtaxat, vel nullus est Clericus qui cotta indutus Celebranti ministret, bene esse ut in his omittantur functiones; congruere tamen plurimum videri, ut ad satisfaciendum subiectae plebis pietati, praesertim si qui velint (ad quod ius habent) sacram sumere Communionem, et Paschali praecepto satisfacere, Parochus privatam celebret Missam. Quam sententiam tenuisse videtur Benedictus XIV. cum Bononiensem regeret ecclesiam praescribens: « Si » vero *praeter Parochum in sua parochia*, Sacerdos aliquis cu- » iuscumque conditionis, aut dignitatis Missam privatim Feria » quinta, sexta ac Sabato maioris hebdomadae celebrare ausus » fuerit, ipsum graviter puniemus, et a divinis etiam interdi- » cemus etc.»

Et revera rogata S. Congregatio: « an in Feria V. Coenae » Domini celebrari possit in ecclesia *(non in privato valetudina-* » *rii sacello, sed publica in ecclesia)* una Missa privata propter » infirmos, excepta solemni: » die 27 Martii 1773 respondit: *arbitrio Episcopi.* Praeterea non desunt ecclesiae in quibus pro populi commoditate Parochus privatim celebrat, subiectaeque sibi plebi Communionem ministrat, priusquam Missae conventuali initium detur. Ita in Patriarchali Lateranensi, et in quibusdam aliis Urbis collegiatis ecclesiis, quamvis in iisdem solemnia omnia fiant, et possit commode populus sacro interesse. Si ita est, potiori iure congruere Consultori videbatur, ut id fieret in rurali

» iam poenitentes eadem die ad perci- » pienda corporis, et sanguinis dominici » sacramenta reconcilientur.» Quae ratio attenta veteri disciplina poenitentiali est consideratione digna.

paroecia, favore illorum qui eidem subiiciuntur, ut queant Missam audire a proprio Parocho celebratam, et in eadem sacram sumere communionem, Paschali praecepto satisfacere, et memoriam recolere institutionis Sacramenti. Quod si maxime decet favore plebis; multo etiam magis convenire videtur quoad ipsum Parochum: nam cum alios tenetur reficere hoc tanto sacramento, ipse ieiunus cogeretur abire (alio deficiente Sacerdote) et spirituali gaudio illius diei privaretur.

Ex iis colliges:

I. Rationem ob quam privata Missa Feria V. maioris hebdomadae Sacerdotibus celebrari interdicitur, esse ipsam sacrificii institutionis memoriam, quae exigit, ut peculiari modo hac die recolatur.

II. Eamdem memoriam optime recoli, per publicas solemnesque functiones iuxta praescriptum Ecclesiae ritum celebratas, in quibus Sacerdos, Christum Dominum in sacra Coena repraesentans ipse sumit sacramentum corporis et sanguinis Eius, et reliquis de clero veluti Apostolis, distribuit.

III. Eadem solemnia celebranda esse etiam in ecclesiis parochialibus pauperioribus, si decenter peragi saltem valeant iuxta formam parvi Ritualis Benedicti XIII. ad hunc finem conscripti.

IV. Quod si ob Clericorum defectum in rurali paroecia neque praescripta forma servari possit, Parocho indulgeri ut Missam lectam ad populi commoditatem celebret, petita quotannis ab Ordinario venia, ne hoc in ordinis detrimentum cedat.

V. Decet enim, ut qui populum sibi adsignatum habet ob augustissimae institutionis memoriam hac die sacrificium celebret, ita ut fideles, sive de populo, sive si qui sint de Clero, sacram synaxim ex eius manu in sacrificio suscipiant.

VI. Quin imo ob eamdem rationem non est reprehendenda consuetudo, qua Parochus in eadem ecclesia, ubi solemniter functiones peraguntur, Missam ad populi commoditatem ante solemnia celebrat.

APPENDIX XVII.

CIRCA IUDICIUM S. SEDIS SUPER OPERIBUS S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO.

Occasione expositionis et resolutionis dubii *de Episcopo Regulari*, quae resolutio adversatur opinioni communius receptae, quam secutus est etiam praeclarus, et sanctus Episcopus Alphonsus de Ligorio, opere pretium esse duximus paulisper declarare quousque protendatur iudicium S. Sedis super eiusdem S. Episcopi operibus latum, quod ultra veritatem a nonnullis urgeri solet.

Non parvum quidem elogium per duplex iudicium S. Sedis tributum est operibus laudati S. Episcopi, quorum primum a S. Congregatione SS. Rituum latum fuit die 14 Maii 1802 post theologicum operum examen, ac declaratum est - *Nihil censura dignum fuisse repertum et procedi posse ad ulteriora* - quod probavit Pius VII. f. r. die 18 eiusdem mensis.

Alterum iudicium latum est a S. Poenitentiaria die 5 Iulii 1831, quod expedit heic recolere. — « Ludovicus Franc. Augustus Card. de Rohan-Chabot, Arch. Vesuntionensis, doctrinae sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes dioecesis suae, qui curam gerunt animarum; quorum nonnullis impugantibus ac prohibentibus theologiam moralem B. Alph. M. a Ligorio tamquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanae morali contrariam, S. Poenitentiariae oraculum requirit suppliciter, ac ipsi unius theologiae professoris sequentia dubia proponit solvenda:

I. « Utrum sacrae theologiae » professor opiniones, quas in sua » theologia morali profitetur B. Al» phonsus a Ligorio, tuto sequi ac » profiteri possit. »

II. « An sit inquietandus con» fessarius qui omnes B. Alphonsi » a Ligorio sequitur opiniones in » praxi s. poenitentiae tribunalis, » hac sola ratione, quod a Sede A» postolica nihil in operibus illius » censura dignum repertum fue» rit. »

« Confessarius de quo in dubio, non legit opera B. Doctoris nisi ad cognoscendam accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones: sed existimat se tuto agere eo ipso quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter iudicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam. »

S. Poenitentiaria perpensis expositis respondendum censuit:

Ad I. *affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas, sequuntur.*

Ad II. *negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum Canonizationis.*

Itaque huic iterato S. Sedis iudicio, nonnulli videntur multo plus tribuere quam ferat iudicium ipsum. Putare enim videntur S. Sedem iudicasse veras omnes laudati angelici viri opiniones: vel etiam ex S. Sedis iudicio videntur inferre, quemlibet prudenter agere si cuivis opinioni S. Alphonsi se accomodet, etiamsi cognoscat sive ex propria scientia, sive ex competenti auctoritate opinionem quam sequitur esse evidenter falsam. Quantum autem eiusmodi illationes a iudicio S. Sedis distent ex sequentibus animadversionibus erui posse videtur.

Utrumque S. Sedis iudicium latum non fuit super doctrina considerata *absolute propter se ipsam;* sed super doctrina *relative* considerata *propter aliud.* Aliud est enim iudicare super doctrina ad eius dignoscendam et declarandam veritatem; aliud est iudicare de doctrina quatenus ea non obstet ad aliquem peculiarem extrinsecum effectum. Si priori modo iudicium a S. Sede latum esset, non liceret catholico a sententiis S. Alphonsi recedere, omnesque diremptae existimari deberent innumerae quaestiones, quae inter moralistas et iuristas iugiter agitantur. Quin imo in ecclesiasticis quaestionibus, quae apud publica tribunalia agitantur, satis esset ad rem allegare S. Alphonsi auctoritatem, et quaelibet quaestio soluta dicenda foret: quae quantum a veritate sint aliena unusquisque intelligit.

Si altera vero ratione iudicium latum sit, mensura quodammodo huius iudicii desumenda est ex indole finis ob quem iudicium ipsum latum est.

Porro primum S. Sedis iudicium super laudati Auctoris operibus latum est ad finem adnumerandi Alphonsum publice inter Sanctos utpote virtutibus theologalibus et cardinalibus in gradu heroico praeditum. Itaque in examen et ad trutinam opera revocata sunt ut inquireretur, an aliquid in iisdem operibus scriptum a servo Dei esset, quod actis Canonizationis obstaret. Ad quem effectum non inquiritur de sententiarum veritate, quae inter catholicos disputantur vel disputari possunt, sed inquisitio instituitur, an aliquid Auctor scripserit, quod rectae fidei, et bonis moribus opponatur; quocirca caeterae de scriptis servorum Dei inquisitiones versantur ut constat ex generalibus Urbani VIII. Decretis. In his enim sequens lex praescribitur: « Praeterea illud etiam dili» gentissime indagandum est, an il» le vel illa pro cuius Canonizatione » instatur, scripserit aliquos libros, » tractatus, opuscula, meditationes, » vel quid simile. Nam si scripsisse

» constiterit, non prius est ad ali-
» quem actum inquisitionis deve-
» niendum, quam tales libri dili-
» genter in Sacra Congregatione exa-
» minentur utrum contineant *errores*
» *contra fidem vel bonos mores, vel*
» *doctrinam aliquam novam, vel pere-*
» *grinam, atque a communi sensu Ec-*
» *clesiae, et consuetudine alienam.*»
Quare S. Sedis iudicium quo declaravit nihil censura dignum in scriptis fuisse repertum, et posse ad ulteriora acta Canonizationis procedi, nullatenus respicit Auctoris opiniones et sententias quae inter catholicos disputantur, vel disputari possunt.

Haec autem confirmantur ulterius ex iis quae scribit Benedictus XIV. in opere *de Serv. Dei Beatif. l.* 2 *c.* 28 §. 2 *et seqq.* ibi enim describens quaenam sint officia Revisorum operum Servorum Dei, ait: « Finis » itaque seu scopus huius iudicii » est, ut videatur, an doctrina Servi » Dei, quam scriptis exposuit, sit » immunis a quacumque theologica » censura; ita ut si aliquid a Revi- » soribus praeter doctrinam adnote- » tur, severe loquendo, id dicendum » sit ad eorum messem non perti- » nere.» Et § 5. « Urbani Decreta » quamvis non recenseant singulas » censuras theologicas propositio- » num,...onus tamen est Revisorum » unamquamque propositionem, » quae cum sana doctrina non cohae- » reat, singillatim perpendere, et in » suo suffragio, quod Cardinali Rela- » tori causae exhibere tenentur, sua » censura theologica *qualificare.* » Scilicet tenentur qualificare propositiones, quae aliqua nota dignae Revisori videantur; puta, an sint haereticae, an errori proximae, an sapientes haeresim, vel errorem, vel de errore suspectae, an temerariae, an scandalum praebentes, an pias aures offendentes, an male sonantes, an simplicium seductrices, an schismaticae, an iniuriosae, an impiae seu blasphemae etc. Iudicium deinde fertur a S. Congregatione super hisce censuris, prae oculis habito Decreto Urbani VIII. supra relato; an scilicet aliquod doctrinae caput habeatur theologica censura dignum, ita ut obstet Canonizationis actorum prosecutioni, neque Auctor possit legitima ratione excusari. Agens praeterea laudatus Pontifex de cautelis a Revisorum adhibendis in hac operum inquisitione facienda, inter alia scribit *ibidem* §. 9 « Non ex aliqua » particula, sed ex tota scripturae » textura Revisores pronuntiabunt... » Item benignitatem debent, quam- » tum fieri potest severitati adiun- » gere..... Debent quoque de alienis » sententiis iudicium non ex sua, » vel suorum ferre, sed agnoscere » libenter *probabilitatem doctrinae* a » qua alioquin abhorrent.» Quin imo eodem loco auctoritatibus allegatis ostendit, nota dignum esse illum Revisorem, qui aliquam sententiam, quae a Doctoribus uti probabilis traditur, censura feriret. Explicans insuper Pontifex, quae doctrina nova existimanda sit de qua mentionem facit Urbani VIII. Decretum, ait: « do-

*

» ctrina nova aut erit illa quae vana » et inutilia, scripturisve divinis, et » Sanctis Patris adversantia profert... » aut illa erit, quae studio novitatis, » vel ut novam tradat doctrinam, » Ecclesiae regulis adversantem, no- » vas adhibet voces. »

Haec autem multum conferunt, ad intelligendum quo sensu accipi debet iudicium illud S. Sedis quod emittere solet post operum examen alicuius Servi Dei ut procedi possit ad ulteriora. Hoc enim iudicium nullimode respicit sententias, quae aliqua gaudeant probabilitate, quaeque inter Doctores disputantur, vel disputari possunt.

Quod autem ex hoc S. Sedis iudicio inferri potest, (quod est quidem maxime momenti) illud est nempe, unumquemque catholicum, qui non valeat ulterius de veritate opinionum inquirere, posse prudenter sequi magistrum et doctorem illum, qui nihil scripsit censura dignum, quae obstaret Canonizationis actis, quique ob heroicas suas virtutes iudicio Ecclesiae inter Coelites publice adnumerari meritus est, cui proinde cum doctrina non defuit heroica prudentia, et subiectio legi Dei, et Ecclesiae eius.

Neque alius videtur esse sensus alterius iudicii quod tulit S. Poenitentiaria ad secundum quaesitum. Cum enim in eo quaereretur: « an sit in- » quietandus Confessarius qui omnes » B. Alphonsi a Ligorio sequitur o- » piniones in praxi S. Poenitentiae » tribunalis, hac sola ratione, quod » a Sede Apostolica nihil in ope- » ribus illius censura dignum re- » pertum fuerit: » responsum est: *negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum Canonizationis.* Quibus verbis aperte indicavit S. Poenitentiaria prudenter se gerere Confessarium illum, qui sequitur in praxi S. Alphonsi opiniones, ob solam rationem, quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit, ita tamen ut haec verba: *nihil censura dignum;* intelligantur non absolute, sed de ea censura, quae, si adesset, obstitisset Canonizationi eiusdem.

Quilibet itaque, si grave aliquid non obstet, (puta aliqua posterior authentica declaratio, qua soluta sit aliqua quaestio, vel ex scientiae moralis profectu aliqua sententia suam amiserit probabilitatem) sese tuto accomodare potest doctrinae S. Alphonsi, sibi videlicet doctrinam huius docti, ac sancti Episcopi adscribens, qui sanctitate praefulgens, non minus scientia, quam morali prudentia praestitit: ita tamen ut dicendi non sint imprudenter agere, qui alias sententias sequantur, (servata semper praedicta exceptione) quae ab aliis probatis in Ecclesia Auctoribus docentur.

Quibus consona est responsio S. Poenitentiariae priori quaesito data. Cum enim quaereretur: « u- » trum sacrae theologiae professor » opiniones quas in sua theologia » morali profitetur B. Alphonsus a

» Ligorio tuto sequi ac profiteri pos-» sit: » responsum est: *affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequuntur*. Ex qua responsione qua declaratum est, S. Alphonsum esse unum ex probatis Auctoribus cuius opiniones qui sequitur tuto agit, non recte aliquis inferret, per particulam *tuto* in dubio expressam, declaratas fuisse veras omnes laudati Antistitis sententias et opiniones; quod dignoscitur ex altera responsionis parte, qua reprehendendi non sunt, qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequuntur. Nemo enim ignorat ipsos probatos in Ecclesia Auctores, usuque receptos, diversas et contrarias interdum tradere opiniones, quas utpote probabilitate gaudentes, nemo, qui eas sequitur, reprehensione est dignus. Pariter ex eadem particula *tuto*, non bene quis inferret, licere cuilibet S. Alphonsi opinionem sequi, quamvis cognoscat, sive ex propria scientia, sive ex competenti auctoritate, opinionem quam sequitur esse *evidenter* falsam, nullaque amplius probabilitate gaudere. Namque S. Poenitentiariae responsio non innititur principio scientiae, quatenus scilicet quidquid docuerit S. Alphonsus verum sit; sed innititur aliis extrinsecis prudentialibus rationibus, ob quas qui eiusdem sequitur sententias, prudenter, ideoque tuto agit. Quae rationes illae sunt, quas paullo ante indicavimus, quaeque in defectu scientiae subrogantur; videlicet, quivis prudenter ideoque tuto agit, si propriam sibi doctrinam faciat, usu in Ecclesia receptam, quam vir doctus et prudens, maxime vero si recens sit et sanctitate praefulgeat, docuit. Cum vero dictum prudentiae principium subrogetur defectui scientiae, exceptionem pati dicendum est, quoties evidenter nobis constet aliquam Auctoris, quem sequimur, sententiam, falsam esse, nullaque probabilitate gaudere.

Haec omnia dicta intelligantur non quidem ad detrahendum (quod absit) auctoritati tanti viri, cui, per haec quae diximus, nihil detrahimus; sed ut iusto pretio habeatur S. Sedis iudicium: quidquid enim ultra veritatem protenditur error est, qui quantum fieri possit, declinari debet.

Heic insuper nolumus praetermittere, id quod animadvertit alter ex Consultoribus Rmus P. Hieronymus Gigli in suo voto pro dubio supra exposito *de Episcopo Regulari* videlicet, (sunt verba Consultoris) » certus sum, quod si purissima » illa anima S. Alphonsi prae oculis habuisset Constitutionem Be» nedicti XIII: *Custodes*., nunquam » contrarium tradidisset, praeser» tim circa eos Regulares, quos » Regula obligat sub gravi.»

APPENDIX XVIII.

PRAXEOS REGULAE CIRCA CONTRACTUS RERUM ECCLESIASTICARUM RITE INEUNDOS.

In referenda causa *Stipulationis contractus*, quae penes S. C. Ep. et Reg. agitata est, adnotavimus non paucos defectus et vitia in negotii, de quo res erat, pertractatione intercessisse: quos defectus et vitia saepissime et alibi passim locum habere iugis experientia demonstrat. Nos iam pag. 251 et seqq. totum dedimus Benedicti XIV. Motum-proprium diei 22 Novembris 1742, itemquem Decreta Generalia a S. C. Ep. et Reg. edita, quae observari debent in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum. Super hisce dispositionibus novum, idemque egregium opusculum nuperrime conscripsit et in lucem edidit clarus Advocatus Aloisius Trombetta, Subsecretarius eiusdem Sac. C., cuius opusculi titulus legitur de more in chartula, qua praesens hic fasciculus amicitur. Huius itaque perutilis elucubrationis synopsim nostris humanissimis lectoribus heic offerimus, quod non sine magno utilitatis fructu eisdem fore nobis pollicemur.

Itaque, ut ad rem veniam, clarus Auctor, postquam suo in opere per extensum praeposuerit tum celebratissimam *Extra vagantem* Pauli II. incipien. *Ambitiosae*, tum Benedicti XIV. Motum-proprium et generalia S. C. Decreta, in primis id statuit ac firmat, hisce Decretis inesse propriam ac veram obligandi vim, iisque propterea sese conformare debere tum eos, quorum est partem habere in administratione rerum ecclesiasticarum, tum etiam SS. CC. ac Tribunalia. Sacra enim Congr. Ep. et Reg. cum agat nomine Papae, ut ait Card. De Luca, ab hoc auctoritatem obtinet leges etiam ferendi, cum praesertim nil, quod aliquam gravitatem habeat, sine scientia ac speciali iussu Summi Pontificis agere vel iubere soleat. Hinc est, quod et S. C. Conc., et ipsum Sacrae Rotae Auditorium iisdem Decretis pro re nata inhaerere religiosum sibi duxerint; prout ostenditur idoneis allatis exemplis (1).

Hisce in primo capite praestitutis Auctor in capite secundo de

(1) Adnotamus hic, Auctorem nostrum singula ea, quae asseverat in hoc capite, itemque in iis quae sequuntur, quaeque nos summis labiis delibanda sumimus, idoneis rationum momentis copiose fulcire et comprobare solere. Qua in re hac idem methodo generatim usus est, ut iuris civilis et canonici, quo vivimus, principia ponat ac statuat, ex iisque veluti e fonte deducat regulas disciplinae, seu praxeos, quas servat servarique mandat S. C. Ep. et Reg. in contractibus rerum ecclesiasticarum ineundis: iisdem insuper quasi praesidium ac firmamentum comparat ex declarationibus, quas Sacer Ordo edidit in casibus peculiaribus quaeque

publicis edictis eloquitur, quae affigi debent, antequam aliqua ecclesiastica res licitationi exponatur: quae quidem absque auctoritate a Sacro Ordine facta iudici non posse docet; et si secus factum fuerit, S. Congreg. integrum esse admonet eam affixionem posthabere, et novam praescribere, iussa nova aestimatione fundi per virum peritum ex officio eligendum, aliisque conditionibus adiectis, quae magis in rem, et utilitatem ecclesiae cedere videantur; sine speciali Sedis Apostolicae venia in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum edicta praetermitti nequeunt. Si fundum licitandum pro indiviso ecclesia cum persona laica possideat, non idcirco edictorum affixionem declinari ac negligi posse contendit. Non ex praecepto legis sed tantum ex consilio et exhortatione edicta requiri tradit in locationibus, quae intra triennium continentur, dummodo tamen etiam hoc in casu eadem ex synodali sanctione haud praecipiantur. Nullus est terminus praefixus pro primis edictis, quem tamen ad viginti vel triginta dies plus minusve prudenti Ordinariorum iudicio protensum generatim sese inspexisse testatur. Quod pertinet ad edictorum pro vigesima ac sexta affixionem, hanc nec essentialem, nec praeceptivam esse inquit, etiamsi consuetudo et maior ecclesiae utilitas eadem non omitti suadeat.

Gradum facit Auctor in tertio capite ad oblationes, de quibus plura ad usum necessaria disserit. In primis quaestionem instituit de casu, quo duae oblationes vel plures inveniantur inter se pares? Hoc posito S. C. iubet ad se omnes oblationes remitti, ut ipsa eligere possit, quaenam oblatio inter pares quoad quantitatem, sit melior quoad alia; neque enim hisce in rebus maior tantum, sed et melior debet oblator attendi. Subinde enumerat conditiones, quae requiruntur, ut oblationes suum sortiantur effectum; itaque primo debent esse *legitimae*, scilicet loco ac tempore factae in edictis praestituto: quod ita intelligendum est, ut nihilominus liceat nova proponere edicta, si utile id ecclesiae censeatur, et quoties res adhuc integra est, beneplacito nondum expedito, nec executioni rite commisso, ac publico instrumento exarato. Secundo debent esse *certae*, videlicet in summa certa et explicita, unde reiiciuntur oblationes captiosae, incertae, et ecclesiae bono adversae. Aliquando fit, ut aliquis oblator praeter propriam oblationem addat augmentum supra quaslibet alias oblationes: hoc in casu augmentum oblationi propriae addici debet non alienae; ex. gr. si Titius offerat cen-

idem excerpsit ex authenticis regestis tabularii S. C., nec quandoque, cum res postulat, argumenta mutuari omittit sive ex declarationibus S. C. Conc., sive decisionibus S. Rotae Romanae.

tum, et addat scutata decem supra quaslibet alias oblationes, quae propriam exsuperent, oblatio recipitur in scutatis centum ac decem. Si oblationi inhaereat aliqua conditio, eadem tanquam incerta repudiatur. Tertio loco debent esse *evidenter utiles;* namque ecclesia ad alienationem non procedit, nisi cum evidenti sua utilitate iuxta privilegia, quae communia habet cum pupillis et minoribus; itaque ecclesiae utiles minime reputantur eae, quae pro persona nominanda exhibentur, nam si persona, cum qua contrahendum est, cognita plene non fuerit, de utilitate evidenti iudicium proferri nequit; deinde persona ista nominanda sanguine coniuncta cum ecclesiae administratore facile esse potest: atqui vetitum est contractus inire cum his circa ecclesiae administratae res; circa personam nominandam excipitur casus, quo illico et in continenti declaratur, quaenam speciatim ista persona sit; tunc enim exulant ea, quae metuuntur, incommoda. Dein ratio discriminis adsignatur, cur obligationes pro persona nominanda admittantur in foro civili, ac reiiciantur in foro ecclesiastico: quae ratio in eo sita est, quod evidenter non apparet, an contractus, de quo res est, cum persona innominata utilitatem ecclesiae sit allatura, necne. Sed nec utiles reputantur oblationes, quae continent aliquam summam titulo ingressus, vulgo *di prima entratura,* aut alio quocumque nomine vocitetur, nisi ea summa favore eccl. ipsius investiatur. Denique oblationes esse debent *idoneae*, ab iis nempe exhibitae, qui sint solvendo pares, vel alias, quae necessariae sunt, cautiones praestare valeant: si secus fortasse fiat, oblatori certus terminus praefigitur, ut cautiones ipsas sibi comparet et exhibeat: quo inutiliter elapso, aliis, licet minoribus, oblationibus recipiendis aditus aperitur. Semel traditis rite oblationibus quaestio suboritur, an locus sit poenitentiae ita ut oblatores factum suum retractare queant. In quo distinguenda sunt edicta *deliberatoria* et edicta *invitatoria:* deliberatoria ea dicuntur, quae promissionem continent rem deliberandi favore maioris oblatoris; invitatoria audiunt, quibus expresse monetur, quod oblationum ratio habebitur; quod italice dicitur *saranno prese in considerazione*. Ad prima quod attinet, regula statuitur easdem oblationes esse obligatorias; namque oblatio promissionem involvit, quae simul ac facta fuerit, ex lege naturali ac civili servanda est. Hanc thesim Auctor cum fuse tum solide comprobat. Si vero agatur de edictis invitatoriis regula generalis est, ut ea obligandi vim non habeant, dummodo tempus non sit praefinitum, quo liceat oblationes cernere et arbitrium interponere, an spernendae vel accipiendae sint: at hoc termino elapso, potest oblator oblationes suas revocare, et ab iis resilire. Verum cum agitur de contractibus cum ecclesia idem adnotat Auctor, eas quo-

que oblationes ex praxi S. C. Ep. et Reg. uti obligatorias semper fuisse habitas, atque omnia argumenta recenset, quibus praxis ipsa fulcitur.

In quarto capite de vigesima ac sexta speciatim dicendum suscipit Auctor, easque iuductas fuisse tradit adinstar privilegii, tum *addictionis in diem* circa vigesimam, unde sequitur, quod venditio ea lege facta censeatur, ut firma fiat vel firma remaneat, si alius intra certum tempus meliorem non obtulerit conditionem, tum instar *restitutionis in integrum* circa sextam, cuius vi aliquis in pristinum statum reponitur, et negotium instauratur. Vigesimae ac sextae experimentis locus esse nequit, nisi postquam Beneplacitum Apostolicum per Ordinarium decreto, quod vocant, executoriali munitum fuerit. Eadem vigesimae ac sextae experimenta nullitatis quoque vitio laborant, si peracta fuerint ante literarum Apostolicarum expeditionem in iis contractibus emphiteuticis, pro quibus literarum Apostolicarum expeditio praescribi solet. Vigesimae duratio ad viginti dies protenditur, eiusque terminus decurrere incipit a die, quo ab Ordinario executoriale decretum appositum fuerit; duratio vero sextae trium est mensium. Porro vigesimae et sextae termini neque prorogari, neque contrahi possunt ab Ordinariis: Sacra vero Congregatio potest quidem terminos contrahere, minime vero prorogare. Ea oblatio vigesimae ac sextae, quae maior reperta fuerit, deliberatario sub poena nullitatis denuncianda est. Vigesimae ac sextae oblatio potest esse maior quantitate praescripta, idest maior parte vigesima pro una, maior sexta parte pro altera : neutiquam tamen potest esse minor. Quod pro vigesima dispositum fuit, idem, congrua congruis referendo, pro sexta dispositum fuisse censendum est.

De Apostolico Beneplacito quinto in capite sermo instituitur, idemque non requiri in locatione triennali ostenditur, itemque nec in contractibus, in quibus Ordinarii facultatem habent vi Canonis *Terrulas*. In hoc articulo exponendo declaratur, valoris modicitatem, qua concurrente eius Canonis applicatio locum habet, determinari a consuetudine locali, ita ut valor modicus etiam censeatur, qui scutata quinquaginta monetae Romanae non excedat, ubi praefata adest consuetudo, secus modicus dumtaxat dicendus erit, qui ducata viginti quinque de Camera (quae aequivalent scutatis romanis quadraginta) non superet. Excipiuntur concessiones emphiteuticae perpetuae rerum valoris etiam modici, pro quibus Apostolicum Beneplacitum requiritur, nec Episcopi auctoratio sufficit. Quamvis olim sine novo Beneplacito liceret res emphiteusi dari solitas, devolutione adveniente, iterum in emphiteusim concedere, hodie tamen sancitum ac receptum est, ut novum Beneplac. semper omnino requiratur.

Circa rescripta, eorumque exe-

cutionem versatur caput sextum. Porro rescripta alia sunt in forma gratiosa, quibus videlicet gratiam Summus Pontifex per se immediate impertitur, quin ab aliquo retardari queat; ac talia sunt ea etiam, quae clausulam continent *arbitrio* Episcopi aut alterius executoris: haec enim apposita dumtaxat censetur ob reverentiam in executorem, ideoque eadem Executorem mixtum haud facit. Rescripta in forma commissaria ea dicuntur, quibus Pontifex gratiam per se ipsum non facit, sed committit, sive mandatum dat alicui, puta, Ordinario, ut eam impertiatur certis observatis conditionibus, quas Auctor enucleat. Delegatio S. Sedis in Ordinarium collata extenditur etiam ad Vicarium generalem, minime vero si facta fuerit Episcopo nisi in vim delegationis. Quod si facta fuerit Vicario, non potest eam exequi Episcopus, nisi Vicarius ei subdelegare velit: quae tamen subdelegatio fieri nequit in casu, quo electa omnino fuerit industria personae. Rescripta gratiae dumtaxat in forma commissoria impetrata per mortem Pontificis expirant.

Septim caput aditum aperit quaestionibus agitandis ac resolvendis, quae pretii, quod ex alienatione retrahitur, investimentum respiciunt. Investimentum definit Auctor, legitimam pecuniae collocationem in praediorum emptione, vel in iuris percipiendi fructus comparatione: ex qua definitione idem infert, quod investimentum non consistat in censuum vel debiti extinctione, nec in meliorationibus fundorum, et multo minus in eorumdem instaurationibus, nec est verum investimentum domum construere in fundo, quem iam antea ecclesia possideat. Sed investimentum fieri debet in fundis stabilibus tutis atque fructiferis; et quaenam praedia sint praeferenda, Auctor indigitat. Investimentum in censibus *per posterius et in subsidium*, solùmmodo permittitur, quando nempe praedia stabilia comparari nequeant. Excipitur investimentum, cuius fructus erogandi sunt in Missarum celebrationem: hoc enim in casu census non reputantur idonei, sed omnino praedia stabilia requiruntur. Investimentum fieri nequit sine Apostolica venia (quae tamen per Sacras Congregationes in praesenti rerum statu pro debito publico Pontificio passim conceditur) in comparatione schedularum super debito publico vulgo *Consolidato*. Multoque minus in aliis publicis capsis praesertim in parsimoniali, *Cassa di Risparmio*.

Ad octavum caput quod attinet, ubi de actis agitur, quae in contractibus rerum ecclesiasticarum peragi debent, hanc ipse regulam praestituit, ut ea quae licitationem respiciunt, a curiis ecclesiasticis absolvi debeant; ad eas itaque, sive ad earum officiales pertinet peritorum deputatio ex officio facienda pro aestimatione fundi, qui alienari debeat; edictorum affixio; schedarum, quibus oblationes describuntur, aperi-

tio; actus, quo fundus maiori oblatori deliberatur, ut nihil dicam de executione rescripti, quae ei competit, cui ab Apostolica Sede commissa fuerit. Contra vero acta, quae ad instrumenti confectionem referuntur, qua alienatio perficitur, a publico tabellione stipulanda sunt; adeoque Cancellarii episcopales, si Tabellionatu careant, eadem peragere prohibentur. Tabelliones autem simplex instrumentorum exemplar Curiae tradere tenentur.

A quo subeundae sint expensae pro huiusmodi actis necessariae, expendit nonum caput; in quo regula generalis est, sufferri debere ab iis, quos ad eas teneri in edictis proclamatum fuerit, ceu fere evenit, atque adeo ad vitandas lites fieri admodum expedit. Si vero nihil conventum appareat, tum iuxta adagium, ut ille sentiat incommodum qui commodum sentit, pro dimidio ab ecclesia, pro dimidio ab alienatario expensae sufferendae sunt. Si tamen acta, de quibus agitur, utilitatem alienatarii, et non ecclesiae respiciant, qualia sunt censuum, aliorumque creditorum extinctio, rescriptorum ob extinctionem expeditio et executio, hypothecarum deletio, publici Regesti taxa, aliaque id genus, quae ad debitoris utilitatem spectant, expensae, quibus eas in causas opus est, non ab ecclesia, sed solummodo a debitore persolvendae sunt. Et quidem viceversa ab ecclesia subeundae sunt, si de eiusdem utilitate solum agatur.

Denique ut argumenti ab Auctore suscepti pertractatio numeris omnibus absolvatur, in decimo et ultimo capite de mobilibus ecclesiae rebus, et supellectili sacra alienandis quaestiones saepius oriri solitae disceptantur. Ad quaslibet hac super re controversias amputandas, Auctor duo lemmata statuit; primum est, quod bona ecclesiae mobilia pretiosa quae servando servari possunt, aequiparentur bonis immobilibus circa solemnitates pro alienatione praescriptas; alterum est, ut, cum agitur de supellectili sacra, quae ex viri periti aestimatione vigintiquinque scutata aurea excedat, non possit a Clericis alienari vel oppignorari sine Beneplacito Apostolico: neque pariter sine expressa licentia Ordinarii si agatur de supellectili sacra, cuius valor infra vigintiquinque scutata aurea aestimatus fuerit. Quaeri potest, an in huiusmodi alienationibus necesse sit servare leges pro licitatione rerum immobilium praescriptas? Cui quaestioni Auctor negativam responsionem reddit; dedecet enim res sacras publice venumdari cum periculo, ne in manus profanorum perveniant. Sed tamen nihil diligentiae praetermittendum est, ut recta ac fidelis aestimatio sacrae supellectilis alienandae habeatur ex fide viri periti, eaque illi adiudicetur qui maiorem summam obtulerit.

Cursim nos haec attigimus: qui vero rem penitius et clarius nosse cupiat, opus ab Auctore tam bene elaboratum atque perfectum adire ne gravetur.

APPENDIX XIX.

INSTRUCTIO S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE CIRCA CONTRACTUM QUEM MATRIMONIUM CIVILE APPELLANT.

1. « Quod iamdiu timebatur, quodque Episcopi cum singillatim, tum una omnes, protestationibus zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque ordinis eruditis suis scriptis, et ipsemet summus Pontifex vocis suae auctoritate, avertere conati sunt id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem Matrimonii contractum, eiusmodi malum haud amplius est, quod Iesu Christi Ecclesia debeat trans Alpes deflere; sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum, pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minitatur inficere. Atque hosce funestos effectus Episcopi et locorum Ordinarii animadverterunt, quorum quidem alii opportunis instructionibus monitum ac vigilem fecerunt gregem suum; alii vero ad hanc Apostolicam Sedem mature confugerunt, ut normas inde haurirent, quibus in tam trepida re ac tanti momenti tuto dirigerent sese. Quamvis autem hoc sacrum Tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus, Summi Pontificis jussu, dederit: attamen ut postulationibus, quae in dies augentur, satisfiat, mandavit Sanctus Pater, ut per hoc Tribunal ad omnes locorum Ordinarios, ubi infausta haec lex promulgata fuit, instructio mitteretur, quae normae cuiusdam loco cuique eo-

1. « Ciò, che già da gran tempo temevasi, ed i Vescovi o singolarmente, o collettivamente con rimostranze piene di zelo e dottrina, e persone d' ogni ordine colle loro erudite penne, e lo stesso sommo Pontefice colla autorità della sua voce procurárono di tenere lontano, vediamo pur troppo stabilito in Italia. Il così detto contratto civile di matrimonio non è più un male, che la Chiesa di Gesù Cristo, debba deplorare oltre le Alpi, ma è un male, che trapiantato in queste contrade d'Italia minaccia co' suoi tristi effetti contaminare la famiglia, e società Cristiana. E questi funesti effetti sono stati ravvisati dai Vescovi ed Ordinarii de' Luoghi, altri de' quali con opportune istruzioni han già messo in guardia il loro gregge, ed altri hanno fatto sollecito ricorso a questa Apostolica Sede, per avere norme sicure onde regolarsi in affare così importante, e pericoloso. E sebbene per comando del Sommo Pontefice questo S. Tribunale abbia già dato non poche risposte, ed istruzioni alle dimande particolari; tuttavia per soddisfare alle istanze, che di giorno in giorno si moltiplicano, il Santo Padre ha ordinato, che per mezzo di questo medesimo Tribunale sia inviata a tutti gli Ordinarii de' Luoghi, dove è stata pubblicata l' infausta legge, una istru-

rum inserviret, ut et fideles dirigant et ad morum puritatem, sanctitatemque Matrimonii Christiani sartam tectam servandam, uno animo procedant.»

2. «At vero in exequendis S. Patris mandatis haec S. Poenitentiaria superfluum putat in memoriam cuiusque revocare, quod est SSmae Religionis nostrae notissimum dogma, nimirum Matrimonium unum esse ex septem Sacramentis a Christo Domino institutis, proindeque ad Ecclesiam ipsam, cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere: tum etiam superfluum putat in cuiusque memoriam revocare formam a S. Tridentina Synodo praescriptam *sess.* 24. *c.* 1. *de Reform. matrim.*, sine cuius observantia in locis, ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset.»

3. «Sed ex hisce aliisque axiomatibus et catholicis Doctrinis debent animarum Pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam Fidelibus id persuadeant quod Sanctissimus Dominus noster in Consistorio secreto die XXVII. Septembris anni MDCCCLII. proclamabat: id est - *Inter Fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem, etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum.*

zione da servire di norma generale a ciascuno di loro, per regolare i fedeli, e procedere concordemente a sostenere la purità de' costumi e la Santità del matrimonio Cristiano.»

2. «Nell'eseguire però gli ordini del S. Padre questa S. Penitenzieria crede superfluo di rammentare ciò, che è domma notissimo della nostra Santissima Religione, essere cioè il matrimonio uno de' sette Sagramenti instituti da Gesù Cristo e perciò alla Chiesa, cui lo stesso Gesù Cristo affidò la dispensa de' suoi divini misteri, appartenere solamente il regolarlo. Così ancora crede superfluo ricordare la forma prescritta dal S. Concilio di Trento sess. 24. Cap. 1 de *Reform. matrimonii*, senza l'osservanza della quale non potrebbe nei luoghi ove è pubblicato, contrarsi validamente il matrimonio.»

3. «Ma da queste ed altre massime e dottrine cattoliche i Pastori delle anime devono formare istruzioni pratiche, con cui facciano bene intendere ai fedeli quello, che la Santità di nostro Signore proclamamava nel Concistoro segreto dei 27 settembre 1852, cioè *inter fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem, etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem Concubinatum.*»

4. « Atque hinc facile deducere poterunt, civilem actum coram Deo eiusque Ecclesia, nedum ut Sacramentum, verum nec ut contractum haberi ullo modo posse ; et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam Fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapacem esse ; ideoque, sicut haec S. Poenitentiaria iam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione coniugum legitimo Matrimonio coram Ecclesia coniunctorum, a laica potestate latam, nullius valoris esse ; et coniugem qui eiusmodi sententia abutens, alii se personae coniungere auderet, fore verum adulterum : quemadmodum esset verus concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret; atque utrumque absolutione indignum esse donec haud resipiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subiiciens ad poenitentiam convertatur. »

5. « Quamvis autem verum Fidelium Matrimonium tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram Parocho et testibus, iuxta citatam S. Concilii Tridentini formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur: attamen ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam habere-

4. « E da ciò potranno facilmente dedurre, che l'atto civile avanti gli occhi di Dio, e della sua Chiesa non può essere considerato in conto alcuno non che di Sacramento, neppure di contratto, e che come la potestà civile è incapace a legare alcuno de' fedeli in Matrimonio, così è incapace a scioglierlo, e che perciò, come questa S. Penitenzieria ha già dichiarato in qualche risposta ai dubii particolari, ogni sentenza di separazione intorno a coniugi uniti in matrimonio legittimo avanti alla chiesa, pronunziata da laica potestà, sarebbe di niun valore, ed il coniuge, che, abusando di tale sentenza, ardisse di unirsi con altra Persona, sarebbe un vero adultero, come sarebbe vero concubinario chi presumesse di stare in matrimonio in forza del solo atto civile, e l'uno e l'altro sarebbe indegno di assoluzione finchè non rinsavisse e sottoponendosi alle prescrizioni della Chiesa, non tornasse a penitenza. »

5. « Quantunque però il vero matrimonio de' fedeli allora solamente si contrae quando l' uomo e la donna scevri di impedimenti dichiarano il mutuo consenso avanti il Parroco e testimonii, giusta la citata forma del S. Concilio di Trento, ed il matrimonio così contratto abbia tutto il suo valore, nè abbia affatto bisogno d'essere riconosciuto, o confermato dalla Potestà civile : tuttavia per evitare vessazioni e pene, e pel bene della prole, che altrimenti dalla laica Potestà non sarebbe ricono-

tur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem Fideles postquam Matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum exequuturi, ea tamen intentione (uti Benedictus XIV. docet in Brevi diei XVII. Septembris anni MDCCXLVI. *Redditae sunt Nobis*), sistendo se Gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem coeremoniam exequantur.»

6. «Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, Parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos Fideles, qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum: sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat.»

7. «Quod si opportunum est ac expedit, ut Fideles sistentes se ad actum civilem peragendum se probent legitimos coniuges coram lege: hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, eiusmodi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium cosciuta per legittima, e per allontanare ancora il pericolo di poligamia, si ravvisa opportuno ed espediente, che i medesimi fedeli, dopo d'aver contratto legittimo Matrimonio avanti alla Chiesa si presentino a compiere l'atto imposto dalla legge con intenzione però (come insegna Benedetto XIV. nel Breve dei 17 Settembre 1746. *Redditae sunt Nobis*) che presentandosi all'ufficiale del Governo non fanno altro, che una ceremonia meramente civile.»

6. «E per le stesse ragioni, e non mai in senso di prestar mano all'esecuzione dell'infausta legge, i Parrochi non dovranno ammettere indifferentemente alla celebrazione del matrimonio avanti alla Chiesa quei fedeli, che, per essere proibiti dalla legge, non sarebbero poi ammessi all'atto civile, e quindi non riconosciuti per coniugi. In ciò devono usare di molta cautela e prudenza, sentire il parere dell'Ordinario, e questi non esser facile nell'annuire; ma ne' casi più gravi consultare questo S. Tribunale.»

7. «Che se è opportuno ed espediente, che i fedeli col presentarsi all'atto civile si facciano conoscere per legittimi coniungi in faccia alla legge; non devono però mai compiere un tal atto senza aver prima celebrato il matrimonio avanti alla Chiesa. E se mai la coazione, od un'assoluta necessità, che non deve facilmente ammettersi, portasse di invertire un tale ordine, allora deve usarsi di tutta la diligenza, affinchè

ram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant. Hac super re unumquemque hortatur haec S. Poenitentiaria, ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV expositam in Brevi, cuius supra mentio facta est, ad quod tum Pius VI. in suo Brevi ad Galliae Episcopos «*Laudabilem Maiorum suorum* dato die XX Septembris anni MDCCLXXXXI. tum Pius VII. in suis literis datis die XI. Iunii Anni MDCCCVIII. ad Episcopos Piceni, eosdem Episcopos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularant, quibus in simili civilis actus contingentia Fideles dirigerent. Post haec omnia facile est videre, praxim hactenus observatam circa Matrimonium, et speciatim circa paroeciales libros, sponsalia, et matrimonialia impedimenta cuiusvis naturae ab Ecclesia sive constituta sive admissa, nullo modo variari.»

8. «Et hae sunt generales normae quas huic S. Poenitentiariae, Sancti Patris mandatis obsequenti, tradere visum fuit, et iuxta quas eadem videns plures Episcopos et Ordinarios suas iam instructiones adamussim confecisse, maximopere laetatur: speratque fore ut et caeteri omnes idem faciant: qui ita se pastores vigiles ostendentes, meritum ac praemium a Iesu Christo Pastorum omnium Pastore consequentur.»

quanto prima sia contratto il matrimonio avanti alla Chiesa, ed intanto i contraenti stiano separati. Ed intorno a ciò si raccomanda di attenersi alla Dottrina sviluppata da Benedetto XIV. nel mentovato Breve, a cui Pio VI. nel suo breve a' Vescovi di Francia *Laudabilem maiorum suorum* dei 20 Settembre 1791, e Pio VII. nelle sue lettere scritte gli 11. Giugno 1808 a' Vescovi delle Marche rimettevano per istruzioni i Vescovi medesimi, che avevano chiesto norme per regolare i fedeli in simile contingenza di atto civile. E dopo tutto questo è facile vedere, che, non resta in alcuna maniera alterata la prassi fin qui osservata intorno al matrimonio, e segnatamente intorno a' libri parrocchiali, sponsali, ed Impedimenti Matrimoniali di qualunque natura stabiliti o riconosciuti dalla Chiesa.»

8. «E queste sono le norme generali che in ossequio degli ordini del S. Padre questa S. Penitenzieria ha creduto di segnare, e sopra le quali gode l'animo di vedere, che molti Vescovi ed Ordinarii hanno già modellato le loro istruzioni, e si nutre fiducia, che altrettanto faranno tutti gli altri, e così mostrandosi pastori vigilanti n' avranno merito da Gesù Cristo Pastore di tutti i Pastori.»

«Dato in Roma dalla S. Penitenzieria li 15 Gennaio 1866.»

A. M. CARD. CAGIANO P. M.

L. Peirano Segretario.

IMPRIMATUR { Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.
Petrus Villanova-Castellacci Arch. Petr. Vicesg.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

PAROCHIALIS.

Die 22 *Decembris* 1860. *Sess.* 21 *c.* 6 *de reform.*

Compendium facti. Crebro repetitis querelis nomine communitatis A. ad Curiam episcopalem adversus loci Parochum N., summaria inquisitio in eumdem instituta fuit, ex qua sequentia imputationum capita satis comprobari Curiae visa sunt, nempe 1, nimius, et durus rigor Parochi N. in castigandis pueris per verberationes, et adultis per implorationem politiae saecularis. 2. Indomita ludi et conversationis passio, quae ipsum frequenter a sua paroecia abesse, et in vicina oppida excurrere cogeret; unde non raro serotinis horis, media nocte, imo summo mane domum revertebatur. 3. Notabiles negligentiae in officio pastorali, ac in administratione sacramentorum, ex causa praesertim seri reditus ex locis peregrinis. 4. Notabiles distractiones in publicis divini officii functionibus non sine populi admiratione. 5. Culpabilis neglectus in assistendo moribundis, quorum nonnulli ipsius culpa sine sacramentis decesserunt. 6. Demum gravis aversio, et abalienatio parochianorum exinde derivans, ita ut ipso Parocho celebrante divina officia, parochiani ecclesiam vitarent, sacramenta recusarent, et passim maxima frequentia vicinas ecclesias peterent.

Hinc suadente publicae utilitatis ratione et pro bono pacis, sententia a Curia lata fuit, qua per modum provisionis administrativae et temporariae, Cooperator datus est Parocho N., eiusdem Parochi sumptibus, donec huiusce provisionis causam cessare constaret. Quae quidem provisio post mensem temperata est ita, ut permissum et praeceptum fuerit Parocho, et Cooperatori in omnibus cultus divini functionibus alternare vices, salvo tamen arbitrio parochianorum Cooperatorem adeundi, in sacramentorum administratione, et infirmorum adsistentia.

At Parochus ad Curiam metropolitanam appellans, sui favore sententiam, quae sequitur, a Iudice huius Curiae obtinuit, videlicet: sententiam poenalem contra Parochum N., tamquam aequum poenae modum excedentem, non susteneri; ideoque Cooperatorem ipsi datum revocandum; Parochum vero appellantem propter culpabiles negligentias in munere parochiali esse severe coarguendum. Praeterea, iudicii expensas et stipendium dati Coadiutoris, a Parocho ferenda esse.

Vicissim ab hac sententia episcopalis Curia ad Apostolicam Sedem appellavit. Pendente autem appellatione, cum dissidia inter Parochum N. et parochianos augeri in dies non sine spirituali horum damno intelligeret Episcopus, ope alterius sententiae, Parochum ipsum ad permutandum intra trimestre parochiale suum beneficium cum alio damnavit, eumque interim ab omni exercitio iurisdictionis et ordinis, excepta Missa privata, suspendit. Itaque contra hanc sententiam iterum appellavit Parochus ad metropolitanam Sedem, quae tamen ob pendentiam litis penes Apostolicam Sedem, suam incompetentiam declaravit. Exinde Parochus ad S. Sedem suam etiam appellationem deduxit. Quae autem utrinque disputata sint in sequenti disceptatione per summa capita reperies.

Disceptatio synoptica.

Ea quae favore parochi adducerentur. — Curia metropolitana in ferenda sententia iudicio Curiae episcopalis adversa, perpenderat, inquisitionem institutam super Parochi accusationibus deficientem et mancam fuisse. Investigatum enim non fuerat quam ob causam, quove animo accusatores Parocho oppeterent: an scilicet personali odio et vindictae forsan cupidine abrepti, vel potius desiderio occurrendi publicae paroeciae malis, quae Parocho imputabantur. Eo vel magis quod cum a decem annis Parochus N. eam regeret paroeciam, accusationum capita ad ultimos annos non referebantur, ita ut expiscata et conquisita ea facta esse viderentur, quae lapsu temporis obliterata manebant. Quare ratio agendi Parochi in primis ad trutinam revocari debuisset, et si culpa vacuus repertus ipse non esset, locus fiebat admonitionibus, ut ad sanam frugem rediret.

Accedit, non omnia accusationum capita Parocho communicata fuisse ut sese defendere posset.

Insuper eadem metropolitana Curia singulas accusationes perpendens, observabat probari quidem, Parochum nimiam aliquando adhibuisse severitatem in adolescentes, et quandoque praecipitanter in hac re se gessisse; at eosdem iuratos testes deposuisse, non cuncta esse veritati consona: distractiones autem minori etiam pretio habendas esse, quae ad duos casus, tempore iamdiu praeterito referebantur. Circa accusationes ludi ad plures noctis horas protracti, id raro accidisse testes affirmabant, et quando imbrium vis impedimento reditui foret.

Demum, minoribus imputationibus omissis, eadem Curia circa negligentiam in Sacramentorum administratione perpendebat, sex tantum numerari huius negligentiae casus in toto decennio curae parochialis: attamen de eorum nonnullis Parochus auditus non fuerat; circa caeteros vero, vel excludebantur circumstantiae ludi et absentiae a Parochia, vel deprehendebatur falsa seu exaggerata accusatio, vel alia concurrebant adiuncta, quae Parochi negligentiam, si non omnino excusarent, saltem non adeo criminosam reddebant prout ex adverso contendebatur.

Caeterum, quamvis ob indicata rationum momenta gravis nimis existimata fuerit poena inflicta Parocho N., ratione nempe expensarum pro alendo Coadiutore, praesertim autem ob dedecus eidem obventurum; nihilominus eadem Curia monendum serio Parochum esse censebat, ob immoderatam ludi et conversationis passionem, ob eiusdem commorationes extra fines Parochiae, usque ad serotinas noctis horas, distractiones, et neglectum in obeundis sacris actionibus, anxietatem in conservanda sanitate et vita in casibus, in quibus pastor bonus vitam etiam pro ovibus dare debeat, ob vehementiam denique in castigandis pueris et adultis.

Parochus praeterea sese apud Sedem Apostolicam defendebat ab altera lata sententia, qua permutatio beneficii decernebatur, hanc pariter sententiam non sustineri contendebat, non solum quia iisdem rationibus ac prima sententia inniti dicebat; sed etiam quia lata fuit pendente penes Apostolicam Sedem appellatione, quo in casu sine vitio attentati, nihil innovari potuerat.

*

Ea quae deducebat curia episcopalis in sui defensione. — Pro defensione prioris sententiae adducebat Curia caput 5. *De rerum permutatione*, in quo legitur: « Si Episcopus causam perspexit » necessariam, licite poterit de unc loco ad alium transferre » personas, ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant » utilius exercere. » Quo textu freti Doctores sentiunt, integrum esse Episcopo cogere Clericum ad permutandum cum alio beneficium, quatenus urgens causa publicae utilitatis id exigat, licet sine Beneficiati culpa id eveniat: ex. gr. si gravis exurgat aversio, et odium populi adversus Parochum, ita ut eius verba nullum amplius fructum afferant, populus divina contemnat, et scandala oriantur. Namque bonum publicum debet praeferri privato, ceu inter alios docet Reiffenst. *ad cit. tit. n.* 38 *et* 39. Nihilominus subiungebatur, mitius cum Parocho in praesenti casu actum fuisse. Additus enim eidem fuerat Cooperator dumtaxat iuxta monitum citat. Reiffenst. *ibidem n.* 40, et quidem ad tempus, permissa insuper inter Parochum et Cooperatorem alternativa in sacris explendis functionibus. Constitit enim ipsi soli animarum curam relinqui non posse, in quem scilicet gravis populi aversio concitata fuerat.

Circa sententiam autem Iudicis metropolitani eadem episcopalis Curia animadvertebat, dictam sententiam falso supposito laborare: namque in ea falso supponitur institutam fuisse inquisitionem, ut Parochus poena plecteretur culpae proportionata. Non aliud siquidem actum fuerat, quam ut decerneretur, quo remedio, rebus in ea parochia funesto dissidio conturbatis, per modum provisionis administrativae occurendum esset. In eadem insuper sententia falso supponi dicebatur ad eiusmodi provisionem deveniri ex iure non posse, nisi antea constaret solius Parochi culpa, ea contigisse mala, quibus remedium erat afferendum: quod non convenit cum iis, quae ad consulendum ecclesiasticae administrationi cauta in iure sunt. Quin imo Innocentius III *cap.* 10 *de Renunt.* ait: « Propter malitiam autem » plebis cogitur interdum Praelatus ab ipsius regimine declinare, » quando plebs adeo durae cervicis existit, et in rebellione sua » ita pertinax invenitur, ut proficere nequeat apud ipsum, sed » propter eius duritiem, quo magis satagit, eo magis iusto iu- » dicio deficere permittatur. ». Haec quidem sancita extant circa

Parochum omnino insontem, quae maiorem vim habere dicenda sunt, si Parochus in pertinaci odio plebis omnino insons non reperiatur. Plures autem culpas recognovit ac enumerat ipse metropolitanus Iudex, quamvis caeteras nimia facilitate excusare visus fuerit.

Ad defectus quod attinet in peracto summario processu inventos observabatur iuxta Reiffenstuel *l.* 5 *tit.* 1 §. 4 *n.* 209, Engel *ius can. eodem. loc.* publicationem testium reo fieri non debere si ipsis exinde grave immineret periculum vel incommodum; quod insuper ex praxi eiusdem dioecesis servari solere dicebatur.

Caeterum si omissiones quae processus substantiam tangerent, irrespissent, non ideo absolvi reus, sed processus suppleri debuisset, ne culpa iudicis in detrimentum christianae reipublicae cederet.

Gradum praeterea faciens episcopalis Curia ad defensionem alterius sententiae qua decreta est, per modum provisionis, beneficii parochialis permutatio, ea innitebatur pariter causis dissidii et aversionis in dies auctis ob eiusdem Parochi arrogantiam.

Quibus *ex officio* nonnullae Resolutiones S. C. C. addebantur, quae similes causas respiciebant, et sunt sequentes. In *Taurinen. Suspensionis die* 7 *Iulii* 1855 Archiepiscopus curae animarum exercitium interdixerat cuidam Parocho, quod prudentiae legibus et animarum solicitudine neglectis, ac spretis monitionibus, adeo difficili suo ingenio indulgeret, ut subditorum existimationem ac fidem omnino amisisset. Facultate proinde usus fuerat Archiepiscopus, quam facit Concilium Tridentinum Ordinariis *in sess.* 21 *c.* 6 *de Refor.* ut scilicet possint Parochis imperitis et sacris officiis minus aptis, si alias honestae vitae sint, coadiutores, seu vicarios ad tempus deputare. Et licet ex adverso plures obiicerentur defectus ob non servatum iudicialem ordinem, ob omissam trinam canonicam monitionem, et citationes, ac licet imputationum vel veritas vel gravitas in discrimen revocaretur, attamen ad dubium: « An decretum Curiae archiepiscopalis sit con- » firmandum vel infirmandum in casu: » responsum prodiit, quo archiepiscopalis sententia confirmata est hisce verbis: *affirmative ad primam partem; negative ad secundam; et quoad redintegrationem dilata, usquedum Orator doceat de peritia et idoneitate administrandi paroeciam.*

Pariter in *Eystetten. Permutationis Parochiae* 21 *Iulii*, 11 *Augusti, et* 22 *Septembris* 1742, cum plures adversus Parochum cuiusdam loci delatae essent ad Curiam episcopalem querelae, non solum ob inhonestam eius vitam, verum etiam ob neglectum pastoris officium, in ministrandis Sacramentis, visitandis aegrotis etc. et de nimia quadam saevitia in pueris castigandis, aliisque huiusmodi, unde omnium animi ita exacerbati erant, ut ab eo Sacramenta recipere, divinisque rebus interesse recusarent; Episcopus prius Coadiutorem ei deputavit; deinde cum huiusmodi provisionem inutilem evasisse intelligeret, ad avertenda mala, quae ex odio, et simultatibus adversus Parochum concitatis, graviora in dies effici videbantur, decrevit, ut intra quadrimestre tempus de permutanda paroecia Parochus ipse sibi consuleret, ne permutatio fieret ex officio.

Deveniente causa per appellationem ad S. C. C., Procurator fiscalis instabat, ut confirmaretur sententia, inter alia rationum momenta, haec perpendenda proponens, quod scilicet ex peculiari more cum Eystettensis dioecesis, tum aliarum Germaniae partium integrum semper Episcopis fuerit, Rectores parochialium ecclesiarum, iusta aliqua suadente causa, ab uno loco amovere, atque ad alium transferre, eosque ad Beneficii permutationem etiam invitos cogere: quod per faciliorem remotionem non bene moratorum Parochorum, citius eliminabantur scandala, ac surripiebatur Heterodoxis obloquendi occasio de Religione catholica, quod non posset aeque obtineri, si mos iste hactenus servatus vellet in posterum interverti. Addebat insuper id ex iuris praescripto etiam fieri ut innocens Parochus cogi possit ad beneficium permutandum si aliter bono pacis et spirituali ovium suarum periculo consuli nequaquam possit, *ex Cap. Nisi cum pridem de renunc.*, Glossa *ibidem*, Innocent. in *cap.* 8 *de elect. et in cap. Tua nos. n.* 5 *de Cleric. aegrot. num.* 5 Federic. de Sen. *de permut. benef. num.* 40 Paris. *de resign. l.* 5 *cap.* 3 *num.* 176, aliique.

Hinc proposito dubio: « an iudicatum Curiae episcopalis Ey- » stettensis sustineatur in casu. » S. C. 11 Augusti respondit – *affirmative* – et die 21 Septembris stetit *in decisis* addita clausula. – *ita tamen ut permutatio per Episcopum fiat cum beneficio redditus aequivalentis.*-

Altera demum consentanea Resolutio adducebatur, quae emissa est in causa *Limburgen. Permutationis Paroeciae* die 27 Iunii et 19 Decembris 1857 contra quemdam Parochum, qui primum ad permutandam paroeciam decreto episcopali cogebatur; deinde in contumacia eo permanente, amotus ab eadem, censuris multatus fuerat. Decretum autem illud causis gravis odii, et aversionis innitebatur, quae adversus eum excitata in populo fuerat ob acre eiusdem ingenium ac imprudentem agendi rationem, a qua licet monitus, nunquam destiterat. Plura utrinque disputata in ea causa fuerunt, tum circa formam processus, tum circa expositorum veritatem: attamen ad dubia: I. « An sustineatur Decretum amotionis latum a Curia epi- » scopali Limburgensi in casu. » II. « An sint infirmandae poe- » nae canonicae inflictae in casu. » responsum fuit: ad I *affirmative*. Ad II. *Scribatur Episcopo ut Sacerdotem* (N.) *a censuris absolvat ac rehabilitet, eumque provideat de alia paroecia seu beneficio redditus aequivalentis.*

Hisce itaque *ex officio* expositis perpendendum in praesenti nostro casu erat, num revera occurrerent eiusmodi rerum adiuncta, ut necesse omnino fuerit hisce extraordinariis uti remediis, quae ob bonum publicum ad maiora mala, et scandala praevertenda, iura permittunt. Quare propositum est

Dubium.

« An Sententiae Curiae episcopalis... sustineantur in casu. »

Responsio. Sacra Congregatio Concilii die 22 Decembris 1860 respondere censuit: *attentis peculiaribus circumstantiis esse locum permutationi cum altero beneficio redditus fere aequivalentis infra sex menses.*

Ex iis colliges:

I. Distingui debere paroeciae privationem quae habeat rationem poenae, a simplici oeconomica remotione, quae fit sive ad tempus, sive in perpetuum.

II. Paroeciae privationem fieri non posse, nisi constet de culpis omnino gravibus, quibus ex iure gravissima haec privationis poena infligitur, iudiciali ordine servato, qui in his causis praescribitur.

III. Oeconomicam autem remotionem ex duplici causa fieri, ex imperitia nempe et inidoneitate Parochi ad paroeciam uti par est regendam, vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus, Parochus paroeciae suae consulere amplius non possit.

IV. In praesenti autem casu locum habuisse oeconomicam hanc remotionem variis concurrentibus causis, inter quas ultima non erat ratio agendi Parochi, qui gravi sua negligentia plebis aversioni causam dederat, eamque sua arrogantia auxerat.

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE.

Die 23 *Augusti* 1864. *Sess.* 21 *c.* 4 *de Reform.*

Compendium facti. Territorium in duas paroecias divisum, distribuebatur ita, ut Parochiani numero circiter centum distarent duo passuum millia a propria parochiali ecclesia A., et e contra admodum propinquiores extabant alteri ecclesiae parochiali B., ita ut ratione loci, Parochiani illi viderentur potius ad alteram parochiam B., quam ad suam pertinere.

Ex hac nimiae distantiae causa, cui etiam aliae duae causae concurrebant, nimirum itineris difficultas ad ecclesiam A; et commoditas urbis in qua vicinior Paroecia B. reperiebatur, contingebat, ut Parochus A., dictos suos Parochianos vix videret in casibus baptismi et matrimonii, ita ut illi sine Pastore esse viderentur.

Haec insuper Parochianorum fractio intercipiebat parochiale territorium Parochi B., ita ut hic Parochus transire cogeretur per alienum territorium, in quorumdam cadaverum associatione.

Perpendens itaque Episcopus, hac irregulari territorii divisione, evenire ut Parochus suas oves agnoscere non posset, multoque minus eas instruere in iis quae ad fidem, aeternamque salutem

spectant (experientia enim noverat pueros in ea territorii parte extantes ignorare fidei rudimenta), arrepta occasione qua vacavit Paroecia A. in consilium devenit seiungendi dictam paroeciae partem a Parocho A., eamque adiungendi Parocho B., quam divisionem indoles ipsa loci exigere videbatur.

Quoniam autem hae paroeciae a Capitulo cathedrali pendebant, eidem consilium suum manifestare Episcopus non omisit, cui consilio adhaesit Capitulum, ita tamen ut ipse Episcopus curaret, ne pauperior hac dismembratione redderetur paroecia A., et e contra non sine congrua compensatione augerentur onera paroeciae B.

Hisce omnibus Episcopus prospiciens, decretum anno 1860 emisit, quo dicta dismembratio perfecta est. Post annum vero, ut petitioni Parochianorum eorumdem faceret satis, novo decreto, divisioni reddituum consuluit. Tribus elapsis circiter annis a priori decreto, querelae motae sunt adversus praefatam dismembratione a nonnullis, qui fabricae ecclesiae A. praeerant, quibus adhaesit Capitulum, quamvis hisce querelis refragaretur uterque dictarum paroeciarum Parochus. Quae in hisce quaerelis S. Congregationi C. expositis continebantur, quae sunt maioris momenti, cum caeteris *ex officio* de more disputatis, in sequenti disceptatione exponemus.

Disceptatio synoptica.

Quae adversus episcopi decretum disputarentur. — Generatim in primis observabatur, quamlibet beneficiorum dismembrationem speciem quamdam alienationis esse, quae regulariter a ss. Canonibus prohibetur: hanc autem locum habere in paroeciarum dismembratione, quae veterem ovilis societatem disrumpit, eiusdemque cum antiquo suo Pastore consuetudinem destruit, ac res iamdiu recte constitutas subvertit. Lotter. *De re benef. l.* 1 *quaest.* 28 *n.* 17. Hinc nonnisi concurrente iusta causa et deficientibus aliis mediis, quibus consuli possit animarum saluti, ad eiusmodi paroeciarum dismembrationem deveniendum est, ceu habetur in *Derthonen. Dismemb.* 5 *Aprilis* 1732: *Terracinen.* 17 Martii 1781: *Anconitana* 12 *Februarii* 1803. In praesenti autem casu deesse videbatur haec iusta causa; non

enim magna censenda erat distantia duorum nempe passuum millium, neque difficilis ad ecclesiam accessus: praesertim cum si eiusmodi incommoda extarent, perspecta esse debuissent Gregorio XIV. fe. re. qui eam paroeciam praedilexit, et largitionibus et insignibus memoriis auxerat. Transitus insuper Parochi B. per alienum territorium, nullam usque adhuc excitaverat querimoniam. Quare dismembrationis decretum nulli causae innixum videbatur quae dismembrationem legitimam redderet; causa siquidem iusta dici non potest maior vel minor commoditas Paroecianorum, alioquin quamplurimae paroeciae dividendae essent.

Quod si praefata distantia aliquod etiam incommodum afferret, ut Episcopus censebat, non illico extraordinarium remedium dismembrationis adhibendum erat, sed potius deputandus erat Capellanus, seu Vicarius iuxta praxim S. C. Concilii ut videre est in *Sedunen. Dismem.* 11 Iunii 1718, aliisque similibus causis. Et sane dismembratio reputatur remedium subsidiarium; locum proinde habere debet in defectu aliorum mediorum, S. Rota *decis.* 21 *n.* 10 coram Falconerio, et S. C. C. in *Cassanen. Dismembr.* 17 *Dec.* 1740, et in *Aquilana Dismemb.* 8 *Februarii* 1744.

Praeterea ad praecavendas fraudes iuxta ss. Canones quaedam requiruntur solemnitates; audiendus scilicet est ecclesiae Rector, vel eius Defensor, qui ab Episcopo deputari debet, si ecclesia viduata sit pastore; itemque audiendi sunt Parochiani, Patroni, aliique omnes quorum interest, ut eruitur *ex cap.* 1 *De rebus eccles. non alien. in* 6 *et cap.* 1 *Ne sed. vacan.* Barbosa *de offic. et potest. Episc. par.* 3 *alleg.* 67 *n.* 17 *et alleg.* 18 *n.* 4 Ferraris *v. Dismembratio.* Atqui subiungebatur, dismembratio ab Episcopo perfecta est, vacante Ecclesia A., quin tamen eiusdem tuendis iuribus fuerit constitutus Defensor; Capitulum vero, a quo dictae Paroeciae dependent, generice tantum Episcopo interpellanti assensum dedit, non autem specifice. Quare elapso nondum anno a primo episcopali decreto, ad querimonias Parochianorum super incommodis a dismembratione derivantibus, novo alio decreto Episcopus rem disponere debuit, de quo novo decreto cum ipso Episcopo conquestum erat Capitulum. Illi vero qui fabricae ecclesiae praeerant, quorum intererat dissociationem agnoscere, nullatenus admoniti fue-

runt, ideoque ob harum solemnitatum defectum videbatur dictum decretum esse rescindendum, Fagnanus in *cap. Ad Audientiam de Eccles. aedif. n.* 29.

Ea quae favore dicti decreti adducebantur. — Favore episcopalis decreti observabatur *ex officio,* a tribus annis illud consecutum iam esse effectum, et seram hanc reclamationem suspectam esse; namque originem ducere videbatur potius ex partium studio, quam ex aliqua iustitiae ratione: praesertim cum uterque Parochus nullimode decreto adversaretur; et ex parochianis tantum tres petierant prioris paroeciae redintegrationem.

Sed praeterea quaestione inspecta ad normam iuris animadvertebatur, causam legitimam ad paroeciam dividendam esse locorum distantiam sive difficultatem, qua non sine magno incommodo Parochiani accedere possunt ad suam ecclesiam, *Concil. Trid. sess.* 21 *c.* 4 *et cap. Ad audientiam de Eccles. aedif.* Quanta autem debeat esse eiusmodi distantia, seu paroeciae amplitudo, ad hoc, ut Parochiani dicantur non posse sine magno incommodo ad ecclesiam accedere, cum iure definitum non sit, iudicis arbitrio relinquitur, Fagnanus in *cap. Ad audientiam n.* 18, aliique. Iudex autem qui locorum, atque incolarum adiuncta adamussim aestimare valeat, est absque dubio Episcopus. Porro in praesenti casu praeter supradictam distantiam et difficile iter, experientia docebat eosdem parochianos raro admodum accedere ad suam ecclesiam, sed e contra propinquiorem urbem adire ibique sacramenta suscipere: hinc eveniebant supra indicata ab Episcopo incommoda, quae cessare inceperunt cum iidem Parochiani adscripti fuerunt ad ecclesiam parochialem B. Iusta ergo videbatur adesse causa, ut dismembratio decerneretur, prout decrevit S. C. C. in *Aquinaten. seu Sorana* 29 *Ianuarii* 1848, *et in Verulana* 10 *Maii* 1862. In quarum postrema Sacra Congregatio dismembrationem iuxta votum Episcopi perficiendam esse respondit, licet providentia Pii VI. s. m. Capellani residentiales in agro Verulano constituti essent, qui animarum curam sub respectivis Parochis exercebant.

Hisce aliisque adnotatis disquisitio fiebat circa solemnitates praemittendas, dicebatur scilicet, admissa legitimitate causae, etsi illi quorum interest dissentirent, spernendus esse dissensus utpote irrationabilis. Quare etsi neglecta solemnia fuissent,

cognita deinde legitima causa, convalidari ad summum debere decretum. Fagnanus *loc. cit. nn.* 30, 52; Ferraris *v. Dismembratio.* Verum subiungebatur in casu consultum fuisse capitulum, quod in genere suum dedit consensum, et in altero posteriori decreto super divisione reddituum, Capitulum ipsum adnotavit tantum ne illud in exemplum adduceretur contra sua iura. Decretum insuper dismembrationis novo Parocho A., fuit incunctanter notificatum. Parochiani autem grato animo decretum ipsum susceperunt. Porro incivile est contra propriam confessionem assurgere, et quod semel placuit, reprobari non potest. Hisce perpensis proponebatur

Dubium.

« An et quomodo sustineatur episcopale decretum dismembrationis diei 24 Octobris 1860 in casu. »

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii causa cognita die 23 Aprilis 1864 respondere censuit: *affirmative in omnibus.*

Ex dictis colliges:

I. Ut ad paroeciarum dismembrationem legitime deveniri possit, duo requiri, iustam nempe causam, et extrinsecas solemnitates.

II. Iustam autem causam censeri nimis difficilem accessum ad parochialem ecclesiam, sive ex magna distantia, sive ex gravis itineris difficultate.

III. In praesenti autem casu, attentis peculiaribus loci adiunctis, locum habuisse et dismembrationem, et unionem. Non enim opus erat ut nova constitueretur paroecia, neque ea erigi potuisset ex defectu loci, aliisque de causis.

IV. Neque defuisse extrinsecas solemnitates, quarum defectus si intervenerat, suppletus satis est per posteriorem consensum, qui plusquam sufficiens erat reputandus, existente legitima dismembrationis causa.

SPONSALIUM.

Die 8 *Iulii* 1865. *Sess.* 24 *c.* 1 *de Reform.*

Compendium facti. Caia novemdecim annos nata, episcopalem Curiam adiit postulans, ut status liberi testimonium denegaretur Titio, atque hic cogeretur ad fidem sponsalium implendam, prout ipsimet Caiae spoponderat, quam insuper armata manu sub eadem matrimonii fide stupraverat. Titius ob hanc rem a Vicario capitulari in Curiam vocatus, omnium quae adversus ipsum proferebantur fere inscium semet exhibuit. Processus itaque confectus est, et causa hac sententia favore Titii definita fuit: « Cum » non probentur sponsalia, neque per instrumentum, neque per » fidem Parochi, neque per testes, neque per signa certa, decer- » nimus, declaramus, edicimus nullum et irritum impedimentum » a (Caia) productum, et (Titium) ab impedimento solutum et li- » berum ad contrahendum cum alia muliere matrimonium. »

Caia huic sententiae non acquiescens, ad S. C. C. appellavit, et suis precibus addidit documentum cuiusdam publici Tabellionis, quo novem testes extraiudiciales declarabant: « se plene » noscere, Caiam dedisse suam fidem Titio, ut, nulla difficultate » obstante, matrimonium contraheretur: et praeterea quadam » die in vulgus prodiisse notitiam, qua ferebatur Caia fuisse » violenter et manu armata a Titio deflorata. »

Requisitis, itaque a S. C. C. et acceptis processualibus actis, causa iterum agitata est penes S. C. C.

Porro ex testium iudicialibus depositionibus satis constare in facto videbatur de perpetrato stupro; attamen de sponsalium fide, vage nimis testes loqui videbantur.

Disceptatio synoptica.

Defensio caiae. — *Ex officio* favore Caiae observabatur, sponsalium existentiam demonstrari posse eo modo quo demonstrari possunt huius generis facta, nimirum ex validis indiciis et coniecturis, quae si seorsim acceptae vim probandi non habeant, collective tamen consideratae, satis plenam exhibere possunt

probationem. Porro in casu pro sponsalibus militabat non solum publica fama, sed eadem sponsalia inita esse suadebat arcta familiaritas, quae inter Caiam et Titium intercedebat. Maxime cum ipsemet Titius a iudice interrogatus praefracte omnia negaverit, etiam ea, quae plenissime in facto probata erant; cui proinde negationi nulla fides erat praestanda. Quibus accedebat gravissimum praesumptionis argumentum, ob stuprum quod etiam violenter dicitur perpetratum, adiecta matrimonii promissione: in facto autem ambigi non poterat de honestis et laudabilibus Caiae moribus, proindeque locum habere videbatur sanctio canonica in *cap.* 1 *de Adult. et Stupr.* iuxta quam Titius cogendus erat ad Caiam dotandam, et sibi uxorem habendam.

Defensio titii.— Titius in Urbe sibi constituit Defensorem (1), qui vi argumentorum accurate ostendebat nullatenus in facto de sponsalium existentia constare. Praemissis enim firmis indubiisque principiis, ita disputabat: nimirum cum contractus sponsalium nativam hominis libertatem ita coarctet, ut ex sese inducat ad perpetuum matrimonii iugum subeundum, ad eorum existentiam ostendendam exigitur concludentissima probatio, ita « ut in quo» cumque etiam minimo dubietatis anfractu pro omnimoda ex» clusione sponsalium Iudex pronunciare debeat.» S. Romana Rota in *Ventimilien.* 8 *Febr.* 1705 *coram Borullo* §. 2.

Porro duo sunt sponsalium constitutiva elementa, scilicet libera promissio unius, et libera repromissio alterius futurarum nuptiarum, *L.* 1 *ff. de Spons. et cap.* 31 *de Spons. et Matr.*, quorum elementorum si alterutrum deficiat, sponsalitius contractus corruat necesse est. In facto autem ostendere accurate studuit Defensor neque de una, neque de altera promissione constare. Ac initio indicabat ea quae Vicarius capitularis ad S. C. C. scripserat, nimirum, tantam in sponsalitiis contractibus in ea dioecesi inductam fuisse perversitatem, ut necesse fuerit anno 1857 decernere: *sponsalia in posterum non recipi, nisi ex Parochi fide probarentur.* Attenta insuper Testium qualitate, (namque erant Testes infimae conditionis), eorum depositiones suspectas censeri aiebat. Gradum inde faciens Defensor ad eas depositiones expendendas cribratis verbis et sententiis eruebat constare forsan

(1) Causam viri defendit Franciscus Santi Advocatus.

de Titii proposito et desiderio conciliandi nuptias cum Caia; at compertum est, desiderium et propositum conciliandi nuptias non constituere sponsalium contractum. Quin imo totam vim testium in publica fama, et rumore consistere animadvertebat. Atqui iuxta Cuiac. *l.* 47 *de Testibus*, « De auditione testimonium » recipitur tamquam adminiculum alterius probationis, non tam» quam ipsum per se sit ratum, et legitimum testimonium. » Et ad *tit.* 20 *l.* 2. *Decretal.* » fama consentiens pro adminiculo » est, non pro certa, et firma probatione » Ergo etc.

Expendens insuper Defensor enarrationem ipsius Caiae in supplicibus precibus expositam, eam circa promissionem matrimonii, velut fabellam reiiciebat vel ut inefficacem ad constituendum sponsalium contractum. In precibus enim exponebatur sponsalitium negotium pertractatum fuisse noctu eo ipso tempore, quo Titius libidine abreptus, armis ad caedem paratus impudica desideria obfirmato animo explere enitebatur, cui Puella dixisse fertur velut iurisperita, *ego tibi repromitto,* eo tempore scilicet, quo Titius manu armata, minaciter aiebat Puellae: *aut voluntati meae obsequere, aut te profligatam in terra derelinquo. Tu es sponsa mea etc.*

Ad haec enim inter caetera animadvertebat Defensor, sponsalia non constitui nisi per liberam ac mutuam viri et mulieris promissionem in similitudinem formae matrimonialis contractus, *cap.* 31 *de Sponsal. et Matr.* et ad rem in praesenti casu adducebat auctoritatem Cosci, *de spons. fil. vot.* 7 *n.* 79 *et seq.* in quo ait: « si revera intercessisset talis promissio, et foemina affirmaret, » quod vir ad tales promissiones devenerit dum prae amore » aestuabat, eamque sollicitabat... tales promissiones tamquam » promanantes ab impetu et ardore libidinis, nullatenus aptae sunt » ad inducenda sponsalia, quia ob rationem, seu mentem obte» nebratam, neque consensus, neque voluntas praecisa, et deli» berata matrimonium contrahendi ex iis desumi potest. Immo » in hoc casu deflorata bene percipere poterat hasce promissio» nes ficto procedere ex animo ad ipsam alliciendam et sedu» cendam.» Ex qua auctoritate concludebat, promissionem hisce in adiunctis si quae fuit, insufficientem censeri, ad sponsalium contractum constituendum.

Hisce itaque adductis, cum quaelibet desit in praesenti casu efficax sponsalium promissio, ex sola defloratione perpetrata

induci non posse sponsalitiam obligationem inferebat, Reiffenst. *l. 4 tit. 1 n. 67.*

Nonnulla insuper innuebat Defensor, circa praefatam violentamque prout asserebatur deflorationem; scilicet si de ea constaret, tamen probanda esset aperta viri violentia, et mulieris adversa voluntas, si enim haec in facto comperta non erant, prout ipse Defensor contendebat, cum nulla illata demonstretur iniuria Caiae, ita eidem compensatio non erat rependenda. Caeterum in praesenti iudicio, quaestio non instituebatur de stupro et de damnis reparandis, sed tantum de sponsalium existentia. Nemo enim ignorat aliam esse actionem, quae ex sponsalibus oritur, et aliam quae oritur ex delicto. Primam actionem tribuit dispositio capitis 2 et 10 *de spons. et Matr.*, alteram autem tribuit dispositio capitis 1 et 2 *de adulter. et stupr.*, quae inter leges poenales in libro quinto Decretalium adnumerantur. Prior actio eo dirigitur ut sponsus vel sponsa a data sponsalium fide resiliens, ad matrimonium contrahendum compellatur: altera instituitur ad mulctandum poena stupri auctorem, et ad iniuriam, et illata damna reparanda. In praesenti autem iudicio actio dumtaxat ex contractu sponsalium derivans instituta erat.

Neque stuprum adduci poterat in praesenti casu tamquam signum ad probandam Caiae repromissionem. Tunc enim admittitur ut repromissionis signum ex parte honestae puellae, quando iam praecesserit matrimonii promissio ex parte viri, de qua viri promissionis existentia non constare Defensor contenderat. Maxime cum gravia concurrerent in facto iudicia, quae suadere videbantur, Caiam ad illud provocasse virum, praesertim per quamdam circumstantiam de qua mentionem facit Cosci *de sponsal. Fil. fam. vot. 7 n. 156.*

Reiiciebat denique Defensor adductos testes extraiudiciales auctoritate S. Rotae *decis. 211 coram Ratto*, in qua legitur: « testes, pendente lite, expiscati, et extraiudiciales nullo in numero habentur. » Praesertim cum nihil novi adducti testes deducerent.

Hisce summis labiis delibatis ex accurata defensione favore Titii, nolumus insuper praetermittere ea, quae *ex officio* animadvertebantur circa indicatam legem in ea dioecesi ab Episcopo emissam anno 1857, super ratione ineundi sponsalia. Die 27 Iunii

1863 altera quaestio agitata fuerat in eadem Curia super sponsalium existentia, ac pro nullitate sententia lata est, ex hac praesertim ratione, quia dicta sponsalia inita non erant coram Parocho, et testibus, iuxta dictam legem. Deveniente causa per appellationem ad S. C. C. sub dubio: « An sententia Curiae epi- » scopalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu. » Sacra Congregatio respondit: *non constare de sponsalibus: et ad mentem: mens est, ut moneatur Curia episcopalis de nullitate legis edictalis diei 4 Februarii* 1857 *super necessitate praesentiae Parochi et testium pro validitate sponsalium.* Quoniam autem etiam in actis praesentis causae fiebat mentio de ea edictali lege, haec *ex officio* observabantur, nimirum circa solemnitates et formam sponsalitii contractus a Concilio Tridentino nihil fuisse innovatum, nec ipsos locorum Ordinarios sub intuitu evitandi maiora scandala et damna subiicere posse sponsalia aliis peculiaribus solemnitatibus, quam iis quae ex iure communi dimanant, ceu S. C. C. declaravit. *die* 19 *Decembris* 1596 et *in Bracarea dubiorum* 26 *Ianuarii* 1715, Benedict. XIV. *Instit.* 46 *n.* 12.

Dubium.

« An sententia Curiae episcopalis... sit confirmanda, vel in- » firmanda in casu. »

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii causa cognita die 8 Iulii 1865 censuit respondendum: *non constare de sponsalibus: et ad mentem: mens est ut iterum moneatur Curia episcopalis de nullitate legis edictalis diei 4 Februarii* 1857.

Ex iis colliges:

I. Causam agitatam super sponsalium existentia non secumferre iudicium super damnis ex defloratione, si intervenerit, derivantibus reparandis, vel super delicto puniendo (1).

(1) Non recte quis ex praesenti resolutione deduceret virum ad nihilum teneri, quia nihil de damnis resarciendis S. Congregatio dixit. Haec enim quaestio non fiebat in praesenti iudicio; nullus enim hanc quaestionem movit. Integrum itaque erat Caiae a Curia petere prout, et quatenus de iure, damnorum refectionem. Vid. similem causam quam adduximus pag. 336 et seqq. et in nota 2, pag. 342.

II. Colliges insuper, non posse Episcopum legem edere, quae praescribat normam ineundi sponsalia a iure communi alienam.

III. Non enim potest Episcopus eam fidelium facultatem limitibus circumscribere, quam ius commune tuetur (1).

UNIONIS BENEFICIORUM PAROCHIALIUM.

Die 18 *Aprilis* 1863.

Summaria precum. Archipresbyter N. Parochus cuiusdam matricis ecclesiae S. Matthaeo Apostolo dicatae, supplici libello exposuit, penes suam paroeciam alteram esse nuncupatam S. *Mariae* cuius libera collatio praevio concursu iuxta Tridentinam formam spectat ad Episcopum. Haec vero paroecia S. Mariae ex causa Terraemotus disiuncta fuit ab ecclesia matrice S. Matthaei, quae separata manet in disrupto monte, et extra communem oppidanorum habitationem. A die 9 Septembris 1861 paroecia S. Mariae vacans reperitur, et licet Episcopus consueto indicto concursu curaverit ut novus eligeretur Parochus, optatum tamen

(1) Benedictus XIV. in opere *de synodo dioeces. l.* 12 *c.* 5 *n.* 1 haec scripsit: « In dioecesi Valentina saepissime eveniebat ab uno eodemque cum pluribus sponsalia contrahi; atque inde fiebat ut graves inter utriusque partis consanguineos orirentur discordiae, et frequenter in iudicio litigandum esset, quaenam sponsalia praevalerent, aliisque forent praeferenda. Ad prospiciendum dioecesis tranquillitati, et tot praecidenda litigia, rogatus fuit Archiepiscopus, ut in sua dioecesi, coacta synodo, statueret, nulla atque irrita in posterum futura sponsalia quae sine praesentia Parochi duorumque saltem testium contraherentur: sed prudens Archiepiscopus porrectis sibi precibus abnuit; tantam quippe potestatem sibi inesse non existimavit extendendi ad sponsalia decretum Tridentini *sess.* 24 *c.* 1 *de Reform. matrim.* quo irrita fiunt clandestina coniugia. Actum fuit de hac re in sacra Congregatione Concilii, quae Archiepiscopi sententiam approbavit, eiusque commendavit consilium: siquidem Tridentinum in citato decreto nihil innovavit circa sponsalia, eaque reliquit sub dispositione iuris communis, iuxta quod etiam remotis arbitris, valide contrahuntur. Congregationis responsum habetur *l.* 1. *Decret.* pag. 99 et pag. 196. Legi etiam potest *nostra Institutio* 46 ubi prolixe de hac materia disseruimus. »

effectum consecutus non est: cum duo qui pro experimento se exhibuerunt, inhabiles ad Parochi munus suscipiendum declarati fuerint. Caeterum nec probabilitas adest, ut aliquis de Clero ad vacantem paroeciam eligi cupiat, eo quod quatuor existentibus eo in oppido collegiatis ecclesiis, omnes ecclesiastici canonicatu gaudent, cuius redditus maiores illis sunt, quos paroecia S. Mariae deductis oneribus redderet. Cum ergo ecclesia S. Matthaei in summitate ardui montis extra oppidum sita sit, et ecclesia S. Mariae in medio maneat, in hac celebrantur solemniores functiones etc.

Hisce expositis praefatus Archipresbyter rogabat ut saltem sua vita durante eiusmodi paroeciae unirentur, servatis utriusque honoribus, et oneribus.

Eiusmodi preces remissae fuerunt ad Episcopum ut moris est, pro informatione et voto, et ut referret de annuo redditu, oneribus ac numero animarum utriusque paroeciae, comprehensis incertis utriusque stolae, et de vera necessitate, seu evidenti utilitate propositae unionis.

Episcopus his suis literis satisfaciens, preces Archipresbyteri veritati consonas esse praemonebat, eumdemque oratorem maxime commendabat, ac pauperrimos proventus earumdem paroeciarum describens, necessitatem et utilitatem petitae unionis indicavit. Maxime cum integer populus, qui constabat decem millibus parochianis, accedere potuisset ad audiendum Dei verbum in ecclesiae S. Mariae quae in medio oppidi posita erat.

Ea quae petitae unioni adversabantur. — Animadvertebatur *ex officio* in praesenti casu agi de unione eo modo facienda qui dici solet *aeque principaliter*, quique nihil aliud operatur, quam ut Rector unius sit Rector alterius, utroque interim beneficio in suo statu, et honore permanente, Barbosa *de offic. et pot. Epis. p.* 3 *alleg.* 66 *n.* 46. Verum paroeciarum uniones veluti odiosae in iure habentur: Concil. Trid. *sess.* 24 *c.* 13, maxime autem si sint temporaneae, et ad vitam postulantium, cum hoc secundo casu in utilitatem magis Beneficiatorum, quam ecclesiae cedere videantur. Quare non facile S. Congregatio eiusmodi uniones faciendas esse tradit in *Florentina Unionis* 18 *Martii* 1820, et in *Lancianen. Unionis* 11 *Iunii* 1865. « Quia iure optimo, distinctae fuerunt » dioeceses, et paroeciae, et unicuique gregi attributi pastores...

*

» qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesia-» sticus non confundatur.» Conc. Trid. *sess.* 14 *c.* 9.

Ea quae suffragabantur petitae unioni. — E contra observabatur parochialium ecclesiarum unionem iusta interveniente causa fieri posse iuxta textum in *cap. Exposuisti* 33 *de Praeben. cap. Dudum* 1 *de Reb. eccles. non alien. in* 6 nec non Concilium Trid. *sess.* 21 *c.* 5 *de Ref.* Barbosa *collect. Doct. in Conc. Trid. sess.* 7 *cap.* 6 *de Reform. n.* 11. et alii communiter.

Causa autem iusta est utilitas et necessitas ecclesiae *Cap. Exposuisti* 33 *de Praebendis.* Observabatur tamen in casu necessitatem ex clericorum defectu non haberi, cum non pauci essent clerici, qui eo in oppido ecclesiis collegiatis deserviebant, ex quibus Œconomus saltem pro vacante paroecia eligi ab Ordinario potuisset. At vero de necessitate quae ex proventuum tenuitate derivabat, dubitari non posse videbatur, cum ea de causa paroecia S. Mariae suo Rectore carebat, quin spes affulgeret eadem de causa inveniendi idoneum presbyterum, qui animarum curam suscipere in ea paroecia vellet.

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii die 18 Aprilis 1863 respondendum censuit: *negative et Episcopus curet aliis remediis augmentum congruae parochialis S. Mariae.*

Ex iis colliges:

I. In praesenti casu, non concurrisse legitimam causam uniendi paroecias; quin imo videbatur forsan causa adesse paroecias easdem dividendi, si unitae fuissent, attenta itineris arduitate.

II. Neque locum habuisse temporaneam unionem, quae in eo sita erat, ut duo beneficia darentur Parocho postulanti.

III. Etenim aliis omissis attenta populi multitudine augendi erant potius clerici, qui populo deservirent.

IV. His in adiunctis officium esse Episcopi reddituum augmentum curare ordinariis iuris remediis.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SUPER EXTINCTIONE DEBITI.

Die 28 *Aprilis* 1865.

Compendium facti. Capitulum 24 Canonicis circiter constans in Siciliae insula, ad instar iuris decimarum super quibusdam piscationibus praestationem quamdam singulis annis percipiebat. Cum autem anno 1825 eiusmodi canonicorum ius percipiendi hanc annuam praestationem controverteretur, Capitulum suam defensionem suscipiens, victoriam non sine gravibus dispendiis reportavit. Anno 1855 iterum in iudicium Capitulum vocatum fuit, ac disputatum est super gravitate huius annuae praestationis, et in hac nova palaestra, Capitulum victum mansit. Hinc expedire visa est quaedam transactio inter Capitulum et piscationum dictarum Dominum, et loco praestationis acceptos habuit Capitulum quosdam adsignatos redditus ex publico debito, et transactio coram Tabellione sine Apostolica auctoritate firmata est.

Expensae autem in harum litium agitatione pertigisse dicebantur ad summam ducatorum 1176. Existimans autem Capitulum eiusmodi litium sumptus solvi debere non solum a praesentibus Canonicis, sed etiam a futuris, quia sumptus impensi erant ad iura capitularia tuenda, in consilium devenit reiiciendi eiusmodi onus in capitularem massam eo modo quo sequitur. Quoniam quatuor ex Canonicis administrabant bona, quae ad duo loca pia pertinebant, ex huiusmodi bonis desumpserunt ducatos 1050 quibus constitutum est debitum fructiferum, persoluto scilicet duobus locis piis interusurio ducatorum sex in singula centena. Ducatos autem 126, qui supererant praesentes Canonici persolverunt. Eiusmodi porro acta, auctoritate propria gesta, et coram publico Tabellione firmata, approbata fuerunt a Vicario generali.

Cum autem haec omnia Archiepiscopo denunciata non fuissent, qui gravi morbo eo tempore laborabat, in cognitionem harum rerum deinde deveniens, eo modo quo convenit, officium suum implevit; patefecit nempe Capitulo quantum a recto ss. Canonum tramite in iis negotiis pertractandis deflexerit, ac remedia suggerebat.

Ne creemus humano Lectori fastidium omittimus factorum historiam, quae post haec evenerunt, rudemque modum quo Canonici se gesserunt. Quod autem praetermitti non potest illud est, quod scilicet Canonici causam suam deduxerunt coram civili magistratu pedemontano, ut approbationem obtinerent eorum, quae contra ss. Canonum sanctiones gesta erant. Deinde re delata ad S. C. Epis. et Reg. Canonici ad bonam frugem revertentes, quemdam proposuerunt modum extinguendi praefatum debitum depositis annuis ratis, praeter interusurium, ita ut intra spatium decem circiter annorum constitutum debitum extingueretur. Causa itaque sub infrascriptis dubiis S. C. Epis. et Reg. proposita est.

Disceptatio synoptica.

Prae caeteris *ex officio* animadvertebatur, quamvis Ecclesia pacis amantissima, nullimode a concordiis abhorreat, quin imo favore easdem quantum decet prosequatur, nihilominus transactiones super ecclesiarum iuribus sine interventu suae auctoritatis omnino prohiberi. *Extravac. Ambitiosae*, Petra in *Const. V. Pauli II. sect.* 4 *n.* 9 Rota *decis.* 316 *n.* 10 *part.* 10 *recen.* S. C. Conc. *in Viterbien. die* 19 *Septem.* 1767 §. 5 *et passim.* Praesertim cum Capituli iuribus subrogati erant quidam redditus debiti publici (1).

(1) Vide causam Affrancat. p. 537. Neque inopportunum erit heic referre paragraphum 12 *cap. VII. de pretii investimento*, quae legitur in perutili opusculo Aloisii Advocati Trombetta cui titulus *Praxeos regulae circa contractus rerum eccles. etc.* de quo locuti sumus in Appendice XVIII. In hac paragrapho, haec habentur: « Praeterea quaeri potest, an investiri valeat pecunia in emptione reddituum ab aerario publico constitutorum, ac in publicis mensis nummulariis, vel capsis publicis? Per se hoc non esset canonicum investimentum; nam nuper abunde satis ostendi, investimentum a SS. Canonibus approbatum, illud dumtaxat esse, quod fit in stabilibus tutis et fructiferis, iisque deficientibus, in censu. Hinc, ut inquit De-Rosa. « Reinvestitio » debet necessario fieri in bonis stabili- » bus, ut expresse dicitur in Brevi per » clausulam - *Aeque stabilium.* - Unde

Transactio ergo super ecclesiae capitularis iuribus suo robore destituta erat.

Nonnullis insuper animadversis circa Administratorum, et Capituli arbitrium in debito fructifero absque Apostolico beneplacito constituendo, animadvertebatur Canonicos non effugisse censuras a ss. Canonibus inflictas et nominatim a Constit. Martini V. et Innocentii VIII. De Nigris *de Vacat. Benef. cap.* 56 *n.* 1 *et seqq.* ob interpositum recursum ad laicam potestatem (1).

» cum mihi esset directum Breve pro » venditione certarum domorum Ecclesiae » Cathedralis Bisarciensis, praetendebant » Procuratores investire pretium in em- » ptione annuorum introituum; sed obsti- » ti acriter, et dicebam me non posse hoc » admittere; quia esset contra formam » Brevis continentis facultatem limita- » tam: contra me sentiebat quidem Epi- » scopus, sed re delata ad Urbem, pro » me responsum fuit.» *De Exequut. Liter. Apostolic. part.* 1 *cap.* 4 *num.* 353. At ad emptionem reddituum Aerarii publici huius almae Urbis quod attinet, in praesenti rerum statu, S. Congregatio, Summo Pontifice auctorante, permittere solet huiusmodi investimenta, dummodo fiant in *schedis debiti publici pontificii nominalibus,* exclusis schedis, ut aiunt - *al portatore,* - praevia speciali facultate ad id obtinenda. Quod vero spectat ad mensas nummularias, Aedes Sacras, et capsas publicas, praesertim ad Capsam parsimonialem, vulgo dictam *De' Risparmi,* generaliter haud consuevisse in eis Sacras Congregationes investimenta permittere dignovi; quia non est hoc canonicum investimentum, ceu ex superius dictis liquido patet. Praeterea Archiconfraternitas Peregrinorum et Convalescentium in Urbe cum quasdam dotales summas investire quotannis teneretur favore puellarum De-Siccis donec nuberent, se eximere ab onere praedicti annui investimenti cupiens, facultatem a S. Congregatione Concili expostulabat: « ut de- » poneret quotannis in sacro Pietatis Mon- » te in beneficium puellarum De-Siccis » annuam summam scut. 30 provenien- » tem ex dicto pio legato cum onere » investimenti: vel exequendi idem de- » positum in Capsa Parsimoniali ex qua » fructus annuus percipitur scut. 4 in » singula centena, ita ut in utroque casu » eadem Confraternitas eximatur a quali- » bet praetensa obligatione exequendi suo » nomine annuum investimentum.» Hinc proposito dubio: « An, et quomodo annuendum sit precibus Venerabilis Archiconfraternitatis in casu.» Eadem S. Congregatio in generalibus Comitiis diei 8 Iulii 1854 respondit: «*Negative in omnibus etc.*» Illud vero peculiari animadversione dignum occurrit, quod in Capsa parsimoniali, *De' Risparmi,* nec deposita pro summis in stabilibus investiendis fieri permittuntur; quia cum ea peragenda sint ex Sacrarum Congregationum mandato dumtaxat in Aede Sacra, vel Capsa publica cum investimenti vinculo, memorata Capsa Parsimonialis vinculum minime praestare solet favore Locorum piorum; ut adeo deposita facillime distrahi possint ac deperire, quin investistimentum perficiatur; ceu non raro ex reclamationibus accidisse deprehendi, bene tamen ea fieri possunt in Aede Sacra Montis Pietatis; quia vinculum praestat investimenti, nec deposita restituit nisi parata illius extet occasio.»

(1) Vid. Appendicem XX.

Verum quoniam Canonici consuetudine Siciliae se tueri praesumerent, obiicentes Extravagantem *Ambitiosae* ea in insula vim non habere, ideoque opus non esse Apostolico Beneplacito in alienationis actis: observabatur de hac consuetudine nullimode constare, quin imo contrarium demonstrari posse. Facta autem hypothesi existentiae huius consuetudinis, ea potius corruptela, quam consuetudo appellari debuisset. Ea enim adversaretur dictae Constitutioni: *Ambitiosae,* quae hisce verbis sancitur: « Nulli » ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibi- » tionis et innovationis infringere, vel ei ausu temerario con- » traire. Si quis hoc attentare praesumpserit indignationem Omni- » potentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se » noverit incursurum. » Cui Constitutioni ab aliis Pontificibus innovatae, ac in vigore iugiter retentae, consuetudo adversari non potest, iuxta ea quae docet Petra in *const. V. Pauli II. sect. III. num.* 37 *et seq.*

Post haec tamen observare non praetermittebatur quod Canonici non liberationem a contracto debito solvendo postulabant, sed, ratis depositis singulis annis, tantum temporis dilationem, quae nullum praeiudicium afferebat sive massae capitulari, sive dictis locis piis, quibus interea interusurium solvebatur, usque ad debiti extinctionem. Hisce aliisque animadversis proponebantur

Dubia.

I. « An et quomodo consulendum sit dictis irregularitatibus » in casu.»

II. « An et quomodo supplicandum sit SS$\tilde{m}$o pro approbatione » propositi modi extinctionis debiti in casu.»

Resolutio. Sacra Congregatio Epis. et Reg. comitiis habitis die 28 Aprilis 1865 respondere censuit:

Ad I. *Supplicandum SS$\tilde{m}$o pro culpabilium absolutione a censuris, et pro dispensatione super irregularitate quovis modo contracta, recitatis semel septem psalmis poenitentialibus, nec non pro sanatione, et revalidatione transactionis diei* 15 *Novembris* 1860.

Ad II. *Affirmative pro sanatione impositionis praefati debiti, et pro approbatione praepositi modi extinctionis, ita tamen ut si actuales Capitulares integrum debitum non extinguant, teneantur eorum successores.*

Ex iis colliges:

I. Transactiones super ecclesiarum bonis seu iuribus inter actus alienationis recenseri. Intervenit enim aliqua iurium cessio. Proindeque easdem sine Apostolico Beneplacito vim non habere.

II. Capitulum non posse debitum constituere in gravamen capitularis mensae, quamvis id faciat ad redintegrandas graves litium expensas, quae actae sint ad iura capitularia tuenda. Huiusmodi enim inductum gravamen, species est alienationis, eget proinde requisitis solemnitatibus.

III. Maxime autem in praesenti casu in quo et alia circumstantia concurrebat reprobatione digna. Vis enim pecuniae proprio arbitrio desumpta est e locis piis, quae desumptio speciem quamdam usurpationis redolere in casu videbatur.

IV. Eiusmodi actis sine inteventu competentis auctoritatis gestis culmen impietatis adiectum fuisse per approbationem a laica potestate undequaque illegitima petitam. Proindeque Canonicos id scienter agentes, neque a censuris neque ab irregularitate exinde contracta fuisse immunes (1).

AFFRANCATIONIS.

Die 1 Septembris 1865.

Compendium facti. Pius homo quidam de ecclesiastico coetu in ultimo, quo decessit, elogio duos haeredes fiduciarios nominaverat, qui testatoris fiduciam explicantes inter alia legata pia, legatum ab eo relictum fuisse declaraverunt hisce nimirum verbis « *ab haeredibus persolvetur summa annua scutatorum viginti; quae summa erogari debebit in funus, quod in ecclesia collegiata N. N. celebrabitur, die recurrente anniversario obitus defuncti.* » Ecclesiae legatariae Capitulum et Ordinarius legatum

(1) Vid. Appendicem XX.

rite acceptum habuerunt; et in eius securitatem Canonici inscriptionem supra vinea quadam haereditaria capere non retardarunt.

Universum porro assem haereditarium constituebat isthaec una vinea, cuius dominium directum testator obtinebat cum canone a domino utili persolvendo scutatorum 34: 92 in singulos annos. In ea vinea domuncula aderat, quae ruinam proxime minitabatur; insuper dominus utilis contra dominum directum quaedam iura in eo fundo iactitabat, ad quae persequenda litem iudicialem instruere iam parabat. Ad haec itaque declinanda damna haeredes fiduciarii cum domino utili amice convenerunt, ut vineam illam huic liberam et immunem ab omni canone relinquerent sub hac conditione, quod dominus utilis tot schedulas publici debiti, quod vulgo penes nos audit *Consolidato*, quot reditui scutatorum quinquaginta in singulos annos responderent.

Utilissima conventio haec haereditati accidebat: nam praeterquam quod expensae pro domuncula reficienda, ac pro iudiciali iam parata lite necessariae evitabantur, canon scutatorum 34 et ob. 92 in redditum annuum convertebatur scutatorum quinquaginta. Quapropter cum ageretur de haereditate ad causam piam pertinente dominus utilis a S. C. Con. beneplacitum Apostolicum deprecatus est, ut conventionem inter partes constitutam auctoritate sua ratam habere dignaretur. Precibus annuit S. Congr. per Rescriptum diei 17 Iunii 1861, addita clausula «*si quae pia onera canoni, ut supra, affrancando infixa reperiantur, in et super novo investimento transferantur, ac translata esse intelligantur.*» Rescriptum rite secuta est executio ab Ordinarii decreto sancita, et dein solemnis instrumenti celebratio.

Non multo post haeredes fiduciarii iuxta obligationem, quam susceperant, a S. C. Episcoporum et Regularium supplices petiverunt, ut Capitulo ecclesiae legatariae schedulas debiti publici pro redditu scutatorum viginti tradere possent, ita ut, hac effecta probataque assignatione ac traditione, hypotecam in vinea inscriptam delere et liberam plane relinquere possent. Cum supplex libellus offerretur, tum sequenti tempore, penes S. Congr. Ep. et Reg. nullum omnino verbum ab oratoribus factum est de Rescripto, quod a S. C. Conc. impetraverant, ac tantummodo in medium prolatum est, cum in eo res erat, ut in plenis Comitiis S. C. Ep. et Reg. causa proponeretur. Quocirca haec S. C.

huic negotio pertractando manum apponere non dubitavit, licet fortasse iure praeventionis ad S. C. Conc. spectare dici posset. Itaque auditi sunt Ordinarius, qui per accidens unus erat ex duobus haeredibus fiduciariis: hic profecto una cum suo cohaerede preces excipiendas esse non solum assentiebatur, quin imo enixe contendebat. At vero Capitulum legatarium, quamvis inscriptionis hypothecariae deletioni absolute non abnueret, nihilominus schedularum pro redditu viginti scutatorum assignationi mordicus refragabatur, ac tot sibi dari schedulas propugnabat, quot conficiendo reali scutatorum 400 valori satis essent. Cardinalis Capituli legatarii Protector, adhibita quadam immutatione accidentali, in Capituli ipsius sententiam convenerat. Cum igitur huiusmodi Capituli propositio haeredibus fiduciariis minime arrideret, ad iudicium plenarii Auditorii S. C. Ep. et Reg. diei 1 Sept. 1865 res deducta est cum ea, quae suo loco legitur, dubii formula.

Disceptatio synoptica.

Quae rationum momenta afferrent oratores. — Haeredes fiduciarii statuebant in primis, sese inspecta utilitate ac bono haereditatis abstinere non potuisse, quominus vineam a canone liberarent per contractum, quem vocant *affrancationis*. Urgebat enim necessitas reficiendae domunculae, quae aderat in vinea iam iam collapsura; urgebat necessitas perferendi sumptus, qui in tuenda lite, quae parabatur, necessarii plane fuissent: at vero vires haereditariae huic impensarum moli sustinendae satis esse non potuissent. Ceteroquin liberatio vineae in domini utilis commoditatem, haereditatis conditione nedum non imminuisset, sed et multo meliorem effecisset: redditus enim qui quotannis percipiendus erat, non amplius scutatorum triginta quatuor, sed et quinquaginta summam attigisset; hinc est, quod S. C. Conc. facillimam sese praebuit, in beneplacito, quod ad rem petitum fuerat, confestim elargiendo. Qua posita necessitate, illud sequebatur, ut, si eidem submittere sese debuerant haeredes alienando vineam, eadem de causa fasces subiicere debeat ecclesia legataria, consensum deletionis hypothecae non denegando.

Addebant insuper eam fuisse mentem testatoris, ut Capitulo scutata viginti in singulos annos salva certaque forent. Simul

ac igitur haeredes redditui scutatorum viginti quotannis respondentes Capitulo legatario assignassent, atque tradidissent, omni obligatione per testatorem imposita exonerabantur, quin aliud ulterius ab haereditate exigere legatario liceret.

Denique iuxta commune axioma – *quod tibi non nocet alteri prodest, hoc faciendum est* – animadvertebant, nihil obesse Capitulo, si schedulas oblatas exciperet, scutata viginti ab aerario publico assequeretur: sive enim sortis, sive fructus securitas inspiceretur, nihil tutius ac solidius occurrisset, quippe nullum adest gubernium, cui maior debeatur fides, quam civilis Apostolicae Sedis principatus. Deinde quolibet expirante semestri dimidia fructuum debitorum pars absque ulla tergiversatione ab aerario solvitur, et a creditore percipitur.

Quid responderet Capitulum legatarium — Monebat ante omnia nullum sese verbum facere contra celebratum affrancationis contractum: hac enim in re suo ipsi haeredes fiduciarii iure usi fuerant, eoque magis quod beneplacitum Sanctae Sedis accesserat. Quin etiam tametsi stricto iure, quod ad hypotecariam inscriptionem attinet, eidem contractui oppositionem facere potuissent, ac possent, nihilominus non ea Capitulo mens erat, hanc ipsis ingerere difficultatem, hoc inextricabile facessere negotium. Id tantummodo pro eo, quo tenentur, officio tuendae causae piae, idest ecclesiae, sibi proponebant, ut nullum eidem detrimentum afferri paterentur; adeoque se insistere aiebant, ut alia aequipollenti ratione Ecclesiae indemnitati consuleretur.

Perperam vero (subiiciebat) haeredes inquiunt sese omni obligatione solutos, cum schedulas publici debiti pro redditu scutatorum viginti Capitulo legatario tradidissent: ita enim gerentes absque dubitatione minus persolverent, quam quod testator eisdem iniunxisset. Duplicem porro habet partem beneficium, quod in legato relinquendo testator ecclesiae attulit, unam explicitam, aliam implicitam. Explicite porro scutata viginti ecclesiae designaverat. Iamvero, si rei sustantia penitius inspiciatur, schedularum illarum traditio valorem quidem nominalem scutatorum viginti praeseferebat, minime vero realem: si enim haeredes eas schedulas venui exponerent, nemo profecto eas pro respondente summa scutatorum viginti redditus in pecunia numerata acceptavisset. Ut igitur ad aequalitatem res adduceretur, nihil aliud

in promptu erat, quam ut haeredes tot schedulas traderent, quot, habita ratione valoris realis, scutata quadraginta reipsa exaequarent.

Implicite vero testator hac ratione iuverat legatarium, ut ius percipiendi scutata viginti non alicui haereditatis parti, sed universo assi haereditario infigeret: hinc est, quod si pars haereditatis deficeret, ius exigendi scutata viginti perstabat in reliquis haereditatis partibus. At quando schedulas oblatas Canonici acceptassent, si forte quacunque demum de causa imminutionem aut iacturam totalem eae paterentur, iam actum esset de causae piae legato, quin ullum subesset imminutionis vel iacturae reparandae remedium. Neque diffiteri quisquam iure poterit, magnum huic difficultati momentum inesse, prouti fusius in appendice XXI. ad causam praesentem cernere erit. Merito igitur concludebat Capitulum, sese dixisse, quod haeredes per eam schedularum oblationem solvissent minus, quam a Testatore ipsis fuerat impositum.

Post haec per se evanescebat ultima exceptio ex superius allato iuris axiomate desumpta: si enim praestatio consensus pro delenda hypotheca haereditati proderat, legatario non solum oberat, sed et in discrimen rem suam coniiciebat, veluti ex his, quae posuimus, loculentissime colligitur.

Animadvertebat extremo loco Capitulum haud posse se schedulas recipere absque auctoritate S. C.; nam schedularum debiti publici acquisitio non est verum investimentum, ut quotidiana docet experientia, quae fert in huiusmodi casibus ut ab Apostolica Sede beneplacitum passim imploraretur. Quin imo cum agatur de legato missarum, neque census impositio, quae alioquin investimento in fundis stabilibus aequivalet, suffragatur, prouti plures S. C. Conc. apertissime declaravit, et expresse in *Burgi S. Dominici* 30 *Apr.* 1729 *ac Firmana Oner. Miss.* 23 *Iun.* 1764 *vid. etiam Ferrar. V. Missae Sacrificium* Art. 2 *n.* 24.

Post haec sequens proponebatur

Dubium.

« An et quomodo SSm̃o supplicandum sit pro gratia implo- » rata in casu. »

Resolutio. Emi Patres in plenario conventu S. Cong. Ep. et Reg. diei 1 Septembris 1865 rescripserunt: *affirmative pro annuo redditu scutatorum 25 in schedis debiti publici vulgo* – consolidato. –

Eiusdem causae continuatio. — Huiusmodi resolutio votis non respondit haeredum, qui confestim a S. C. deprecati sunt, et impetrarunt, ut causa novo examini iterum subiiceretur. In secunda causae propositione, sive quod in prima minus clare, quam debuerant, postulatum suum expressissent, sive quod diffiteri non possent Capituli difficultatem solido et inexpugnabili fundamento fulciri (quandoquidem acceptando schedulas debiti publici scutatorum viginti fructui respondentes capitulum iure excidebat persequendi alias triginta schedulas, quae cum praedictis viginti coniunctae id temporis totum assem haereditarium scutatorum quinquaginta redditus eiusdem debiti efformabant), iidem Oratores declaraverunt, sese in deferendis Sacro Ordini precibus nihil aliud voluisse, quam ut Capitulum ad excipiendas schedulas oblatas obligaretur, ac proinde ad consensum suum pro hypothecae deletione praebendum, quin tamen eidem ius auferretur, ut quoties viginti illae schedulae summam viginti scutatorum amplius non repraesentarent, aut quocunque demum casu in discrimen vocarentur, actionem suam contra alias triginta, quae supererant, schedulas, non secus ac in rescripto S. C. C. diei 17 Iunii 1861., de quo supra mentionem fecimus, experiri valide ac libere possent.

Qua semota difficultate, in generalibus comitiis diei 2 Martii currentis anni, proposito dubio: « an recedendum sit a resolu- » tione diei 1. Sept. 1865 in casu. »

Emi Patres rescripserunt:

Recedendum a decisis, et legatum esse praestandum in annuo reditu scutatorum viginti in tesseris debiti publici vulgo – Consolidato – *in favorem pii legati inscribendo, firmo remanente vinculo super residuo reditu scutatorum triginta, data facultate delendi hypothecariam inscriptionem.*

Ex his colliges:

I. Illud faciendum esse quod tibi non nocet, alteri prodest.

II. Haeredes non liberari solvendo minus, quam a testatore praescriptum est.

III. Census impositionem investimento ordinario aequiparari.

IV. Limitandum vero, si agatur de legato missarum, pro quo fundorum stabilium frugiferorum acquisitio requiritur.

V. Schedularum debiti publici acquisitionem investimento nunquam aequiparari.

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE.

Die 18 *Decembris* 1863, 3 *Iunii* 1864 *et* 5 *Iulii* 1865.

Compendium facti. In archidioecesi N., adest paroecia A., quae amplum possidet territorium, quamvis non multos parochianos. Antiquitus enim tercentos circiter parochianos numerabat, modo vero ultra quadringentos. Cum autem ab hac paroecia A, quatuordecim passuum millibus distaret pauperior paroecia B; Leo X. anno 1517 ob paroeciae paupertatem, has duas paroecias univit, et uni eidemque Parocho regendas tradidit. Quamvis ex deperdito documento leges huius unionis ignorentur, tamen in facto constabat, in facultate Parochi fuisse positum, in una vel in altera paroecia residere. Verum decursu temporis consuetudo invaluit, ut Parochus suam residentiam constituerit in paroeciae A., prospiciens paroeciae B. per capellanum curatum, adsignatis canonice redditibus pro honesta eiusdem sustentatione.

Cum autem modo sufficientes redditus suppeterent Paroeciae B., quibus Parochi sustentationi prospici posset, populus huius paroeciae ab Archiepiscopo petiit ut sibi, paroecia disiuncta, proprius daretur Parochus; et res eo tandem devenit ut vacante paroecia B., populus recipere noluerit novum Capellanum.

Devenientibus precibus ad S. C. Ep. et Reg., S. Congregatio de more remisit preces ad Archiepiscopum *pro informatione, et voto, auditis interesse habentibus,* qui rescripsit se audivisse Parochum earum paroeciarum, et Patronos, (namque paroeciae subiectae erant iuripatronatus cuiusdam nobilis familiae). Parochus autem, et Patroni, quamvis refragarentur paroeciae dismembra-

tioni, conveniebant tamen in constitutione Vicarii perpetui, a Parocho nominandi, assignatis iisdem redditibus quos percipiebat Capellanus, ita tamen ut quaedam horum reddituum pars statueretur pro manutentione ecclesiae, et nonnulla honoris iura reservarentur favore Parochi ecclesiae A., super nova Vicaria.

Archiepiscopus autem mentem suam aperiens existimabat, 1. ratione distantiae et pro bono pacis opportunam esse spiritualem paroeciarum divisionem. 2. Paroeciam B., cum semper fuerit parochialis, novum Parochum habere debere titulum, et praerogativas Parochi. 3. Reservandum esse iuspatronatus favore Parochi paroeciae A., super ecclesia paroeciae B., caeteris exclusis honoris iuribus, ut dissidia in posterum evitarentur. 4. Nihil esse innovandum super redditibus, quos Archiepiscopus putabat sufficientes, tum pro ecclesiae B. manutentione, tum pro parochialis praebendae erectione.

Omittimus iuris principia quae eiusmodi Archiepiscopi opinionem satis conformem iuri esse demonstrabant, post ea quae adduximus in causa superius allata pag. 520.

Proposita itaque fuerunt S. C. Ep. et Reg. sequentia

Dubia.

I. « An et quomodo annuendum sit precibus, sive pro abso» luta dismembratione, sive pro constitutione Vicarii perpetui in » casu. »

« Et quatenus affirmative sive ad primam vel secundam partem.»

II. « Quinam redditus statui debeant pro Congrua novi Recto» ris, pro ecclesiae manutentione, aliisque expensis in casu.»

Resolutio.— S. Congregatio causa cognita die 18 Decemb. 1863 votum Archiepiscopi confirmavit, ita tamen ut non fieret absoluta dismembratio, sed Vicarius perpetuus statueretur, respondendo:

Ad I. *negative ad primam partem, affirmative ad secundam iuxta votum Archiepiscopi.*

Ad II. *affirmative in omnibus iuxta votum Archiepiscopi.*

Causae prosecutio.— Populus paroeciae B. sese gravatum existimans per eiusmodi Resolutionem, iterum novam audientiam postulavit, enarrans Paroeciam B. nunquam fuisse Vicariam, sed veram parochiam: hanc Vicariam causam esse dissidiorum ob pecu-

liares quas indicabat circumstantias. Postulabat praeterea aequalem reddituum divisionem inter utramque paroeciam, et ita ut Congrua in bonis stabilibus constitueretur nonnullis rationum momentis adiectis.

Parochus autem paroeciae A., in suis literis ad S. C. inter alia exponebat ad se suosque successores pertinere debere Vicarii nominationem quo iure privandus non erat: congruam Vicario adsignatam, si sufficiens non reperiatur, eam populum supplere debere, praesertim cum sufficeret pro congrua Vicarii summa scut. 50 monetae romanae iuxta Const. S. Pii V. *Ad Exequendum* et Const. Innocentii XIII. *Apostolici ministerii diei* 23 *Maii* 1723. Giraldi *Ius Pont. p.* 2 *sect.* 2.

Itaque iterum proposita causa est S. C. sub consuetis dubitandi formulis: I. « An et quomodo recedendum sit a Resolutione capta » in primo dubio in casu.» II. « An et quomodo recedendum sit » a Resolutione capta in secundo dubio in casu.» Quibus die 3 Iunii S. Congregatio respondit: ad I. et II. *dilata, et audiatur Archiepiscopus super noviter deductis, et ad mentem* (1).

Quare auditus fuit Archiepiscopus, qui etiam suam sententiam patefecit. Cum autem per Vicariam perpetuam prospectum esset tum unioni paroeciarum, quae a Leone X. facta erat, tum etiam Vicarii independentiae; excepta enim nominatione nullum aliud ius vindicare sibi poterat Parochus A., neque querelae adductae a populo super Vicarii congrua rationabiles videbantur, S. Congregatio die 5 Iulii 1865 respondere censuit: ad I. et II. *in decisis.*

Ex iis colliges:

I. Non esse deveniendum ad paroeciarum divisionem, nisi, cognita legitima causa, omnes interesse habentes fuerint auditi.

II. Eorumdem tamen querelas posthabendas esse, si minus rationabiles repertae fuerint.

(1) Mens S. Congregationis fuit ut Archiepiscopus referret nominatim super difficultatibus exortis circa nominationem et Congruam, suumque votum adiungeret.

EX S. CONGREGTIONE SS. RITUUM.

ROMANA SEU MECHLINIEN.

CANONIZATIONIS

BEATI IOANNIS BERCHMANS

SCHOLASTICI E SOCIETATE IESU

Decretum. « Instante R. P. Iosepho Boero Sacerdote Professo Societatis Iesu, Postulatore Causae Beati Ioannis Berchmans praedicti, quum Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus De Reisach huius Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens proposuerit Dubium; *An sit signanda Commissio Reassumptionis causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative, sive signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 3 Martii 1866.»

« Quibus omnibus a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae Beati Ioannis Berchmans Confessoris. Die 8 iisdem mense et anno.»

Loco ✠ Signi

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

ROMANA.

Die 23 *Decembris* 1862.

« Quum Rubricae nec Missalis, nec Ritualis determinent numerum genuflexionum quae a Sacerdote fieri debent dum ad altare revertitur cum SSmo Sacramento post distributam Fidelibus sacram Communionem, alter ex Apostolicarum Coeremoniarum magistris, de sententia desuper requisitus, post accuratum examen censuit, regulam in casu desumendam a Rubricis determinantibus duplicem genuflexionem antequam Sacerdos Communionem ipsam administret, nimirum primam antequam extrahat a tabernaculo pyxidem, alteram vero post discoopertam super altare eamdem pixidem. Cum enim agatur de cultu debito SSmae Eucharistiae, congruum profecto est ut eodem prorsus modo iste cultus praestetur a Sacerdote ad altare redeunte, nimirum genuflectendo primo antequam pyxidem cooperiat, et iterum postquam illam in tabernaculo recondidit, antequam tabernaculi ostiolum claudat. Hanc porro sententiam cum infrascriptus ss. Rituum Congregationis Secretarius retulerit in Ordinario coetu ss. Rituum subsignata die ad Vaticanum coadunata; Emi et Revmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt – *Placere seu, iuxta votum Magistri coeremoniarum* – ac proinde decreverunt a Sacerdote redeunte ad altare post Fidelium Communionem genuflectendum, antequam cooperiat sacram pyxidem et iterum genuflectendum antequam pyxide in tabernaculo reposita, ipsius tabernaculi ostiolum claudat. Atque ita ubique servandum mandarunt. Die 23 Decembris 1862.»

Votum Consultoris.

Inter nonnullos presbyteros in Urbem venientes ex omnibus Orbis partibus occasione solemnis Canonizationis Martyrum Iaponentium quaestiuncula orta fuerat circa genuflexionum numerum, quae a Sacerdote fieri debent, dum sacram pyxidem suis manibus gestans redit post fidelium communionem ad altare.

*

Quocirca auditus fuit SS. Coeremoniarum magister (1), qui sic breviter mentem suam aperuit.

Rubricae Missalis et Ritualis vix, vel ne vix quidem de hac re mentionem faciunt, quin imo verba prouti iacent rationem dubitandi suppeditant, haec enim in Missali leguntur, *cap. XI. n. 6, tit. Ritus celebrandi Missam:* « Si qui sunt communicandi » in Missa, Sacerdos post sumptionem sanguinis antequam se » purificet, facta genuflexione, ponat particulas consecratas in » pyxide, vel si pauci sint communicandi super patenam, nisi » a principio positae fuerint in pyxide, vel in alio calice. Inte- » rim minister..... facit confessionem dicens, *Confiteor Deo etc.* » Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus iunctis vertens » se ad populum in cornu evangelii, dicit *Misereatur*.... Postea » genuflectens accipit manu sinistra pyxidem etc. Omnibus com- » municatis revertitur ad altare nihil dicens: et non dat bene- » dictionem, quia illam daturus est in fine Missae. » In Rituali autem Romano in *tit. Ordo ministrandi sacram Communionem* habetur: « Sacerdos procedit ad altare.... facta prius et postea » genuflexione extrahit pyxidem, et illam super corporale depo- » sitam discooperit, *(prosequitur communionis ritus)*. Ubi vero » omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad altare dicere » poterit: *O sacrum convivium etc.* Antequam Sacramentum re- » ponat diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis ad- » haeserit etc. Postea genuflectens reponit in tabernaculo et » clave obserat. »

Rubricae itaque, prosequebatur Consultor, explicite non indicant genuflexiones a Sacerdote peragendas, dum ad altare revertitur post fidelium Communionem. Nihilominus extra dubium est, eas accurate praescribere genuflexiones dictae Communioni praemittendas, quarum prima locum habet statim ac apertum fuerit tabernaculum antequam s. pyxis extrahatur, altera vero antequam Sacerdos, eadem pyxide detecta, se ad populum convertat, ut dicat: *Misereatur vestri etc.*

Extra dubium pariter est genuflexiones indicatas dirigi ad cultum venerationemque debitam SS. Sacramento, et Rubricas armonice cohaerere, quando agitur, de una eademque actione.

(1) Cl. Consultor Pius Martinucci.

Quare si Rubricae vix vel ne vix quidem dicant super genuflexionibus Sacerdotis ad altare revertentis faciendis post fidelium Communionem, ratione habita analogiae earumdem Rubricarum, et cultus SS. Eucharistiae debiti, eaedem genuflexiones iterandae dicendae sunt, eadem ratione, qua Communioni fidelium praemissae fuerunt. Quare Sacerdos ad altare revertens, ac pyxidem super altare deponens genuflexionem peragere debet, eamdemque repetere recondita s. pyxide in tabernaculo priusquam eiusdem ostiolum claudat.

Idipsum praescribitur a scriptoribus veteribus et recentioribus, qui de sacris coeremoniis agunt, qui eo modo quo dictum est interpretati sunt Rubricas, ut videre est Merati in adnotationibus ad Gavantum, Cavalieri, Quarti, Le Brun, Tonelli, Laboranti, et inter recentissimos Rosmée, Herdt, Favrel, Montbache et Hoeflinger.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

ORDINIS CAPUCCINORUM.

Die 11 *Augusti* 1862, *et* 29 *Augusti* 1864.

Procurator Generalis Ordinis FF. Min. Capuccinorum comitiis habitis die 11 Augusti 1862, duo infrascripta dubia S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae enodanda supplicando proposuit:

I. « An ad lucrandas Indulgentias a SS. Pontificibus concessas, prout refert Ferraris *verb. Indulg. art.* 5 *n.* 10 *et* 11 iis » qui recitant Coronam septem Gaudiorum B. Mariae Virginis » ex 33 *Ave Maria* et 8 *Pater noster,* vel Coronam D. N. I. Chri-

» sti ex 33 *Pater noster,* et *Ave Maria,* necesse sit ut praedictae » Coronae modo in Ecclesia consueto benedicantur. »

« Et quatenus affirmative. »

II. « An omnes Sacerdotes Ordinis Fratrum Min. S. Franci- » sci facultatem habeant benedicendi praefatas Coronas, vel an » talis facultas solis eiusdem Ordinis Superioribus competat, eam- » que quibuscumque Sacerdotibus tribuere possint. »

Sacra Congregatio, duobus auditis Consultoribus, distulit die 11 Augusti 1862 Resolutionem, rescribens: *Dilata et scribant duo.* Itaque duo alii auditi fuerunt Consultores (1). Ex quatuor itaque votis, quae prae oculis habemus, sequens disceptatio concinnatur.

Disceptatio synoptica.

Quoniam in prima dubitandi formula supponitur genuinitas plenariae indulgentiae pro unaquaque ex duabus indicatis Coronis, quaeri initio debuerat, an de hac indulgentiae existentia in facto constaret.

Ea quae obstare videbantur genuinitati. — Neminem latet indulgentias omnes Regularibus concessas generaliter fuisse a Paulo V. an. 1606 revocatas, ac proinde etiam illas, quibus pro Fratribus Ord. Minorum ditata erat Corona septem Gaudiorum B. M. V., et altera D. N. I. Christi. Quamvis autem deinceps idem Pontifex nonnullas indulgentias ipsis Regularibus concessisset, eodem tempore contexuit quemdam earumdem catalogum, in quo nullimode indulgentiae pro praedictis coronis reperiuntur. Licet autem P. Ferraris in *Biblioth. Canon. loc. cit.,* aliique Auctores mentionem faciant cuiusdam novae concessionis eiusdem Pontificis sub die 8 Iunii 1608 ad instantiam P. Ludovici a S. Ioanne Commissarii ultramont. FF. de observantia; tamen huius novae concessionis nullum reperiri potuit authenticum documentum, quamvis in Archivio Brevium de hoc documento inquisitio facta fuerit.

Speciatim vero ad Coronam quod spectat D. N. I. Christi, nullus est Auctor, qui de ea mentionem faciat. Neque existi-

(1) Alter Fr. Angelus Savini Procurator Generalis Carmel. Calceat. Alter P. Frigidiani De Luca Procurator Gen Ordinis Minorum.

metur hoc esse argumentum mere negativum quod vim probandi non habeat: etenim aequivalet argumento positivo, si consideretur, quod Laurentius a Portellis theologus Franciscalis in suo opere edito 1634 cui Titulus: *Dubia Regularia,* de indulgentiis sui Ordinis loquens, nihil de hac indulgentia dicit. Nihil pariter refert Fr. Angelus a Lantusca in suo *Theatro Regularium,* in quo summarium indulgentiarum suis confratribus exhibere studuit. Futilis autem est ratio qua nonnulli contendunt eam indulgentiam non fuisse revocatam, quia directe pro animabus Purgatorii fuerat concessa. Auctores insuper qui a Ferraris citantur, non de hac secunda indulgentia, sed de priori mentionem facere videntur. Haec insuper indulgentia non est confundenda cum ea eiusdem nominis, qua gaudent Monachi et Eremitae Camaldulenses, ut apparet ex Clementis V. Const. *De salutis gregis* 20 *Iul.* 1674.

Ea quae militarent pro affirmativa responsione primi dubii, quatenus de indulgentiae authenticitate constaret. — Supposita insuper utriusque indulgentiae existentia, quoniam tenor concessionis ex deficientia authentici documenti ignorabatur, coniici forsan poterat necessitas benedicendi Coronas ex similibus exemplis. Siquidem Benedictus XIII in Const. *SSmus die* 13 *Aprilis* 1726 ad lucrandas indulgentias SSmi Rosarii praescripsit, ut Rosarium ipsum sit *de more benedictum a Fratribus Ordinis Praedicatorum.* Item in Const. *Redemptoris die* 26 *Septembris* 1724 pro lucrandis indulgentiis Coronae septem dolorum B. M. V. statuit: *volumus autem quod Superiores Conventuum; seu Religiosi praedicti Ordinis, qui ab illis ad id specialiter deputati fuerint, Coronas huiusmodi benedicendi facultatem habeant.*

Pariter Clemens *XI.* in Const. *De salute gregis die* 22 *Septemb.* 1714, pro Corona S. Birgittae haec edixit: *praeterea declaramus quod superiores dumtaxat monasteriorum, seu Religiosi praedicti Ordinis, qui ab illis etc. benedicendi facultatem habeant.* Hisce autem exemplis inspectis vel coniici poterat necessitas Coronis benedicendi de quibus quaeritur, aut saltem ulterior inquisitio facienda erat de veteri aliquo documento vel consuetudine legitima, qua haec benedictio necessaria non esse domonstraretur, ut alterum propositum dubium penitus dilueretur.

Ea quae militabant pro authenticitate indulgentiae coronae septem gaudiorum. — Verum adversus rationum momenta hacte-

nus allata, alia multo validiora adducebuntur. Contendebatur enim non posse dubitari de nova concessione saltem indulgentiae pro corona septem Gaudiorum B. M. V. Plures enim sunt veteres Auctores qui eam commemorant. Imo Laurentius a Portellis *loco cit.* enarrat pag. 262, se vidisse literas testimoniales impressas, in quibus non obstante generali revocatione, Paulus V. hanc indulgentiam denuo concesserat. Idem enarrat Angelus a Lantusca *loc. cit.*, qui insuper addit se vidisse folium impressum anno 1609 in typographia camerali; et hanc concessionem fuisse renovatam per vivae vocis oraculum. Item Petrus Passerini *Tract. de Indulgentiis q.* 108 *n.* 884.

Quibus adiici debent duo S. C. I. documenta quae eamdem attestationem corroborant. Die nempe 20 Iulii 1841 probatum fuit summarium iudulgentiarum Ordinis Seraphici ad petitionem Monialium S. Silvestri in Capite, in quo de hac indulgentia dictam Coronam recitantibus mentio habetur. Similia leguntur in elencho indulgentiarum Confraternitatis *dei Sacconi Rossi,* qui die 8 Februarii 1854 approbari meritus est. *Prinzivalli Collect.*

Quod si quaereretur adhuc auctoritatis pondus, adducebantur literae in forma Brevis Innocentii XI. datis die 16 Maii 1688 incipientibus *Exponi nobis,* ubi post enumeratas nonnullas Praedecessorum suorum Literas in favorem Confratrum Chordae S. Francisci, et Fratrum tertii Ordinis de Poenitentia ita Pontifex prosequitur: « *quibus inter alia... conceduntur diversa privilegia.... et indulgentiae, illae praecipue pro recitatione Coronae B. M. V. a dicto Paulo V.* 8 *Iunii* 1608... *etiam a Nobis praeviis supradictis literis, sub dictis diebus* 28 *Iunii et* 5 *Septembris impertitae et innovatae.* »

Porro documentum afferebatur ex quo constabat, quid Paulus V. 8 Iunii an. 1608 concesserit. Etenim in *tom. II. pag.* 98 *Regesti Ultramontanae curiae Minorum Obs.* qui in Aracoelit. conventu asservatur, legitur quod Don Gastonius de Moncada Marchio de Aytoma fidem faciebat, Paulum V. die 8 Iunii 1608 concessisse indulgentiam plenariam dictis fratribus dicentibus coronam S. M. V. ex 72 *Ave* et 7 *Pater,* addendo unum *Pater,* et unam *Ave* pro sua Beatitudine.

Quid ad excludendam necessitatem benedicendi dictae coronae adduceretur. — Demonstrata existentia indulgentiae pro Corona

septem Gaudiorum, gradus fiebat ad excludendam necessitatem illi benedicendi, atque contendebatur indulgentiam, de qua loquimur, esse tantum personalem, idest non adnexam coronae, sed recitationi precum ob quas Corona invecta est. Dicebatur enim Beatissimam Virginem non aliud cuidam Fratri Novitio cui apparuit commendasse, quam recitationem 70 Ave Maria cum 7 Pater, quibus melius quam floribus Coronam Virgini acceptissimam efformasset. Hinc ne verbum quidem de Corona ex granis confecta.

Quin imo Leo X. in Brevi: *Exponi nobis.* die 14 Septembris 1517 iisdem plane verbis meminit Coronarum tum septem gaudiorum B. M. V. tum Nominum Iesu, et Mariae. Iam vero sicut hae coronae in sola consistunt recitatione psalmorum quorumdam, ita et in solis praescriptis precibus Corona de qua loquimur consistit. Maxime cum de materiali Corona nullam mentionem faciant Leo X. Paulus V. et Innocentius XI. Neque mos ullus in Ordine seraphico habitus unquam est, benedicendi materialem, quae forte adhibetur, Coronam.

Ad repellendam difficultatem observabatur, Coronas quae Loca Sancta tetigerunt, quaeque Hierosolymitanae dicuntur, et quibus passim Fratres Minores pro recitatione Coronae septem Gaudiorum utuntur, indulgentias plurimas adnexas quidem habere, quae confundi non debent cum hac plenaria de qua loquimur; quae insuper distinguitur ab illis etiam ex eo, quod hanc lucrari possunt tantum membra franciscalium familiarum, dum e contra illas lucrari possunt singuli Fideles iuxta Const. Innocentii XI. *Unigeniti* die 28 Ianuarii 1688.

Nonnulla tantum adnotabantur de Corona D. N. I. C. quae ex 33 *Pater* totidemque *Ave* constat. Haec enim Corona vel spectat ad Ordinem Camaldulensium et tunc benedicenda est, ut constat ex opusculo Romae edito an. 1837 cui titulus *Raccolta d' Orazioni etc. con indulgenze:* vel potius ut ex Iulio II., et Leone X. colligitur, *apud Rodericum collect. Privileg., t.* 1 *pag.* 273 *n.* 14 *pag.* 291-92 eadem Corona Minorum Ordini adscribitur, cui restitutam esse post revocationem ostendit Ferraris *loc. cit.* et tum ob easdem supra dictas rationes non erit benedicenda.

In examen itaque revocata quaestione in comitiis habitis die 29 Aug. 1864, S. C. iussit reformanda esse dubia sequenti ratione:

I. « An Corona septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Sera- » phico ditata sit Indulgentia plenaria. »

II. « An ad effectum lucrandi dictam Indulgentiam necesse » sit ut praefatae Coronae benedicantur. »

Resolutio. — Quibus respondere eadem die S. C. censuit: ad I. *Affirmative*. Ad II. *Negative*.

Ex iis colliges:

I. S. Congregationem ex adductis constare censuisse de existentia Indulgentiae pro Corona septem Gaudiorum: e converso ex adductis non constare censuisse de renovata concessione Indulgentiae pro Corona D. N. I. C. quae propria franciscalis Ordinis sit.

II. Quare cum *de vera existentia* alicuius antiquae Indulgentiae quaeritur, non facile fides accommodanda est uni alterique scriptori, qui de ea mentionem faciat, nisi adducatur idonea demonstratio, quae dubitationem removeat.

GALLIARUM.

Die 29 *Februarii* 1864.

Nonnulli Vicarii Generales in Gallia humiliter Sacrae Congregationi Indulgentiarum exposuerunt dubium solvendum, ut infra.

« Constat ex pluribus recentioribus Decretis Sacrae Congregationis Indulgentiarum circa benedictionem Crucium, Coronarum, etc. cum applicatione indulgentiarum, quas Summus Pontifex impertiri solet, signanter ex Decretis die 11 Aprilis 1840, die 7 Ianuarii 1843 et 23 Ianuarii 1848, nec formulae alicuius recitationem, nec aspersionem cum aqua benedicta, nec alium ritum requiri praeter signum Crucis si in Indulto dicatur – *In forma Ecclesiae consueta,* – et ideo Sacerdotem a Summo Pontifice facultatem habentem Cruces, Coronas etc. solo signo Crucis benedicere iisque indulgentias applicare posse et valere.

« Cum vero Decreta supra citata specialiter de benedictionibus cum applicatione indulgentiarum apostolicarum loquantur, ideo dubitatur, num illae declarationes etiam comprehendant benedictionem cum applicatione indulgentiarum Rosarii S. Dominici et Coronae septem Dolorum B. M. V. quae impertiri solet a Patribus Ordinis Praedicatorum et Ordinis Servorum Mariae, ita ut Sacerdotes, qui vel immediate a Summo Pontifice vel a Superioribus generalibus praedictorum Ordinum ex auctoritate Apostolica ipsis facta, facultatem habent benedicendi Rosaria S. Dominici et Coronas septem Dolorum B. M. V., id solo signo Crucis perficere possint et valeant; an vero, pro valore actus, omnino adhibenda sit formula benedictionis simulque aspersio cum aqua benedicta.

« Etsi haec ultima opinio minus probabilis videatur, eo quod Decreta S. C. Indulgentiarum omnino generalia sint nec ullam distinctionem aut exceptionem faciant, tamen pro maiori securitate summopere desiderandum est, ut Sacra Congregatio Indulgentiarum illud dubium solvere dignetur, et in casu quo formula adhibenda sit, ab obligatione illam adhibendi dispensationem implorant cum pro utraque benedictione et indulgentiarum applicatione eaedem rationes militent. »

Votum Consultoris in compendium redactum.

Animadvertebat Consultor, quamvis optimum factu sit Ecclesiae ritus in benedictionibus servare, eiusque verba et formulas ab eadem Ecclesia institutas tenere, et res quibus tribuitur benedictio aqua lustrali conspergere, idque praesertim coram multitudine fidelium; nec temere sit a praxi laudabili Ecclesiae recedendum: attamen occurrere quandoque casus, in quibus Sacerdos facultatibus a Sede Apostolica, vel immediate, vel mediate ornatus, debeat Indulgentias impertiri Coronis sibi ad benedicendum oblatis, quin ad manus habeat formulam benedictionis. Hisce in casibus opinabatur Consultor valide et licite benedictionem a sacerdote solo signo Crucis tribui Coronis, nulla formula recitata. Ad validitatem enim actus sola benedictio sufficere videtur.

Maxime autem cum eiusmodi sententia conformis videretur aliis responsionibus a S. C. editis.

Vicarius enim generalis Episcopi Briocensis qui obtinuerat facultatem benedicendi Cruces, sacra Numismata, et Coronas precatorias cum applicatione Indulgentiarum (1), quatuor dubia S. C. I. proposuerat, quorum tria sunt sequentia: II. « Quando » in Indulto existit clausula – *in forma Ecclesiae consueta* – suffi- » citne signum Crucis manu efformare super res benedicendas » absque pronuntiatione verborum formulae benedictionis, et » sine aspersione aquae benedictae ? »

III. « Si necessaria est formula verborum, utrum sufficiat » quaecumque formula, modo ab Ordinario approbata; an neces- » sario adhibenda sit formula Ritualis Romani ? »

IV. « Quando in indulto facultatis non existit clausula – *in for-* » *ma Ecclesiae consueta* – sufficitne efformare manu signum Crucis » super obiecta benedicenda ? » Sacra Congregatio die 7 Ianuarii 1843, respondere censuit: ad II. *affirmative*. Ad III. et IV. *responsum in secundo*.

Eadem quaestio tribus ante annis proposita fuerat his verbis: « utrum ad Indulgentias applicandas Crucibus, Rosariis etc. » alius ritus sit necessarius praeterquam signum Crucis a Sa- » cerdote, qui hanc facultatem accepit, factum ? » Et S. C. die 11 Aprilis 1840 respondit: *negative*.

Eo vel magis videbantur eiusmodi Resolutiones extendi posse ad benedictionem cum applicatione indulgentiarum Rosarii S. Dominici, et Coronae septem Dolorum B. M. V., quae impertiri solet a Patribus Ordinis Praedicatorum et Ordinis Servorum Mariae, quia de re favorabili agitur, et e contra haec facultas Sacerdoti puta missionario tributa, frustranea in missionibus evaderet, ob carentiam libelli formulae benedictionis.

Resolutio. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, re discussa die 29 Februarii 1864, aliter iudicandum esse censuit, respondens: *pro Coronis Rosarii, et septem B. M. V. dolorum servandum formulam, cum Responsa S. Congregationis dierum* 11 *Aprilis* 1840, *et* 7 *Ianuarii* 1843 *non comprehendant casus, de quibus agitur in precibus. Quoad dispensationem non expedire.*

Ex iis colliges:

I. In Coronis aliisque pietatis obiectis benedicendis consuetam Ecclesiae formam substantialiter consistere in signo Crucis

(1) Vid. Appendicem XXII.

super iisdem efformando ab eo qui ad effectum indulgentiarum facultatem benedicendi habet.

II. Eamdem tamen consuetam benedicendi formam, ad illum effectum non sufficere, quando peculiaris forma est ex praescripto servanda.

III. Eamque formam servandam esse sive Sacerdos benedicendi facultatem obtineat a Romano Pontifice, sive ab eo qui benedicendi potestate ordinario veluti iure gaudet, quamvis de forma in benedictione sequenda, mentio non fiat.

IV. Legi enim praestitutae non censetur derogatum, nisi probetur. Et is qui succedit in ius alterius, eo iure, quo ille utitur, uti debet. *Reg. iuris* 46 *in* 6.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA.

Die 10 *Decembris* 1860.

« Sacra Poenitentiaria cum noverit plurimos animarum Pastores ob praesentes rerum vicissitudines non paucis urgeri anxietatibus multis in circumstantiis quomodo gregem sibi commissum consilio iuvare, vel quid ei praescribere, aut prohibere teneantur, opportunum censuit nonnulla Locorum Ordinariis communicare responsa, quae dubiis iamdiu expositis data ab ipsa S. Poenitentiaria fuerunt, ut unam eamdemque doctrinae regulam in docendo grege sibi commisso prae oculis habere possent, hisce praesertim temporibus, in quibus hostes infensissimi, filiique degeneres Ecclesiae Matri suae bellum movent amarissimum, et in agro Domini zizania superseminari omni studio conantur. Id vero ex parte iam praestitit S. Poenitentiaria per Litteras datas Locorum Ordinariis die 6 Octobris nuper elapsi, in quibus praeter facultates peculiares ad consulendum Christi-

fidelium necessitatibus concessas, plures etiam dubiorum resolutiones continebantur. Verum cum huiusmodi Litterae ad omnes Locorum Ordinarios, ad quos missae fuerunt, minime pervenerint, et plures interea supplices libelli S. Poenitentiariae porrecti fuerint, quibus vel super novis dubiis explanationes quaerebantur, vel circa nonnulla in iisdem Litteris disposita Apostolica venia postulabatur, hinc ipsa S. Poenitentiaria per praesentes Litteras eadem responsa, quorum aliqua, attentis peculiaribus circumstantiis, ex SSmi Domini Oraculo moderata, alia vero ampliata fuerunt, de novo transmittere, pluraque alia adiicere, quae subinde prodierunt, opportunum similiter iudicavit. Huiusmodi autem responsa sunt quae sequuntur.

Dubia et Responsa. (*)

1. An liceat hymnum *Te Deum* canere occasione proclamationis intrusi Gubernii, aut alio simili eventu (1).

R. Negative.

2. An in Missa aliisque sacris functionibus recitari possit Collecta *pro Rege* quando ab invasore Gubernio edicatur (2).

R. Negative.

3. An liceat cooperari functioni religiosae legibus Subalpinis expostulatae die anniversaria Statuti (3).

R. Negative.

(*) Non desunt nonnulli catholici scriptores, qui suis scriptis videntur deflectere a ratione cogitandi Apostolicae Sedis circa materiem de qua agitur in eiusmodi *dubiis et responsis;* ideoque utile esse duximus haec responsa ulterius evulgare quibus accurate perlectis, statim affulget, quaenam sit mens Sanctae Sedis, a qua deflectere sapienti viro nefas est. Maxime cum non desit unus vel alter scriptor, qui aliquid docuerit, quod hisce responsis directe opponitur, et cavillationibus conatus sit confirmare, quas suo loco exponere curabimus.

(1) In adnotationibus ponimus textum italicum, quem in latinum idioma vertimus iuxta ephemeridum nostrarum institutum. « Se sia lecito cantare il *Te* » *Deum* in occasione della proclamazione » dell' intruso Governo, o di altra ana- » loga circostanza. »

(2) « Se possa recitarsi nella Messa e » nelle altre sagre funzioni la Colletta » *pro Rege*, qualora venisse ingiunta dal » Governo invasore. »

(3) « Se sia lecito prender parte alla » funzione religiosa ordinata dalle leggi » subalpine nell' anniversario dello Sta- » tuto. »

4. An liceat propriam domum externis luminibus ornare occasione inaugurationis novi Gubernii, aut alio simili eventu; item an liceat uti insignibus novi Gubernii, cuiusmodi sunt *Coccarde*, vittae tricolores, et alia id genus (4).

R. Negative, dummodo non immineant gravia damna et absit scandalum.

5. An a Clero invitari possint gubernativae Auctoritates ad Ecclesiasticas functiones. Et si forte nec invitatae intersint, an Clerus possit iis honoris actus Coeremoniali praescriptos tribuere (5).

R. Negative: et quatenus non invitati interveniant, Clerus passive se habeat; hoc est abstineat ab actibus honorificis in Coeremoniali praescriptis.

6. An excipi in Ecclesia possint Magistratus Municipales, iisque tribui honoris actus ut supra (6).

R. Affirmative, dummodo tamen Magistratus non peregerint actus reprobatos per litteras Apostolicas diei 26 *Martii* 1860; *secus ut in praecedenti.*

7. An liceat Civicae aut Nationali militiae nomen dare, quae ab intruso Gubernio suae defensioni ac conservationi in Provinciis usurpatis est constituta (7).

R. Negative.

8. Quid de iis dicendum, qui inviti conscribuntur, et ad eamdem militiam ineundam adiguntur (8)?

R. Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno seu incommodo deserere nequeunt; dummodo tamen animo parati sint eam deserere quam primum poterunt, et interim

(4) «Se sia lecito illuminare la propria « abitazione in occasione dell' inaugura- » zione del nuovo Governo, o di altra » analoga circostanza, e parimenti se sia » lecito indossare segni del nuovo Gover- » no, come coccarde, fascie tricolori ec.»

(5) « Se possono invitarsi dal Clero » le Autorità Governative alle Funzioni » Ecclesiastiche. E qualora non invitate » intervenissero, se il Clero possa pre- » star loro gli atti di onore secondo il » Cerimoniale. »

(6) « Se possano riceversi in Chiesa i » Magistrati Municipali, e prestar loro gli » atti come sopra. »

(7) « Se sia lecito arruolarsi alla Guar- » dia Civica, o Nazionale; che dal Go- » verno intruso viene ordinata a suo so- » stegno nelle Provincie usurpate. »

(8) « Che debba dirsi intorno a que- » gl'individui, che contro loro volontà so- » no ascritti e vengono costretti a far par- » te della medesima Guardia.»

ab omnibus actibus hostilitatis in subditos et milites legitimi Principis, et ab actibus contra bona iura et Personas Ecclesiasticas.

9. An liceat Parochis elenchos dare a Gubernio intruso pro Militia Nationali, et militari delectu habendo in usurpatis Provinciis expostulatos (9).

R. Negative; et quatenus per vim libri auferantur, passive se habeant.

10. An liceat dare suffragia ad componenda Consilia, et Municipales Repraesentativas Personas; et an Electi possint officio fungi Consiliarii et Magistratus Municipalis (10).

R. Dummodo Municipales non adigantur ad ea, quae adversantur Legibus Divinis et Ecclesiasticis, et se abstineant a praestando iuramento iuxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari.

11. An liceat ad Magisteria concurrere, eaque suscipere oblata ab aliqua Communitate, vel etiam a Gubernio, si qui suscipiunt ab adhaesione abstineant Gubernio intruso exhibenda, et ab omni actu qui ad illud ratum habendum suapte natura dirigatur (11).

R. Affirmative, semoto scandalo, si adsit, et sub conditionibus in quaesito expositis; praesertim vero sub conditione, ut in dicendo sint omnino conformes Doctrinae Catholicae.

12. An iuxta Indultum iam a S. Poenitentiaria transmissum Administratoribus Locorum Piorum ab invasore Gubernio occupatorum possint ab Ordinariis habilitari non modo ad Administrationem prosequendam sed et ad suscipiendam, ii qui ab illegitima Auctoritate denuo eligerentur (12).

R. S. Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate omnibus et singulis Locorum Ordinariis, quorum Territoria

(9) « Se sia lecito ai Parochi dare gli » elenchi chiesti dal Governo intruso per » la Guardia Nazionale, e Leva militare » nelle Provincie usurpate.»

(10) « Se sia lecito prender parte alla » votazione per comporre i Consigli, e Rap- » presentanze Municipali, e se gli Eletti » possano ritenere l' ufficio di consigliere » e Magistrato Municipale.»

(11) « Se sia lecito concorrere ai Ma- » gisteri, ed accettarli quando alcuno vi » sia chiamato da qualche Comune, ed » anche dal Governo, sempre astenendosi » dal presentare adesione al Governo in- » truso, e dal fare qualunque atto, che » tenda a riconoscerlo.»

(12) « Se giusta l'Indultò già trasmesso » dalla S. Penitenzieria gli Amministra- » tori de' Luoghi Pii occupati dal Governo » invasore possano essere dagli Ordinari » abilitati non solo a continuare nell' Am- » ministrazione, ma ancora ad accettarla » coloro, che venissero eletti nuovamente » dalla illegittima Autorità.»

a Gubernio invasore occupata fuerunt, ad sex menses duraturam facultatem concedit, praefatis Personis, ut Officium Administratoris, dummodo exinde non requiratur adhaesio Gubernio invasori, aut iuramentum fidelitatis iuxta formam ab eodem Gubernio praepositam et ad effectum, et sub conditione curandi utilitatem Locorum Piorum, et abstinendi omnino ab alienatione bonorum, et cum dependentia ab Episcopo, seu ab Ordinario Loci, cui rationem reddere teneantur, retinere, et de novo assumere et exercere licite valeant Apostolica expressa auctoritate Indulgendi. Porro quisque curabit scandalum removere caute manifestando se id peragere de Licentia Apostolica. Episcopi vero et Ordinarii in Administratione Locorum Piorum passive se habeant, nullumque positivae conniventiae argumentum quoad Gubernium exhibeant, et eidem dumtaxat, si fuerint interrogati respondeant.

13. An retineri et suscipi possint sub intruso Gubernio officia (13).

R. Dummodo non agatur de Officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in eiusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis Legum Divinarum et Ecclesiasticarum posse tolerari; in praxi vero quilibet ex dictis Officialibus aut Personis Ditionis Pontificiae, qui paratus sit stare mandatis S. Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum seu Loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet iuxta mentem SSmi Domini.

14. An liceat iuramentum ab intruso Gubernio propositum hisce vel similibus verbis, quibus illimitata obedientia continetur: « Iuro fidelitatem et obedientiam Victorio Emmanueli Italiae regi, eiusque successoribus. Iuro me Statutum, omnemque aliam status legem pro inseparabili et regis et patriae Italiae bono observaturum (14).»

R. Iuramentum, prout exponitur non licere; tolerari autem posse iuramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae

(13) « Se possano ritenersi, ed assumersi gli impieghi sotto il Governo intruso. »

(14) « Se sia lecito il giuramento proposto dal Governo intruso nei seguenti termini, od altri consimili che comprendono una ubbidienza illimitata - Giuro fedeltà ed ubbidienza a Vittorio Emmanuele re d'Italia, e suoi successori. Giuro di osservare lo Statuto, ed ogni altra legge dello stato pel bene inseparabile del re, e della patria Italia.-»

Legibus Divinis, et Ecclesiasticis non adversantur iuxta formam a s. m. Pii VII. approbatam, et hisce verbis expressam, scilicet « Promitto et iuro me cuiuslibet generis coniurationi, sive conven- » tui, sive seditioni contra actuale Gubernium operam nunquam » daturum: itemque eidem me subiectum fore atque obtempe- » rantem in iis omnibus, quae nec Dei, nec Ecclesiae legibus » adversentur. »

15. Quomodo Ordinarii circa *Regium Placet* et *Exsequatur*, quod Gubernium sibi arrogat super Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis, se gerere debeant (15).

R. Non esse inquietandas privatas Personas, quae, ut se servent indemnes ad Gubernium pro Regio Placet, *seu* Exequatur *recurrunt; Verum Ordinarii hac in re, quantum poterunt, passive se habeant, et, si a Gubernio super huiusmodi petitionibus interrogati fuerint, iuxta leges iustitiae, et ad formam ss. Canonum sententiam suam patefaciant.*

16. An Ordinarii, Parochi, Beneficiarii, coeterique Bonorum Ecclesiasticorum administratores, si gravibus sub poenis expostulentur, reddituum respectivorum inventarium Gubernio tradere possint (16).

R. Permitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis actis a respectivis Administratoribus super necessitate traditionis ad evitanda maiora mala, et pro tuitione iurium Ecclesiae. Mens autem est SS̃mi Domini, ut Ordinarii ante vel post traditionem, si fieri possit, super praemissis collectivam faciant protestationem reverenter quidem, sed cum evangelica libertate.

17. Quomodo Ordinarii se gerere debeant circa quempiam Sacerdotem, qui cum in censuras inciderit, cum Ecclesia reconciliari negligat, nec decerni possit a Divinis suspensus absque gravium scandalorum ac malorum timore (17).

(15) « Come debbano gli Ordinari re- » golarsi intorno al Regio Placet ed Exe- » quatur, che il Governo pretende intorno » alle Bolle, Brevi, e Rescritti Ponti- » fici. »

(16) « Se gli Ordinari, i Parrochi, i » Beneficiati, ed altri Amministratori di » Beni Ecclesiastici, qualora sotto gravi » pene fossero richiesti, possano conse- » gnare al Governo l' inventario delle ri- » spettive rendite. »

(17) « Come debbano gli Ordinari re- » golarsi intorno a qualche sacerdote, il » quale caduto nelle censure non si cu- » rasse di essere riconciliato colla Chiesa, » nè potesse dichiararsi sospeso a Divinis » dall'Ordinario senza timore di gravi » scandali ed inconvenienti. »

R. Curandum pro viribus eiusdem Sacerdotis resipiscentiam, prout boni, ac prudentis Pastoris officium exposcit, et, si vocem Ordinarii non audierit, recurrendum esse ad S. Concilii Congregationem.

18. Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione Matrimoniorum illorum qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint (18).

Curandum pro viribus, ut Ecclesiasticis Censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur: at si reconciliari recusent, et nisi Matrimonium celebretur gravia inde damna imminere videantur. Parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso (Lib. 6 Tract. I. Cap. 2 n. 54) traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino iudicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione.

19. Item quomodo se gerere debeant Episcopi et Parochi, si qui ex supra dictis censura innodatis se sisteret ut sive in Sacramento Confirmationis, sive Baptismatis Patrinum agat (19).

R. Ut in praecedenti.

20. An possit SSm̃a Eucharistia notorie censura innodatis ministrari, quin prius fuerint, uti par est, cum Ecclesia reconciliati (20).

R. Negative.

21. Si quis ex iisdem censura ecclesiastica notorie innodatis obierit, et iuxta Sacros Canones, et normas hac super re a Doctoribus traditas, ecclesiastica sepultura carere omnino debeat, et contra pertinaciter gravibus minis expostulentur exequiae et ipsa ecclesiastica sepultura, quomodo in huiusmodi casu se gerere debeat Parochus (21).

(18) « Come debbano i Parrochi regolarsi nella celebrazione de' matrimoni di coloro, che notoriamente fossero incorsi nelle Censure Ecclesiastiche.»

(19) « Come parimenti debbano regolarsi i Vescovi, ed i Parrochi, se alcuno dei sopraddetti Censurati si presentasse a far da Patrino nel Sagramento della Cresima, o del Battesimo.»

(20) Se possa amministrarsi la SSm̃a Eucaristia ai notoriamente censurati senza essersi prima debitamente riconciliati colla Chiesa.»

(21) « Se venisse a morte alcuno deì menzionati incorsi notoriamente nelle Censure, e secondo i SS. Canoni, e le regole assegnate in proposito dai Dottori dovesse assolutamente privarsi della Sepoltura Ecclesiastica, e d'altronde con gravi minacce si chiedessero le esequie, e la stessa Sepoltura Ecclesiastica, come dovrà in tale circostanza regolarsi il Parroco. »

*

R. Curandum, ut cuncta ad normam Sacrorum Canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, Parochus neque per se, neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat.

22. An Episcopus Praedicatores adprobare possit, qui ab actualibus Muncipalibus Auctoritatibus offeruntur (22).

R. Posse Episcopum tamquam ex se eligere praesentatos, dummodo in eis concurrant omnes qualitates necessariae.

23. An Exactores et Cursores possint mandata exsequi contra Ecclesiasticos et Loca Pia morosa quoad exactiones Dativarum tum Cameralium, tum Municipalium, et quibus normis quibusque cautelis (23).

R. Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, benigne sic annuente SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. omnibus et singulis Locorum Ordinariis, quorum Territoria a Gubernio invasore occupata fuerunt, ad sex menses duraturam facultatem concedit, sive per se, sive per aliam Ecclesiasticam Personam ad hoc specialiter a quolibet ex dictis Ordinariis deputandam, Apostolica Auctoritate habilitandi Cursores et Exactores ad exequenda mandata tum contra Loca Pia, tum contra Personas Ecclesiasticas, petita et obtenta prius in singulis casibus venia a respectivo Ordinario, et remoto prudenter scandalo: contrariis quibuscumque non obstantibus.

24. An Parochi et coeteri Ecclesiastici, quibus Decimarum abolitione per Gubernium facta damnum illatum est, compensationes ab ipso Gubernio propositas accipere possint (24).

R. Posse iuxta oraculum SS. Domini, titulo meae compensationis pro damno sibi a Gubernio illato ob impeditam Decimarum exactionem, percipere pensiones a Gubernio assignatas, facta tamen prius sive ab Ordinario Loci in communi, sive a quolibet ex dictis Parochis, seu Ecclesiasticis in particulari protestatione per

(22) « Se possa il Vescovo approvare i » Predicatori, che venissero presentati » dalle attuali Autorità Municipali. »

(23) « Se gli Esattori e Cursori pos- » sano *escutere* gli Ecclesiastici, ed i » Luoghi Pii morosi per l' esigenza » delle imposte tanto Camerali che » Comunali, e con quali norme e cau- » tele. »

(24) « Se i Parochi e gli altri Eccle- » siastici, i quali sono stati danneggiati » per l'abolizione delle Decime fatta dal » Governo, possano percepire i compensi » assegnati dallo stesso Governo. »

huiusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut adprobari Decimarum abolitionem a Gubernio factam, et caute monitis earumdem Decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a Gubernio latae ab onere easdem solvendi liberatos.

25. An Parochi illa subsidia a Gubernio petere possint, quae idem Gubernium iis Parochis promittit, qui numerum animarum quinquies centum maiorem habent, et redditum octingentis francis minorem (25).

R. Non expedire.

26. An Confessarii debeant eos existimare in censuras incidisse, qui suffragium pro Italiae sub uno Rege unione, sive timore, sive dolo, sive ignorantia ducti dedere; tum eos qui idem suffragium dederunt aliis in Provinciis extra Pontificiam Ditionem, aut dederunt suffragium negativum, aut nullum, aut nihil significans: tum eos qui non timore gravi permoti domos suas luminibus ornarunt, usi sunt *coccardis* etc., aut levitate ducti cantui hymni *Te Deum* interfuerunt: tum denique Mulieres et Minorennes, qui votorum sive honoris protestationes (vulgo *indrizzi*) subscripserunt, vexilla consuerunt, etc. (26)

R. Censuras Ecclesiasticas iuxta Litteras Apostolicas diei 26 *Martii* 1860 *incurri ab iis, qui formaliter cooperantur, vel adhaerent rebellioni Ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro Conscientiae utrum quis Censuras incurrerit discutienda est per Confessarium uniuscuiusque conscientia. In praxi vero satis provisum per facultates Locorum Ordinariis transmissas sub die* 16 *Novembris* 1860.

27. Quoniam modo debeat reparari scandalum publicum ab iis datum, qui absolvi petunt a censuris, in quas his tempori-

(25) « Se possano i Parrochi chiedere » al Governo quei sussidi, che il medesimo Governo promette a quei Parrochi » i quali hanno una popolazione mag» giore di cinquecento anime, ed una » rendita minore di ottocento franchi. »

(26) « Se i Confessori debbano ripu» tare incorsi nelle censure coloro, che » hanno dato il voto per l'unione del» l'Italia sotto di un solo Re, indotti da » timore, da inganno, o da ignoranza; » coloro che diedero simile voto in altre » Provincie fuori dello Stato Pontificio, » ovvero diedero il voto negativo, o nullo » ed insignificante: quei, che illumina» rono la propria Casa, indossarono coc» carde ec. non indotti da grave timore, » o per leggerezza si portarono al canto » del *Te Deum;* finalmente le Donne ed » i Minorenni, che firmarono indirizzi, » lavorarono bandiere. ec.»

bus inciderunt, quibus talis reparatio difficilis est et periculis obnoxia (27).

R. Reparationem scandali esse necessariam de iure divino, eamque faciendam esse meliori modo quo potest prudenti iudicio Ordinarii seu Confessarii.

28. An ii qui absolutionem petunt debeant antequam absolvantur ea damna resarcire quae Pontificium Gubernium praesentibus rerum vicissitudinibus est passum (28)?

R. Sufficere, ut animo parati sint stare mandatis S. Sedis desuper ferendis.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 10 Decembris 1860.

(27) « In qual maniera dovrà ripararsi » lo scandalo pubblico dato da quei, che » dimandano di essere assoluti dalle cen- » sure incorse in questi tempi, ne' quali » una tale riparazione è difficile e peri- » colosa. »

(28) « Se coloro, che dimandano l'as- » soluzione debbano prima di essere as- » soluti assoggettarsi alla rifazione dei » danni sofferti dal Governo Pontificio » per gli attuali sconvolgimenti. »

APPENDIX XX.

CIRCA RECURSUM AD LAICUM TRIBUNAL IN CAUSIS ECCLESIASTICIS.

In causa supra exposita pag. 533 *super extinctione debiti*, S. Congretio Epis. et Reg. ad primum dubium respondit: *supplicandum SSmo pro culpabilium absolutione a censuris, et pro dispensatione super irregularitate quovis modo contracta, recitatis semel septem psalmis poenitentialibus etc.* Duplici de causa Canonici de quibus sermo est, in excommunicationem incidisse videntur, nimirum ob praesumptionem alienandi, auctoritate propria, ecclesiastica iura contra dispositionem Constitutionis *Ambitiosae*; et ob recursum ad laicum tribunal. Quod si circa primam subeundae excommunicationis causam, adduci possit aliqua ratio ob quam videantur posse a dicta excommunicatione excusari, quamvis actus gesti ipso iure irriti fuerint (1), non ita tamen excusari poterant ob secundam causam, videlicet ob recursum ad laicum tribunal.

Aperta est sanctio Bullae *Coenae*, in qua excommunicatio Romano Pontifici reservata infligitur et ipso facto contrahitur ab illis omnibus sive clericis sive laicis qui declinantes ecclesiasticam iurisdictionem, causam ecclesiasticam deferunt laico tribunali. Verba autem sanctionis huius sunt sequentia: « Excommunicamus et anathematizamus.... qui Archiepiscopos, Episcopos aliosque superiores et inferiores Praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos Ordinarios, quomodolibet hac de causa directe vel indirecte... impediunt quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod canones, et sacrae Constitutiones ecclesiasticae, decreta Conciliorum generalium, et praesertim Tridentini statuunt, *ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumque sententias et decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias et alias curias saeculares recurrunt*, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia, Ordinariis aut Delegatis praedictis de-

(1) Cardinalis Petra in *Const. V. Pauli II. sect.* 4 *n.* 35 haec habet: « bona fides et utilitas ecclesiae excusat contrahentem sine beneplacito a censuris et poenis impositis, quia haec Bulla *(ambitiosae)* quoad nullitatem actus indefinite dicit quod nulla *(alienatio)* sit; et quoad alienantes ut incurrant in poenas voluit adesse praesumptionem, qua cessante cessat incursio, et in foro conscientiae non incurrunt has poenas, Quaranta in *summ. Bull.* verb. *alienat. n.* 50, ubi excusare ignorantiam facti probabilis: imo ignorantia iuris in personis non peritis, vel in iure valde dubio, et in quo adesset aliqua discrepantia Doctorum ac apparentia iustae causae vel existentia illius, Zabarel *in Clement. I. quaest.* 39 *n.* 22, quam theoricam sequuntur Doctores etc.»

» cerni, et contra illos exequi pro- » curant. »

Bonacina textum Bullae *coenae* amplis commentariis illustrans, *in disp.* 1 *quaest.* 7 *punct.* 1 *n.* 26 secum quaerit, quisnam dicatur eludere iudicium fori ecclesiastici, et resolvit: « illum dici eludentem, qui non habita ratione iudicii ecclesiastici ad curias saeculares confugit in praeiudicium potestatis et iurisdictionis, quam iudex ecclesiasticus contra confugientem exercuit vel exercere debebat. »

Quaestio est inter Doctores utrum ad incurrendum in hanc excommunicationem satis sit recurrere ad curias saeculares, etiamsi a iudice laico ad quem recurritur nihil obtineatur, vel opus sit ut mandatum seu prohibitio contra iudices ecclesiasticos obtineatur. Alii enim Auctores non satis esse censent, sed requiri contendunt ut prohibitiones seu mandata contra supradictos iudices obtineantur, et executioni mandentur, ita Vivaldus *in hunc locum;* Navarrus *cons.* 20 *de sent. excomm.* Filliucius *tract.* 16 *cap.* 10 *quaest.* 12 *n.* 284 Ugulinus *vers.* ac etiam eos *n.* 2 Duardus *can.* 16 *quaest.* 6 *n.* 3 *et seqq.* hanc sanctionem exponentes. Contrariam sententiam exponit ac sustinet Bonacina *loc cit. n.* 28 hisce verbis: « secunda sententia quae mihi probabilior videtur est affirmantium, sufficere ut a iudicibus ecclesiasticis ad saeculares recurratur animo petendi a saecularibus iudicibus auxilium, seu mandata, vel inhibitiones contra ecclesiasticos iudices, etiamsi postea reipsa non obtineantur, vel obtenta executioni non mandetur. » Haec Bonacinae sententia quam gravibus argumentis idem Auctor corroborat, videtur etiam conformis praxi SS. Congregation., quae non admodum respicere videntur ad effectum secutum: sed satis est ut declinata ecclesiastica potestate, causa iudicanda deferatur laico tribunali. Hisce enim in casibus SS. Congregationes causam deinde cognoscentes, post eiusdem Resolutionem iniungere solent Oratoribus vel litigantibus ut *consulant conscentiae suae*, ut videre est in *Casertana Reintegrationis Cappellaniae die* 8 *Augusti* 1863, in qua post Resolutionem causae S. Congregatio C. adiecit: *Et Episcopus moneat Franciscum aliosque interesse habentes, ut consulant conscientiae suae.* Conatus scilicet fuerat Franciscus aliique sibi vindicare bonorum proprietatem cuiusdam capellaniae, quam laicalem esse contendebant, causamque iudicandam detulerunt laico tribunali, et Franciscus duplicem sententiam sibi favorabilem obtinuit, quin tamen appareret ulla Episcopi oppositio.

In Ariminen. *Administrationis die* 5 *Iulii* 1862, quidam Canonicus contra Episcopi decretum reddere nolens administrationis rationem bonorum capitularium, sua praesumpta iura detulit laico tribuuali, expostulans ut sententia adversus Capitulum pronunciaretur. Vix vel ne vix quidem incepta contestatione litis, Capitulum ad S. Congr. C. confugit,

ob laici iudicis incompetentiam, Quamvis autem indicatus Canonicus sese excusaret dicens, laicale tribunal adivisse, quo coram et ipsi Canonici comparuere, constituto sibi Procuratore qui eos defenderet; idque fecisse ut quaestio tandem resolveretur in defectu aliorum mediorum, quibus lis iuridice dirimi posset: attamen S. Congregatio resolutioni causae adiecit: *et idem Canonicus (N.) consulat conscientiae suae ob recursum ad laicam potestatem.*

Verum cum de Clericis agitur graviores sancitae sunt poenae pro eiusmodi recursu ad laicam potestatem, de quibus loquitur De Nigris in *tract. de vacatione Benefic. cap.* 56 *per tot.* et in additione huic capiti haec scripsit: « Clericus recurrens » ad iudices laicos animo obtinendi » iustitiam ab officialibus Principis, » contemnit potestatem ecclesiasti- » cam contra dispositionem sacro- » rum Canonum, Bullam *Coenae*, et » Constitutiones Apostolicas... Mar- » tini V., et Innocentii VIII., quae » ipso facto declarant ex hoc capi- » te Clericum excommunicatum, et » beneficiis privatum denunciant. »

Abhorrent omnino ss. Canones ab eiusmodi turpi recursu, ut speciminis gratia videre est in Can. *Inolita q.* 1: « Inolita praesum- » ptio usque adeo illicitis ausibus » aditum patefecit, ut Clerici Cleri- » cos (suo relicto Pontifice) ad iu- » dicia publica pertrahant, proinde » statuimus ut hoc de caetero non » praesumatur. Si quis hoc prae- » sumpserit facere, conventus et cau- » sam perdat, et a communione ef- » ciatur extraneus. » Item in *can. placuit ibidem.*

In decretalibus inter caetera, haec in *cap. Decernimus, de Iudiciis* Eugenius Romanus Pontifex in synodo decrevit: « Decernimus ut lai- » ci ecclesiastica tractare negotia » non praesumant. Sed Episcopi » Abbates, Archiepiscopi et alii ec- » clesiastici (maxime de illis quae » spiritualia noscuntur) laicorum » iudicio non disponant: *nec pro-* » *pter eorum prohibitionem, ecclesia-* » *sticam dimittant iustitiam exerce-* » *cere.* » Item *cap. Noverit, cap. Gravem de sentent. excomm.*

Et quidem summa ratione haec et similia sancita extant; agitur enim de contemptu ecclesiasticae potestatis et de turpissima violatione immunitatis Ecclesiae, qua a suo divino Auctore Ecclesia decorata est.

APPENDIX XXI.

QUAE REGULAE SERVARI DEBEANT, QUANDO DUBITATUR, AN IS QUI ALIQUO PIO ONERE GRAVATUS EST, FUNDIS IMMINUTIS, VEL PLANE DEPERDITIS, DE SUIS BONIS TENEATUR SUPPLERE, NECNE?

Non semel disceptatum est, an debitor alicuius annuae praestationis, sive in pecunia numerata, sive in alio quocunque genere consistat, eam perpetuo redimere queat per unam solutionem, quae universo

praestationis annuae capiti aequivaleat. Nullus porro canon in Decretalibus, nulla lex in iure Caesareo reperitur, quae acu quaestionem tangat ac dirimat; quamvis in hoc ultimo plures adsint leges, ex quibus ratio erui tuto possit, qua ad eam resolvendam recta sternatur via; huiusmodi sunt *L. Annuam* 6., *et L. Annua his* 20 *ff. De annuis legatis.* Doctores communiter hanc agitant controversiam pluribus cumulatis utrimque argumentis. Quoniam vero hi - *de quaestionibus verbà faciunt, illas autem S.C. dissolvit-*, veluti tradit Ben. XIV *Inst. Eccl.* 107, §. 6., hinc Doctorum disceptationibus praetermissis, illico ad declarationes S. C. Concilii afferendas gradum facio.

Ante omnia praemonendum est, in S. C. Concilii nullum aliud argumentum tam frequenter actitatum esse, et in dies actitari, quam de reductione onerum piorum, ac nominatim celebrationis missarum. Itaque, ut ordinario fit, nonnullae praestitutae ac firmatae sunt regulae, quae in huiusmodi reductionibus elargiendis servarentur. Enimvero potissima regula ea est, ut inspiciatur, an haeres missarum onere gravatus de suo supplere teneatur in casu, quo fundi eam in causam relicti, vel imminuti vel omnino deperditi fuerint, an verò satis sit eos fundos semel assignasse, ut quis omni obligatione solutus abeat. Quod ut facilius diiudicari possit exquirendum est, an fundi *taxativo*, vel *demonstrativo* modo relicti fuerint; in primo siquidem casu omnino liberatur haeres in omne tempus, minime vero in secundo.

At magna controversia suboritur, quando legatum taxative, et quando demonstrative relictum fuisse dicendum sit. In quo canon hic statutus est, ut legatum veluti taxative relictum habeatur - *si fundatores* (verbis utor cuiusdam instructionis a S. C. Episcopis transmissae et a Bened. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 13, *cap. ult. num.* 32 relatae) *legando aut aliquo modo disponendo, orationem seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde Missarum onus adiecerint... secus autem, si fundatores orationem seu dispositionem inceperint ab impositione oneris, et subinde fundum assignaverint, tunc enim onus dicitur demonstrative conceptum, ac fundatorum haeredes per Ampl. Tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem, et ad supplendam summam deficientem tam de praeterito quam de futuro.*

Ratio exinde apparet, cur in legatis demonstrative relictis haeres de suo supplere teneatur, secus vero sit, si legatum taxative factum fuerit; nam onus legati adimplendi inhaeret personae haeredis ipsius, quae non deficit, etiamsi res haereditate accepta deficiat: at vero in legatis taxative relictis onus illiusmodi fundo infixum est; si igitur fundus iam traditus defecerit, deficit etiam onus eidem fundo inhaerens.

Quid autem, si dubitetur adhuc,

an legatum sit demonstrative, an taxative relictum? Tum enimvero retinendum est demonstrative relictum esse; nam iuxta quamdam resolutionem S. C. Concilii *Brixien.* 1 *Dec.* 1684 relatam a Ben. XIV *l. c. n.* 33, haec regula (de retinendo demonstrative relicto) « procedit vel » quando fuit legata quantitas, vel » quando fuit legata res in genere, » vel quando fuit legata res in » specie, quae remanet penes hae- » redem habentem onus curandi ce- » lebrationem, vel quando res le- » gata fuit consignata legatario non » quidem ex praecepto testatoris, » sed ex propria voluntate, et ad » effectum tantummodo sese exi- » mendi a praefato onere curandi » celebrationem. »

Non est autem dubitationi locus, quando testator suis haeredibus imperat, ut certam ac determinatam summam exsolvant in missarum celebratione erogandam, prout accidebat in causa *Affrancationis* quam superius attulimus. Porro hanc ad rem idem Ben. XIV, *l. c.* subsequitur: « Si testator mandasset, ut le- » gatario tot praestarentur fructus, » quot satis essent ad iniunctam » Missarum celebrationem, quan- » tumvis haeres bona stabilia reddi- » tus satis idonei semel tradidisset, » attamen supplementi onus decli- » nare non posset, si forte subinde » contingeret, ut, ob subsecutam » fructuum imminutionem, vel ob » augmentum taxae, traditi fundi » redditus imposito oneri sustinendo » impares evaderent, uti subdit Prae- » sul Altovitus in voto, quod ipse » conscripsit, et Congr. probavit in » quadam causa *Lucana*, proposita » 16 *Decem.* 1685. Quando enim te- » stator mandat... consignari tot » fructus, qui sufficiant pro dicta » celebratione, tunc dicitur legatum » genus, et fructus sufficientes esse » in obligatione demonstrative: unde » licet haeres assignet tot bona, » quorum redditus de tempore assi- » gnationis sufficiant, attamen illis » pereuntibus, vel ad minorem quan- » titatem redactis, tenetur haeres » supplere ex reditu aliorum bono- » rum. »

Hanc utique doctrinam secuta est S. C. Conc. cum passim, tum nominatim in *Romana Reduct. Miss.* 18 *Apr.* 1733 *in Brugen.* 15 *Mart.* 1777 *Venetiarum* 2 *Mart.* 1825 *per summ. prec.*, et in *Eugubina* 1808.

Neque aliter docuit, nec aliam doctrinam receptam habuit S. Rota, veluti videre est in *Romana Ann. praestat.* 16 *Ianuarii* 1702, *coram Caprara*, et *Romana Supplementi, et applic.* 11 *Iunii* 1723, *coram Aldovrando*. Iuvat facti speciem enarrare causae Romanae *coram Caprara*. Fulvia Sfortia die 29 Martii 1598 per privatam syngraphan promiserat exsolvere scut. 100 annua perpetua Monialibus Excalceatis S. Iosephi, addita conditione, ut puellam in monasterium hae reciperent, adeoque eam in causam Fulvia omnia bona sua obligaverat. Morti proxima haeredibus suis praescripsit, ut

cum aliis legatariis, tum Monialibus Excalceatis partem cuiusdam pinguissimi census, (in quo tota consistebat haereditas), quae pars fructui scutatorum 100 responderet, assignare possent, ut ita omni se obligatione liberarent. At vero Monialium Oeconomus huiusmodi assignationi mordicus restitit; quapropter res in iudicium deducta, in possessorio primum causa disceptata est apud S. Rotam *coram Mazanedo:* at S. Ordo sua sententia Oeconomo Actori manutentionem dandam esse pronunciavit pro scutatis centum super omnibus bonis Fulviae. Uno ferme saeculo post coram Caprara *die* 19 *Ian.* 1702 dubium disceptatum est. « An monasterium » S. Ioseph teneretur de praeterito, » vel teneretur de praesenti recipere assignamentum usque ab anno 1611 oblatum loco annuae » praestationis scut. 100. « Et S. Rota » respondit: » *Nec de praeterito nec de praesenti teneri Moniales recipere assignamentum.*

Quoniam vero haeredes inter alia, quae afferebant, argumenta, oblationem realem scutatorum 100 iudicialiter Monialibus sese exhibuisse subiiciebant, adeoque propugnabant, ea peracta, ad nihil aliud amplius sese teneri, S. Rota in decisione praedicta §. 13. ita docebat. « Quae omnia iterum atque » iterum aequa lance aequilibrata, » non fuerunt reperta tanti ponderis, ut obligare potuerint Moniales ad receptionem assignamenti » nec de praeterito nec de praesenti. » Ad quem effectum Domini praemittebant, quod cum promissio » Fulviae sub hypotheca omnium » suorum bonorum tam eius vita » durante, quam post obitum et » pro futuris perpetuis temporibus » concepta legatur in mera et pura » quantitate annua scut. 100, nulla » habita taxatione, nec etiam demonstratione ad certum fundum, » seu illius annuum redditum, utique » non potuit aliter expleri, quam » in pecunia numerata ex fructibus » omnium bonorum haereditariorum, seu particularibus eius speciebus ad *Text. L. Annuam* §. 6. *ff. de Const. pecun.* iuxta communem » distinctionem primae ab altera » promissionis forma *per Text. L. Annuam* 6 *v. Modestinus. L. Annua* » §. *Attia. de Leg.* 33. quod ad rem » nostram explicat Paul. De Castro » *Cons.* 47, *n.* 3, *lib.* 2... secus vero » si relictum fuit in genere absque » ulla designatione particulari bonorum, quia tunc quod non perciperetur ex uno praedio teneretur ex aliis solvere, concludens » volentem assignare unum praedium ad hoc, ut liberetur a debito » quantitatis, non esse audiendum...

» Nec obstat, quod Fulvia non » habeat alios effectus, nisi dictum » censum cum Duca Zagaroli, et tamquam liberalis donatrix potuerit » Monasterio facere assignationem » de redditu rato dicti census *ex L.* » *Si quis argentum Cod. de donat.* » cum aliis allegatis; quia quidquid

» sit de inexistentia aliorum bono-
» rum nullatenus iustificata, ad effe-
» tum satis est, quod obligatio Ful-
» viae constet de pura quantitate
» scut. 100 annuatim Monasterio
» solvenda et quidem in genere nulla
» facta mentione bonorum aut effe-
» ctuum particularium, ex quo-
» rum redditibus sit eidem satisfa-
» ciendum. Unde non applicatur
» textus et iura in contrarium
» adducta, utpote loquentia de
» donationibus seu legatis annuis
» relictis cum expressione, quod
» satisfiant ex reditibus certorum
» bonorum, seu ex bonis ipsius
» Testatoris, ut probant iura mox
» allegata.»

Quapropter, fundis deperditis, vel imminutis, non solum ex S. C. Conc. declarationibus, sed etiam ex decisionibus S. Rotae Romanae dicendus est liberari haeres, si testator eidem legem dixerit sive facultatem fecerit tradendi ecclesiae certos fundos iam determinatos aut determinandos; nequaquam vero idem liberari, si testator obligationem legati adimplendi personae haeredis iniunxerit, et universam haereditatem ea ipsa obligatione gravatam explicite vei implicite voluerit.

APPENDIX XXII.

INDULGENTIAE QUAS SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS PAPA IX. BENEDICENDO CORONAS, ROSARIA, CRUCES, CRUCIFIXOS, PARVAS STATUAS, NUMISMATA *(medaglie vulgo nuncupata)* IMPERTITUR CHRISTIFIDELIBUS QUI SECUM HABENTES VEL APUD SE RETINENTES ALIQUOD EX PRAEFATIS, INFRASCRIPTA PIA OPERA IMPLEBUNT (*).

«Utriusque sexus Christifideles in primis admonitos vult SANCTITAS SUA, ut qui consequi valeat Indulgentias, quas in praefata Benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis Numismatibus, Coronis etc.: secum habere, aut apud se retinere.

»Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro Indulgentiarum consecutione requisitas unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo Coronam, Crucifixum etc. vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

»Praeterea ab huiusmodi Benedictione SANCTITAS SUA reiicit Imagines sive impressas, sive depictas, nec non Cruces, Crucifixos, parvas statuas, Numismata, vulgo *Medaglie* nuncupat., quae ex stamno, plumbo, vel ex fragili alia materia facilisque consumptionis conficiun-

(*) Praesens indulgentiarum elenchus cessat morte RR. Pontificum et post novi Pontificis electionem iterum confirmatur vel renovatur.

tur. Notandum tamen SANCTITATEM SUAM ea etiam quae ex ferro confecta sunt admittere, licet usque nunc prohibita essent.»

» Vult denique SANCTITAS SUA Imagines, et Icones benedicendas representare Sanctos, vel iam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

» His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum series, quas quis consequi potest, nec non piorum operum implendorum Elenchus recenseatur, prout infra, videlicet:

»Quicumque semel saltem in singulas hebdomadas Coronam Domini, aut Bm̃ae Virginis, vel Rosarium eiusve tertiam partem, aut officium sive Divinum, sive parvum eiusdem Bm̃ae Virginis, vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales, vel Graduales recitabit, aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in Carcere, vel alicuius Domus, Hospitalis aegrotos visitare, aut Pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel, si Sacerdos est, celebrare consuevit, si vere poenitens, et Sacerdoti per Ordinarium approbato confessus, SS̃mum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus Festis Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, et Corporis Christi, tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Beatae Mariae Virginis, nec non diebus Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthei, Simonis et Iudae, Matthiae, S. Iosephi Sponsi B. M. Virginis, atque Omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, caeterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum Plenariam Indulgentiam consequetur.

» Qui eadem in aliis Festis Domini, aut Beatae Virginis Mariae peregerit in quolibet eorum percipiet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum: Qui vero quavis Dominica, vel alio anni festo, Indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea praestabit, Indulgentiam centum dierum.

» Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit Coronam, aut Rosarium, aut Officium B. M. Virginis, vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, earumque precibus, quo die id egerit, Indulgentiam centum dierum acquiret.

»Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans,

ipsamque mortem (iuxta instructionem fel.record.Benedicti Papae XIV. enunciatam in sua Constitutione sub Datum 5 Aprilis 1747., cuius est initium - *Pia Mater* -) aequo, ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, confessus, ac Sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, Plenariam Indulgentiam consequetur.

»Quicumque ante Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem Divini Officii, vel parvi B. M. Virginis, aliquam devotam praeparationem praemiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice id egerit, percipiet.

»Qui detentos in Carcere, aut Aegrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adiuvando, aut Doctrinam Christianam in ecclesia, vel Domi Filios, aut Propinquos, aut Famulos docuerit, toties Indulgentiam ducentorum dierum consequetur.

»Qui ad pulsum Campanae alicuius ecclesiae mane aut meridie, aut vespere consuetas preces *Angelus Domini* etc. dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam*, et *Salutationem Angelicam*, vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis, Psalmum *De profundis*, aut si hunc nesciat, *Orationem Dominicam*, et *Salutationem Angelicam* recitabit, Centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

»Eamdem pariter consequetur Indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de Passione, ac Morte Domini Nostri Iesu Christi, terque *Orationem Dominicam*, et *Salutationem Angelicam* recitabit.

»Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat ter *Oratione Dominica*, et *Angelica salutatione* devote repetitis in honorem SSm̃ae Trinitatis, aut ob reverentiam quinque Vulnerum Iesu Christi quinquies devote eamdem Orationem, et Salutationem recitet, eamdem Indulgentiam lucrabitur.

»Qui pro Christifidelibus aegrotis in exitu vitae constitutis pie Deum orabit et saltem pro ipsis *Orationem Dominicam*, et *Salutationem Angelicam* dicet, Quinquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

» Omnes et singulas antedictas Indulgentias SANCTITAS SUA vult unumquemque posse aut pro se ipso adipisci aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicari.

» Declarat insuper SANCTITAS SUA concessione praefatarum Indulgentiarum̃ nullo modo derogare Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices Praedecessores iam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

»In distribuendis autem huiusmodi Coronis, Crucibus etc. eorumque usu SSm̃us Dominus Noster servari iubet Decretum fel. record.

Alexandri VII. editum sub die 6 Februarii 1657., nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria etc., ut supra benedicta, quoad Indulgentias non transeant Personam illorum, quibus concessae sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; Nec aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione, aut privilegio in contrarium non obstante. Nec non eadem commodari, aut precario dari non possit pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias iam concessas: Tum etiam praefata post Pontificiam Benedictionem vendi non possint, iuxta Dispositionem *Decreti S. Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum editi die* 5 *Iunii* 1721.

»Insuper Sanctitas sua confirmat Decretum fel. record. Benedicti XIV sub Datum die 19 Augusti 1752., quo expresse declarat Missas ad Altare (in quo aliqua ex praefatis sive Crucifixi, sive Numismatis Imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a Sacerdote huiusmodi Imaginem secum habente celebratas, nullo prorsus, vigore dictae Imaginis, gaudere privilegio.

»Praeterea vetat, ne quisquam, quem Infirmis morti proximis assistere contigerit, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis vigore huiusmodi Imaginis illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi effectum in supraenunciata Constitutione incipien. *Pia Mater* satis provisum iam fuit.

»Tandem vult ac praecipit Sanctitas Sua hunc Indulgentiarum elenchum nunc revisum et emendatum pro maiori Fidelium commodo imprimi posse non solum latina vel itala lingua, sed quocumque alio idiomate, dummodo tamen pro quacumque versione adsit approbatio S. Sedis aut S. Congregationis Indulgentiarum, atque huiusmodi impressionem extra Urbem nullo idiomate fieri posse absque eadem approbatione. Quocumque Decreto, Constitutione, aut Ordinatione etiam specialis mentionis digna in contrarium non obstantibus.

»Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Iudulgentiarum, et SS. Reliquiarum die 14 Maii 1853.«

F. Card. Asquinius Praefectus

A. Colombo Secretarius.

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

LITERAE APOSTOLICAE.

Sequentes Apostolicas Literas in forma Brevi expeditas referimus, quibus Sanctissimus Dominus Noster, quem Deus incolumem diu servet, praeclarissimis encomiis Romanae ephemeridi cui titulus - La Civiltà Cattolica - merito tributis, eiusdem perennitati, et perpetuitati consulere dignatus est. Non enim minus sententiose, quam vere ait Nicolaus II. Romanus Pontifex: *Tanta est Sedis Apostolicae auctoritas, ut omnis requiratur ab ea firmitas, nec putatur esse stabile, nisi quod eius fuerit confirmatum robore* (1). Lactamur insuper easdem Literas referentes, praesertim cum argumentum illae exhibeant, quod clarissime ostendit quanto favore Sanctissimus catholicos Scriptores prosequatur, qui defensionem Christi Domini Ecclesiae, eiusdemque doctrinae suscipiunt, in hac coenosa perditorum librorum colluvie, quae inventum scientiae perutile in miserandam humanae societatis perniciem convertit.

Hac insuper solemni occasione gratum animum nostrum exhibemus praeclaris perinsignis illius ephemeridis Scriptoribus: namque cum primum menti nobis occurrit sub finem scilicet anni 1863 ratio evulgandi ecclesiastico scilicet idiomate, et ea methodo quam hactenus secuti sumus, acta doctrinalia Sanctae Sedis, quae scitu utiliora essent, et evulgari possent, nostrum consilium aperire non praetermisimus tum Viris doctrina, prudentia, et ecclesiastica dignitate fulgentibus, tum praesertim praeclaris Scriptoribus laudatae ephemeridis, qui suo sapienti consilio, ut propositum nostrum in effectum deduceremus prout ratio postulabat animos addiderunt.

Literae porro Apostolicae sunt sequentis tenoris.

(1) In diplomate, quod refertur in Annalibus Camaldulensium PP. Mittarelli et Costradoni, pagina 173 appendicis.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« *Gravissimum supremi Nostri Apostolici ministerii munus omnino postulat, ut intentissimo studio ea semper peragenda curemus, quae ad Catholicae Ecclesiae causam, animarumque salutem, Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissam, tuendam quovis modo conducere posse cognoscimus. Incredibili certe animi Nostri moerore, ubi ad hanc Petri Cathedram nullis Nostris meritis, sed arcano divinae providentiae consilio, fuimus evecti, vidimus et lamentati sumus maxima et numquam satis lugenda damna et mala, quae asperrimis hisce temporibus catholicae religioni, ac vel ipsi civili societati inferuntur ab omnis iustitiae ac veritatis osoribus per pestiferos libros, libellos et praesertim ephemerides perniciosissimis quibusque erroribus pravisque doctrinis plenissimas, ac acerrimo et plane diabolico contra divinam nostram religionem odio conscriptas, ac longe lateque in vulgus editas ac disseminatas. Itaque inter alia haud omisimus viros pietate, ingenio, sanaque doctrina praeditos etiam atque etiam excitare, ut sub proprii potissimum Antistitis ductu suis scriptis augustam nostram Religionem defenderent, eiusque oppugnatores refutarent, ac tot monstruosa illarum opinionum portenta detegerent, refellerent, profligarent, et incautorum praesertim hominum, ac imperitae iuventutis cereae in vitium flecti, mentes animosque veritatis lumine illustrarent. (Alloc. die 20 April. 1849.) Ac non mediocri certe afficimur laetitia, cum complures ubique surrexerint viri, qui Nostris hisce exhortationibus ac votis perlibenter obsequentes, et egregio erga Catholicam Ecclesiam, et hanc Sanctam Sedem studio animati, idoneis scriptis teterrimam tot serpentium errorum colluviem, ac funestam pravarum ephemeridum pestem propulsare, et veritatem iustitiamque tutari cum sui nominis laude non desinunt. Ut autem certi semper existerent homines, qui Nobis, et huius Petri Cathedrae ex animo addicti, ac sanctissimae nostrae religionis amore, ac sanae solidaeque doctrinae et eruditionis laude spectati valeant bonum certare certamen, suisque scriptis rem catholicam, salutaremque doctrinam continenter tueri, et ab adversariorum fallaciis iniuriis, et erroribus vindicare, optavimus, ut Religiosi inclytae Societatis Jesu viri Scriptorum Collegium ex ipsius Societatis Sodalibus conflatum, constituerent,*

ic

qui opportunis, et aptis scriptis tot falsas ex tenebris emersas doctrinas naviter scienterque confutarent, et catholicam religionem, eiusque doctrinam ac iura totis viribus indesinenter propugnarent. Qui Religiosi Viri, Nostris desideriis omni observantia et studio quam libentissime obsecundantes, iam inde ab anno 1850 *Ephemeridem, cui titulus* La civiltà Cattolica, *conscribendam, typisque vulgandam susceperunt. Atque illustria maiorum suorum vestigia sectantes, et nullis curis nullisque laboribus unquam parcentes, per eamdem Ephemeridem diligenter sapienterque elaboratam, nihil antiquius habuere, quam doctis eruditisque suis lucubrationibus divinam augustae nostrae Religionis veritatem, ac supremam huius Apostolicae Sedis dignitatem, auctoritatem, potestatem, rationes viriliter tueri, defendere, ac veram doctrinam edocere, propagare, et multiplices huius praecipue infelicissimae nostrae aetatis errores, aberrationes, et venenata scripta cum christianae, tum civili reipublicae tantopere perniciosa detegere, oppugnare, ac nefarios illorum conatus retundere, qui catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem ipsam societatem funditus evertere commoliuntur. Ex quo evenit ut commemoratae Ephemeridis Scriptores Nostram benevolentiam existimationemque, et Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum, et clarissimorum Virorum laudes sibi quotidie magis merito comparaverint, eorumque Ephemeris a bonis omnibus, ac bene sentientibus viris summo in pretio fuerit habita, et habeatur. Et quoniam ex huiusmodi Ephemeride, sexdecim abhinc annos vigente, non levia in rem christianam, et litterariam rempublicam bona, Deo bene iuvante, cum ingenti animi Nostri gaudio redundarunt; iccirco Nostris in votis omnino est, ut tam praeclarum opus ad maiorem Dei gloriam, animarumque salutem curandam, atque ad rectam studiorum rationem magis in dies iuvandam stabile perpetuo consistat, et efflorescat. Itaque hisce Litteris idem Collegium Societatis Iesu Scriptorum Ephemeridis vulgo* La Civiltà Cattolica *in peculiari ipsis domo habendum Auctoritate Nostra Apostolica, perpetuum in modum erigimus, et constituimus iuxta leges, et privilegia quibus alia eiusdem Societatis Iesu Collegia utuntur, ac fruuntur, ita tamen, ut Collegium idem a Praeposito Generali ipsius Societatis in omnibus pendere plane debeat. Huius autem Collegii institutum esse volumus, ut qui ab ipso Praeposito Ge-*

nerali electi fuerint ad eamdem Ephemeridem, vel alia scripta conficienda, prout Nobis, aut Romanis Pontificibus Successoribus Nostris opportunius videbitur, debeant omnem eorum operam, industriam, ac studium sedulo impendere in lucubrandis edendisque scriptis pro catholicae Religionis, et huius Sanctae Sedis defensione. Quocirca volumus, ut iidem Scriptores pergant habitare in aedibus, quas ipsis in Hospitio hic in Urbe haereticis convertendis iam destinavimus, iis tamen servatis conditionibus, quas praescripsimus, atque id donec opportunior domus comparari queat. Concedimus autem, ut iidem pro sui muneris ratione possint librarias officinas habere, librosque typis in lucem edere, et vendere, ac longe lateque in omnes regiones spargere, ac disseminare. Redditus vero, qui in praesentia sunt, quique in posterum esse poterunt, ad opus idem sustentandum, ac magis in dies amplificandum adhiberi debent, ut tot tantisque inimicorum hominum aggressionibus ampliora semper, ac validiora obiiciantur praesidia. Quod si unquam quocumque casu contigerit, ut eidem Scriptorum Collegio ab hac alma Urbe Nostra sit recedendum, volumus, ut ipsi in alia qualibet opportuniore civitate a Praeposito Societatis Iesu Generali cum Nostro, et Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum consensu statuenda, possint consistere, ibique suum munus obire, quoad amotis impedimentis in pristinam Sedem ab eodem Praeposito Generali revocentur. Si autem nullus forte opportunus locus operi prosequendo reperiatur, volumus, ut tum fundi, tum redditus in eamdem operam reserventur, mature instaurandam, ubi primum licuerit. Atque has omnes facultates non solum praesentibus commemorati Collegii Sociis, verum etiam aliis, qui a Praeposito Generali ad idem munus obeundum hoc, futurisque temporibus deligentur, perpetuum in modum concedimus, reservata Nobis, ac Successoribus Nostris dumtaxat facultate aliquid circa idem Societatis Iesu Scriptorum Collegium immutandi, et aliis omnibus cuiusque dignitatis, auctoritatis, et gradus penitus interdicta. Haec omnia statuimus, volumus, concedimus, praecipimus, atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati, et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis Nostrae vitio, vel alio quolibet etiam

substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, ac supradicto Collegio Societatis Iesu Scriptorum Ephemeridis vulgo La Civiltà Cattolica, *nec non Personis, quarum favorem praesentes hae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus suffragari debere, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri nec ad id in iudicio vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse, ac fore volumus, et declaramus. Non obstantibus, quoties opus fuerit, de iure quaesito non tollendo, aliisque Cancellariae Nostrae Apostolicae Regulis, itemque Societatis Iesu etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et concessionibus, quamvis expressa, specifica, et individua mentione, ac derogatione dignis; quibus omnibus, et singulis, eorum totis tenoribus, ac formis praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum dumtaxat effectum latissime, plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.»*

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii Anno MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimo.

Locus ✠ Sigilli *PIUS PP. IX.*

Hac praeterea occasione grati animi nostri sensus pariter exhibemus Scriptoribus illis aliarum ephemeridum catholicarum, qui notitiam nostrae ephemeridis in suis doctis scripturis interseruerunt, vel animi generositate, de hac articulos etiam concinnare non dubitarunt, quemadmodum, caeteris non neglectis, peregerunt celebres doctaeque ephemerides in Gallia – Revue des Sciences ecclésiastiques, dirigé par M. l'Abbé de Bouix. – In Hibernia – The Irish ecclesiastical record. – In Italia – Unità Cattolica. – Aliaeque celebres, cuiusmodi est docta et antiqua ephemeris cui titulus – La Scienza, e la Fede, – et altera cui titulus – Archivio dell' Ecclesiastico. –

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

IURIUM ET PRIVILEGIORUM.

Die 5 *Decembris* 1863 *et* 25 *Iunii* 1864. *Sess.* 24 *c.* 14 *de Reform.*

Praesens causa quae suo initio simplex videbatur, disputationis aestu adeo crevit ut implexa omnino et multiplex ex documentis adductis, et ex praesumptis Apostolicis privilegiis evaserit. Quoniam autem S. Congregationis Resolutio non admodum recesisse videtur a communi iure, ideoque in facto indicabimus ea tantum, quae et certa, et in causae decisionem influere potuisse videntur.

Compendium facti. Antiquissima adest ecclesia B. V. Mariae dicata, intra fines paroeciae A., quae ecclesia habet adnexum Oratorium recentioris aetatis, et quoddam hospitale seu valetudinarium pro piscatoribus infirmis. Ingressus ad Oratorium patet intra eamdem ecclesiam. In ecclesia autem Sodalitium laicorum extat; in Oratorio vero quaedam Congregatio presbyterorum adest, qui praeter Missarum celebrationem, peculiaria praestant officia, sive Sodalitio, sive hospitali, sive ecclesiae; adeo ut inter eos habeantur Capellani cantores, Confessarii, Sacrista maior, Cleri praefectus, aliique, qui ibidem comitia habent ad quaestiones morales solvendas, quibus fungendis muneribus ab ipsis Sodalibus amovibiles ad nutum Clerici eliguntur.

Inter Sodalitium et Parochum, intra cuius paroeciae fines illud extat, lis exarsit penes episcopalem Curiam super nonnullis iuribus, ac praesertim super iure Sodalitii praeferendi in sacris processionibus crucem sine pallio appenso.

Episcopus dicebatur prohibuisse in sacra visitatione quominus Sodalitium crucem sine pallio gestaret, at Sodales privilegia Apostolica iactantes se tuebantur, quin tamen unquam privilegiorum documenta Episcopo exhibuerint. Aliis insuper dissentionibus in-

tervenientibus inter Sodales, Parochum, et Episcopum, ob praesumpta privilegia, causa in episcopali curia primo agitata est, ac per sequentem sententiam definita, scilicet: « Definitive iudicamus » quod tam in possessorio, quam in petitorio, nullum ius vel pri- » vilegium praeferendae Crucis in processsionibus et funeribus sine » velo appenso, aut pallio competit, nec competere potest confra- » ternitati laicorum sub titulo S. Mariae... neque eidem confrater- » nitati laicorum in funeribus, et processionibus, verbi Dei praedi- » catione, et functionibus adnexis, et connexis iuribus parochiali- » bus competit, nec competere potest ulla exemptio a iurisdictione » ordinaria Parochi S. Sebastiani in cuius territorio extat: quod » eidem Confraternitati laicorum nulla competit in spiritualibus » exemptio ab Episcopi iurisdictione a seipso vel a quovis suo » delegato exercenda: quod in omnibus servandum est ius com- » mune et peculiare dioecesis nostrae etc. »

Ab hac complexa sententia Sodalitium ad S. C. Concilii appellavit, et acriter disputatum est in Urbe per Defensores utrinque constitutos super dubii formula: « an et quomodo senten- » tia Curiae episcopalis (N.) sit confirmanda, vel infirmanda in » casu. » Sacra Congregatio tamen causa in examen vocata die 5 Decembris 1863, censuit resolutionem differre, et iussit probationes coadiuvari, et concinnari dubia super singulis quaestionibus, aliaque iniunxit ut in sequenti responsione: *dilata et coadiuventur utrinque probationes, et afferantur documenta et acta etiam SS. Visitationum et ad rem facientia, et concinnentur dubia particularia super singulis quaestionibus.*

Quare iuxta hoc S. Congregationis praeceptum, causa proposita iterum est sub quinque dubiis quae in calce habentur.

Disceptatio synoptica.

Defensio sodalitii circa primum dubium. — Indicabimus per summa capita rationum momenta quae a Defensoribus disputantibus copiosissime deducta sunt (1). Ut autem disputationis processus intelligatur, praemittenda sunt ea quae certa in facto erant. Videli-

(1) Causam Sodalitii defendit cl. Angelus Fazzini Advocatus, causam vero Parochi cl. Salvator Martini Advocatus.

cet ante annum 1711 quaestio in primo dubio proposita excitata fuerat: Episcopus enim illius temporis Sodalitio prohibuerat quominus crucem sine velo in processionibus praegestaret; appellavit Sodalitium ad tribunal auditoris Camerae Apostolicae iuxta pristinum morem, ac obtinuit *monitorium super observatione, manutentione cum citatione et inhibitione vigore appellationis,* die 26 Iunii 1711. Disputatum itaque est inter Defensores super vi huius monitorii eiusdemque significatione. Caeterum quaecumque fuerit vis et significatio huius monitorii, ex eo satis ostendebatur ante illud, iam in possessione Sodalitium reperiri consuetudinis quae ex aliquo Apostolico privilegio orta dicebatur praegestandi crucem sine velo in processionibus. Post dictum monitorium, Parochus illius temporis et Sodalitium ad lites declinandas et pacem servandam, transactionem quamdam inierunt anno 1713, assentiente Episcopo. Haec tamen transactio S. Sedi nunquam fuit exhibita, proindeque nunquam adprobata. Quaenam autem fuerint iura super quibus Partes tunc transegerint apparebit in sequenti disceptationis tractu.

Itaque circa primum dubium Sodalitii Defensor innitebatur transactioni praedictae, quae post monitorium facta est, in qua partes litigantes sibi, suisque successoribus spoponderunt, seque obligarunt ne praegestatio crucis absque velo in consuetis processionibus impediretur Sodalitio. Contendebat autem Defensor pluribus adductis auctoritatibus, eiusmodi transactionem vim habere, ac parere omnes effectus, quos in iure transactio undequaque firma parit.

Verum in hypothesi etiam qua dicatur irrita haec transactio, ex defectu Apostolici beneplaciti, confirmari in praesenti casu debuisse Defensor contendebat, prouti factum fuerat in causa *Montis alti, Transactionis* die 28 Februarii 1808 §. *Quid,* in qua Cardinalis Pacca illius causae relator sequentia exponebat S. Congregationi Concilii, circa transactionem super quadam commutatione testamenti, sine Apostolico beneplacito iam initam. Aiebat autem inter caetera Emus relator: « Quocumque itaque sese » res habeat, quisnam ignorat in hac iurium dubietate locum » esse confirmationi transactionis Siliquinios inter ac Tomma» sium initae, quamvis Testatoris Rinalducci mens atque volun» tas aliquo modo commutata inspiciatur? Demus paulisper

» transactionem de qua agitur, Apostolico beneplacito minime » roborari: quid tum? En lites inter hasce familias excitatae; » en controversiae iterum constitutae; en denique maximi sum- » ptus in agendis litibus impensi. Ad tot itaque tantaque mala » vitanda, quae publicae utilitati refragantur, iura suadent atque » a iuris quoque interpretibus commendatur, ut huius generis » transactiones, quae circa rem dubiam initae fuerunt, ratae fir- » maeque consistant, atque supremi quoque Principis benepla- » cito firmentur, quamvis extremae defunctorum voluntates ali- » quam commutationem praeseferre videantur. Rationem adducunt » Doctores, quia huius generis transactiones publicam utilitatem » respiciunt, quae in dirimendis litibus atque in controversiis » dissolvendis praecipue versatur.... » Proposito autem dubio: an et quomodo sit consulendum SSmo pro transactionis appro- batione et confirmatione in casu: S. Congregatio respondit: *af- firmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris.*

Haec autem maiori ratione in praesenti casu repetenda esse aiebat Defensor, cum agatur de transactione quae inita est post praefatum monitorium, quod ius deferendi crucem absque velo admisit. Praesertim cum contra eiusmodi transactionem usque ad incoeptam praesentem controversiam, nemo unquam se oppo- nere ausus fuerit. Quare si consideretur ipsa longaeva pacifica con- suetudo hoc ius Sodalitio denegari non poterat. Decretum enim Urbis et Orbis diei 10 Decemb. 1703 de similibus quaestioni- bus agens praeter conventiones, sartas tectasque etiam esse vo- luit consuetudines immemorabiles et centenarias, hisce verbis: « salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confrater- » nitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a S. Sede » approbatis, indultis.... *et consuetudinibus immemorabilibus vel* » *saltem centenariis.*»

Defensio sodalitii circa secundum dubium. — Circa ius ducendi funera independenter a Parocho, animadvertebat Defensor agi heic de funeribus eorum qui in nosocomio Sodalitii decedunt. Hoc au- tem ius firmatum fuerat in dicta transactione, atque deinde servatum; quin imo eiusmodi ius conforme esse contendebat Ec- clesiae universae praxi, prohibitumque fuisse Parochis a Con- cilio Tridentino sese intromittere sua iurisdictione in hospitali- bus in *sess.* 24 *cap.* 13 in quo statutum fuit: « *in unionibus*

quibuslibet, ecclesiae parochiales... hospitalibus... non uniantur: » atque haec sancita esse a S. C. C. in causa *Senogallien.* 8 *Iunii* 1765.

Defensio sodalitii circa tertium dubium.— Contendebat pariter Defensor competere Sodalitio ius peragendi sacras processiones independenter a Parocho, tum quia hoc ius firmatum atque admissum fuerat in dicta transactione anni 1713 in qua fiebat etiam mentio de antecedenti laudabili consuetudine. Atque insuper adducebat Defensor Decretum S. C. SS. Rituum in quo die 19 Iulii 1604, haec inter caetera Sodalitio de quo agimus concessa fuerunt: « et processiones solitas facere singulis mensibus, et » aliis festivitatibus solitis, dummodo servent formam libri coe- » remonialis Episcoporum circa hastas baldachini deferendi in » processione supra SS̃mum Sacramentum, quas processiones » facere debeat in eodem modo et forma, prout fiunt in ec- » clesia cathedrali. »

Quin imo ius peragendi sacras processiones, quae *consuetae* sint, extra ambitum suae ecclesiae competere ex communi iure Sodalitiis aiebat Defensor, et ita fuisse resolutum in causa S. C. C. *Cremonen.* die 5 Iunii 1723 in qua ad II. dubium: « an dicti Confra- » tres facere possint eamdem processionem cum interventu Capel- » lani aut alterius Sacerdotis per ipsos, non autem per *Praepositum,* » *destinandi* in casu.» S. Congregatio respondit ad II. *Affirmative.*

Defensio sodalitii circa quartum dubium. Animadvertebat Defensor quartum dubium eo sensu accipi debere, quatenus Rector ecclesiae Sodalium, caeterique Sacerdotes eidem addicti absque Parochi licentia iure praedicandi verbum Dei potiantur. Ad hoc ius firmandum praeter consuetudinem in transactione admissam, adducebat Defensor Decretum Urbis et Orbis anni 1703 ad dubium XVI. et XVIII.

Defensio sodalitii circa quintum dubium. Ampla eruditione Defensor circa quintum dubium contendebat Sodalitium per suos presbyteros omnes functiones non parochiales indipendenter a Parocho peragere posse. Aiebat enim compertum in iure esse quod exceptis benedictione domorum diei Sabbati Sancti, collatione baptismi, assistentia matrimoniis ineundis, nec non exequiis parochianorum defunctorum praesente cadavere (non tamen in ecclesiis exemptis), quae sunt exclusive functiones parochiales, caeterae

omnes non parochiales censentur iuxta saepe citatum Decretum Urbis et Orbis anni 1703. Ac caeteris omissis, sequentes Resolutiones S. C. C. adducebat Defensor, nempe in *Hortana* diei 5 Iul. 1738 in qua propositis dubiis I. « an in ecclesiis Confraternitatum laica» lium Terrae Suriani expleri possint functiones non parochiales » et signanter celebrationis Missarum, cum adsistentia diaconi et » subdiaconi independenter a Parochis in solemnioribus earum» dem ecclesiarum festivitatibus. » III. « An Capellani dictarum » ecclesiarum recitare possint officium defunctorum et canere » Missam ad praescriptum Ritualis, antequam sepeliantur cada» vera illata in dictis ecclesiis, seu potius privative id spectet » ad Parochos. » Sacra Congregatio respondit: Ad I. *affirmative.* Ad III. *affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Item in *Firmana iurium parochialium* die 2 Iunii 1736, propositis dubiis I. « An Sacerdotes deputandi ab asserta societate » Suffragii possint solemniter canere Missas in ecclesiis, seu ora» torio sub titulo Suffragii absque licentia Parochi S. Mariae; vel » potius Missae solemnes, quatenus in dicta ecclesia seu oratorio » canendae sint, celebrari debeant ab eodem Parocho etiam invitis » confratribus. » II. « An in dicta ecclesia seu oratorio exponi pos» sit SS̃mum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi, cum » sola licentia Ordinarii sine interventu Parochi praedicti. » « Et » quatenus. *affirmative.* » III. « An eidem Parocho S. Mariae com» petat saltem ius benedicendi populum cum SS̃mo Sacramento in » dicta ecclesia, seu oratorio etiam invitis Confratribus. » S. Congregatio respondit: ad I. *affirmative quoad primam partem de licentia Episcopi; et negative quoad secundam.* Ad II. *Affirmative.* Ad III. *Negative.*

Ac denique in *Hortana* superius citata, proposito dubio II: « An in dictis ecclesiis (Confraternitatum laicalium) possint » Parochi peragere functiones tam parochiales, quam non paro» chiales irrequisitis officialibus et capellanis dictarum ecclesia» rum » S. C. respondit: *negative.*

Defensio parochi. Parochi Defensor ante omnia enitebatur ampla oratione excludere plura a Sodalitio iactata exemptionis privilegia, atque admonens *monitorium* anni 1711 quod superius indicavimus, nihil aliud esse quam praeceptum *vigore appellatio-*

nis, ne pars altera ad exsecutionem sententiae interea procederet; quem in finem inhibitoriae literae ab Auditore Camerae tunc temporis expediebantur, gradum faciebat ad expendendam transactionem anni 1713. Eam autem ex variis rationibus infirmabat; praesertim vero ex defectu Beneplaciti Apostolici. Hoc enim Beneplacitum si exquirendum est, puta in concessione praedioli; in iuribus longe potioribus praetermitti non potest, quin publicus hierarchiae ordo periclitetur: maxime autem si in transactione agatur de obligandis successoribus. Ad haec confirmanda adducebat Defensor S. Rotae auctoritatem in *Melevitana iurium capitularium super concordia*, 9 *Februarii* 1798 §. 9 *et seqq. coram De Alteriis,* in qua legitur: « Nihili habenda » etiam esset (concordia), cum non constet de eiusdem validitate: » scilicet ex *defectu Beneplaciti Apostolici*..... Nam contractus » initi de rebus Ecclesiae pro forma, quam dicunt substantialem, » exigunt Pontificis approbationem sine qua non valent, *Card.* » *Petra* ad *const.* etc. etc.... Nec refert num laicum inter et ec- » clesiam, an cum ipsa ecclesia contractus initus fuerit: aeque » enim in altero casu, ac in primo, necessarium est Apostolicum » Beneplacitum, ut si Episcopus cum suo Capitulo contractum » transactionis inierit, non aliter firmus ac validus censeatur, » nisi Auctoritate Apostolica fuerit confirmatus..... Minusque » interest, agatur nec ne de pecunia cuiusque generis, rebusque » soli. Etsi enim transactum sit de *quibuscumque iuribus incor-* » *poralibus, aut de iurisdictione,* aeque est Apostolici Beneplaciti » necessitas. *Card. De Luca etc...* Maxime vero quando contra- » ctus eiusmodi sit, ut etiam ad successores pertineat, quippe » quia aliter facto decessorum obligari non possint nisi omnibus » iuris solemnitatibus intervenientibus: unde fit ut transactio » non aliter valeat a Capitulo inita de rebus ac iuribus succes- » sivis nisi Apostolico Beneplacito fuerit confirmata... »

Hisce aliisque adductis censuit Defensor omnes speciales titulos, quibus Sodalitium innitebatur ad sua praesumpta iura tuenda, exclusos esse in praesenti quaestione; proindeque quodlibet dubium dirimendum esse contendebat ad normam dumtaxat communis iuris.

Ad primum autem quod attinet dubium, in quo de gestandi crucem sine velo appenso agitur, Parochus a disputatione disces-

sit, defensionem suo Episcopo relinquens; nihilominus Parochi Defensor non omisit adducere auctoritatem Ursayae *disc. eccl. t.* 3 *par.* 2 *disc.* 23 *n.* 54 in quo legitur «Permissio Archipresbyteri » nullo modo aptâ est impedire effectum resolutionum huius, » et aliarum Sac. Congr. Motivum enim prohibendi laicis con- » fratribus promiscuum usum illius crucis, qui communis est » clero saeculari, et regulari, non fuit favor vel respectus ali- » quis Parochorum; sed id fuit demandatum, et in omnibus ca- » tholicis civitatibus punctualiter practicatur, *ad evitandas con-* » *fusiones,* eo quia laicales confraternitates nullam omnino figu- » ram faciunt in ecclesiastica hierarchia etc. »

Defensio parochi circa secundum dubium. Monebat Defensor secundum dubium versari circa funebre officium, seu potius initium funebris officii. Etenim locali consuetudine in ea dioecesi receptum erat, ut in qualibet ecclesia non Rectores, non Parochi exequias persolverent, sed presbyter consanguinitate propinquior defuncto. Controversia itaque respiciebat dumtaxat Parochi ingressum cum stola in ecclesiam Sodalitii, in qua parochiani defuncti, ratione amplitudinis ecclesiae, saepe deferebantur.

Porro pluribus adductis auctoritatibus Defensor Parochi ostendere contendebat, inspecto communi iure ad Parochum pertinere non modo *ingressum* de quo in casu contenditur; sed etiam *funebre officium* Barbosa *de Parocho par.* 3 *c.* 26 *n.* 8. Monacellius *formul., leg. pract. tom.* 1 *tit.* 13 *n.* 70. *etc.*

Neque difficultatem parere debet (prosequebatur Defensor) diversa consuetudo quae Romae viget. De qua consuetudine rationem reddit Nicolius *in floscul. voc. Confraternitas n.* 20 affirmans: « Romae tamen hoc non servatur, ubi ut dixi, confra- » ternitatum ecclesiae et oratoria sunt exempta a Parochia. » Itaque exemptione cessante ius commune subintret oportet. Ad cumulum autem probationis adducebat Defensor Decretum citatum Urbis et Orbis ad dubium XX. Maxime cum adversus hoc ius favore Parochi non ostendebatur ex adverso viguisse consuetudinem.

Defensio parochi circa tertium dubium. — Receptissimum esse aiebat Defensor non posse sodalitia supplicationes ducere extra ecclesiae ambitum absque venia et cruce Parochi in cuius paroecia versantur. Pignatell. *consul.* 85 *tom.* 4 *n.* 2 et *tom.* 10 *cons.*

103 *n.* 19. Idipsum sancivit S. Rituum Congregatio in *Hispalen.* 26 *Februar.* 1628 quam refert Barbosa *de Parocho par.* 1 *cap.* 12 *num.* 13 – ibi – « S. Rituum Congregatio ad tollendas diffi- » cultates quae quotidie oriuntur circa processiones faciendas tam » per Regulares, quam per Confraternitates in ecclesiis Regu- » larium, inhaerendo decretis alias in similibus factis... cen- » suit in processionibus faciendis, tam per Regulares, quam per » Confraternitates laicorum ita in posterum servari debere, ut » in ecclesiis habentibus claustrum processiones fieri non pos- » sint, *nisi intra claustra tantum,* et non extra. In ecclesiis » vero carentibus claustro, fieri possint intra ambitum, hoc est, » prope muros ecclesiae, sive exeundo a ianua ecclesiae, et in- » trando per aliam, sive per eamdem, et semper prope muros » ecclesiae: extra vero ambitum ecclesiae non licere, neque Re- » gularibus neque Confraternitatibus facere processiones, nisi *de* » *licentia, consensu aut cum cruce Parochi,* exceptis tamen illis » ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium faciendi » processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum S. C. » non intendit praeiudicare. » Item S. Congregatio Concilii in *Bononien.* 14 Martii 1722 ad dubium XIV. Itemque sanxit cele- berrimum Decretum Urbis et Orbis ad dubia XXI, et XXII. Adducebantur autem a Defensore nonnulla testimonia, quae praesenti casu haud obstante transactione, videbantur ostendere, ius commune in hac re fuisse servatum.

Defensio parochi circa quartum dubium. — Paucis semet expe- diebat Defensor circa licentiam a Parocho per concionatorem verbi Dei petendam, adducta Barbosae auctoritate *in collect. Doct. ad Concil. Trident. sess.* 24 *de Reform. cap.* 4 *n.* 8 in quo hic auctor adnotat: « Debet Parochus licentiam concedere adproba- » tis ab Ordinario, praedicandi in sua parochia, ut asserit decisam » *Galet. in margarita casuum conscientiae verbo Parochus etc.*» Ac insuper adducebat monitum S. Caroli Borromaei in *Concil. Med. c.* 5. Et videbatur idem sancitum esse in lege dioecesana in dioecesi de qua agimus.

Defensio parochi circa quintum dubium. — Quamlibet disputa- tionem supervacaneam esse reputabat Defensor circa ultimum du- bium, quandoquidem Parochus non aliud sibi vindicare voluit, quam ea, quae ex communi iure derivant, quod ius determina-

tum accuratissime est in laudato Decreto Urbis et Orbis S. C. R. anni 1703 (1).

(1) DECRETUM URBIS ET ORBIS.— « Iurium parochialium functionum, et praeminentiarum inter Parochos, et Confraternitates Laicorum, earumque Capellanos et Officiales.

» Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos, et Confraternitates saeculares, earumque cappellanos, et Officiales super iuribus parochialibus, et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S.R.C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet.

1. « An Confraternitates Laicorum » legitime erectae in Ecclesiis Parochia- » libus habeant dependentiam a Parocho » in explendis functionibus Ecclesiasticis » non Parochialibus.»

Resp. *Affirmative.*

2. « An dictae Confraternitates ere- » ctae in Cappellis, Oratoriis tam publi- » cis, quam privatis adnexis Parochiali- » bus Ecclesiis, et ab eis dependentibus » habeant dictam dependentiam a Paro- » cho quoad dictas functiones.»

Resp. *Affirmative.*

3. « An Confraternitates erectae in » Ecclesiis publicis habeant quoad easdem » functiones aliquam dependentiam a Pa- » rocho, intra cuius Parochiae limites » sitae sunt Ecclesiae.»

Resp. *Negative.*

4. « An Confraternitates erectae in » Oratoriis tum publicis tum privatis se- » iunctis ab Ecclesiis Parochialibus,quoad » dictas functiones Ecclesiasticas habeant » dictam dependentiam a Parocho.»

Resp. *Negative.*

5. « An Benedictiones, et distributio- » nes Candelarum, Cinerum, et Palma- » rum sint de iuribus mere Parochia- » libus.»

Resp. *Negative.*

6. « An Benedictiones Mulierum post » partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Se- » minis, Ovorum, et similium sint de » iuribus mere Parochialibus.»

Resp. *Negative, sed Benedictiones Mulierum, et fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.*

7. « An functiones omnes hebdoma- » dae Sanctae sint de iuribus mere Pa- » rochialibus.»

Resp. *Negative, prout iacet.*

8. « An celebratio Missae solemnis » feria V. in Coena Domini sit de dictis » iuribus Parochialibus.»

Resp. *Negative, prout iacet, sed spectare ad Parochos.*

9. « An prima pulsatio Campanarum » in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus » Parochialibus.»

Resp. *Negative, prout iacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis PP. X. num.* 22 §. 14.

10. « An celebratio Missarum sole- » mnium per annum sive pro vivis, sive » pro defunctis sit de dictis iuribus Pa- » rochialibus.»

Resp. *Negative, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii, ut in Brundusina sub die* 1 *Iulii* 1601.

11. « An expositio quadraginta hora- » rum, et benedictio, quae fit super Po- » pulo sit de dictis iuribus mere Paro- » chialibus.»

Resp. *Negative.*

12. « An expositio, quae fit cum Reli- » quiis, et Sacris Imaginibus, et bene- » dictio quae cum eis fit super Populo » sit de dictis iuribus Parochialibus.»

Resp. *Negative, et quoad Benedictiones cum Reliquiis, et Imaginibus serventur Decreta.*

Hisce aliisque per Defensores copiosissime disputatis proposita sunt dirimenda

13. « An functiones in praecedentibus » octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 » expressae, peragi possint in Oratoriis » privatis, contradicente Parocho.»

Resp. *Satis provisum in superioribus.*

14. « An in dictis Oratoriis privatis » Confraternitatum per Confratres statis » horis recitari possint horae Canonicae » cum cantu, vel absque alia licentia Pa» rochi.»

Resp. *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. « An in dictis Oratoriis privatis » sit licita celebratio Missae privatae, » assentiente Ordinario loci, et contra» dicente Parocho.»

Resp. *Affirmative.*

16. « An Cappellani Confraternitatum » possint Populo denunciare Festivitates » et Vigilias occurrentes in hebdomada » absque licentia Parochi.»

Resp. *Affirmative.*

17. « An Parochus, invitis confratri» bus, docere possit doctrinam Christia» nam in predictis Ecclesiis, et Oratoriis » publicis, vel privatis a Parochiali di» visis, et separatis.»

Resp. *Negative.*

18. « An in saepedictis Ecclesiis pu» blicis Confraternitatum possint haberi » publicae conciones, etiam per totum » cursum Quadragesimae, vel Adventus » cum licentia Ordinarii, et absque li» centia Parochi.»

Resp. *Affirmative.*

19. « An in eisdem Ecclesiis possit ce» lebrari Missa sive lecta sive cantata » ante Missam Parochialem sive lectam » sive cantatam.»

Resp. *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

20. « An ad Parochum spectet facere » Officium funebre super cadaveribus se» peliendis in saepedictis Ecclesiis, et » Oratoriis publicis Confraternitatum.»

Resp. *Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia, vel Oratorium.*

21. « An intra ambitum earumdem » Ecclesiarum fieri possint Processiones, » iuxta cuiusque Confraternitatis Institu» tum, absque interventu, vel licentia » Parochi.»

Resp. *Affirmative.*

22. « An eaedem Processiones fieri » possint extra ambitum dictarum Ec» clesiarum, absque licentia illorum Pa» rochorum, per quorum territorium » transeundum est.»

Resp. *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

23. « An in dictis Processionibus » Cappellani Confraternitatum possint » deferre stolam.»

Resp. *Negative extra propriam Ecclesiam.*

24. « An Episcopo accedenti ad Ec» clesias publicas Confraternitatum, quae » non sint Regularium, neque proprium » Rectorem Beneficiatum habeant, porri» gendum sit aspersorium a Parocho, in » cuius territorio sunt sitae dictae Ec» clesiae.»

Resp. *Negative.*

25. « An earumdem Ecclesiarum, et » Confraternitatum Rectores, et Cappel» lanos possit Parochus, cessante spe» ciali ac legitimo titulo, et ex solo iure » Parochialitatis, compellere invitos ad » assistendum functionibus Ecclesiae Pa» rochialis.»

Resp. *Negative.*

26. « An in saepedictis Ecclesiis Con» fraternitatum neque Parochialibus ne» que Regularibus, retineri possit SS. Eu» charistiae Sacramentum sine speciali » Indulto Sedis Apostolicae.»

Resp. *Negative.*

Dubia.

I. « An et quomodo Sodalitio ius competat deferendi crucem » sine velo in casu. »

II. « An et quae exemptio eidem Sodalitio competat in fu- « neribus a Parocho in casu. »

III. « An et quae exemptio eidem Sodalitio competat in pro- » cessionibus a Parocho in casu. »

IV. « An et quae eidem Sodalitio competat exemptio quoad » verbi Dei praedicationem in casu. »

V. « An et quas functiones peragere possit Sodalitium inde- » pendenter a Parocho in casu. »

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii causa discussa die 25 Iunii 1864 respondere censuit:

27. « Praesupposita facultate retinen- » di, an possit infra annum publice ex- » poni, sine licentia Ordinarii.»

Resp. *Negative.*

28. « An possit Parochus se ingerere » in administratione oblationum, et elee- » mosynarum in saepedictis Ecclesiis re- » collectarum, vel capsulae pro illis re- » cipiendis expositae clavem retinere.»

Resp. *Negative.*

29. « An in Ecclesia Parochiali Con- » fratres, vel eorum Cappellani immiscere » se valeant, invito Parocho, in eiusdem » Ecclesiae functionibus sive parochiali- » bus sive non parochialibus.»

Resp. *Negative.*

30. « An Confraternitates sive sint » erectae in Ecclesia Parochiali, sive » extra illam, possint pro libitu, et iuxta » uniuscuiusque peculiaria statuta Con- » gregationes suas facere, absque inter- » ventu, vel licentia Parochi.»

Resp. *Affirmative, dummodo non impediant functiones, et Divina Officia.*

31. « An possint propria bona admi- » nistrare, ac de illis disponere, absque » ulla dependentia a Parocho.»

Resp. *Affirmative.*

32. « Quando Parochus eisdem Con- » gregationibus intersit de mandato Or- » dinarii, et tamquam eius delegatus, an » possit suffragium decisivum ferre. Et » quatenus affirmative.»

Resp. *Negative.*

33. « An etiam suffragium duplex.»

Resp. *Negative.*

«Et ita, salvis tamen conventionibus, et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter Partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus, et provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, ac decrevit: si SSmo Domino Nostro videbitur.»

Die 10 Decemb. 1703.

«Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Dño Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, SSmus laudavit, benigneque approbavit, et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit.»

Die 12 Mensis Ianuarii 1704.

Ad I. *Affirmative* (1).

Ad II. *Affirmative pro defunctis in Hospitali; in reliquis servetur responsum XX. Decreti Urbis et Orbis SS. RR. Congregationis 10 Decembris 1703.*

Ad III. *Affirmative per consuetas processiones etiam circa ambitum externum ecclesiae, et proximam plateam, in reliquis negative nisi adsit licentia Episcopi.*

Ad IV. *Servetur idem Decretum in responso ad dubium XVIII.*

Ad V. *Affirmative in omnibus quoad functiones ecclesiasticas non parochiales ad formam praedicti Decreti in responso III., et IV.*

Ex iis colliges:

I. SS. Congregationes non recedere in huiusmodi quaestionibus dirimendis a Decreto Urbis et Orbis SS. Rituum Congregationis diei 10 Decembris 1703.

II. Huic Decreto non derogari per conventiones quae destitutae sint Apostolico Beneplacito, quamvis in iis ineundis Episcopi consensus intervenerit.

III. Eiusmodi conventiones non legitime confirmatas, quamvis, si antiquae sint, interdum possint quosdam gignere iuridicos effectus, puta consuetudinis sive praescriptionis, vel etiam causam exhibere possint ob iugem observantiam, cur a S. Sede confirmentur; attamen in se consideratas vim obligandi non habere.

IV. Quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

(1) Sacra Congregatio in hoc primo dubio recessit a communi iure: causa autem recedendi fuisse videtur consuetudo immemorabilis, quae favore Sodalitii militabat, quae neque simplex erat, sed caracteres speciales praescriptionis praeseferebat. Namque, licet eiusmodi consuetudines immemorabiles praesumere faciant legitimum titulum, imo etiam Apostolicum privilegium, in iis iuribus in quibus privilegium hoc praesumi potest; in praesenti casu aliquid amplius quam praesumptio simplex vigebat. Certum namque erat seclusis caeteris Sodalitium praeclaro privilegio gaudere ex supra relato Decreto C. SS. RR. anni 1604; insuper in contradictione partium anno 1711, haec consuetudo permansit; neque eiusmodi praegestatio crucis sine velo appenso, quae propria censetur ordinis clericalis, aliquid prorsus abnorme in eo Sodalitio praeseferre videbatur, cui non parvus Clericorum numerus erat addictus.

SS. FUNCTIONUM.

Die 28 *Maii* 1864. *Sess.* 24 *c.* 13 *de Reform.*

Compendium facti. Quoddam Monialium monasterium, fundum ruralem possidebat in loco, qui ab ecclesia paroeciali duobus circiter passuum millibus distabat. Monasterium in ea possessione ad circumstantium Colonorum solatium, publicum Oratorium e fundamentis anno 1776 iterum erexit, et B. V. Mariae Gratiarum dicavit ob prodigiosam imaginem quae depicta in diruto pariete reperiebatur. Ipsum autem Monasterium prospiciebat celebrationi Missae per Capellanum diebus festis de praecepto. Feria autem secunda Pentecostes, qua die Oratorii Titulus recolebatur, solemne festum fiebat, vocato Parocho cum suo clero.

Anno 1809 cum piorum locorum bona sagrilege ab invasore Gallico Gubernio direpta et publicata essent, illius fundi possessionem una simul cum Oratorio habuit Titius, qui solicitus de fundo empto, nihil curae impendere visus est de Oratorii cultu, ac si haec Oratorii cura in ipsum non incumberet. Quare ipsimet pii Coloni suis expensis curarunt, ut statis diebus, et Missa, et festivitas celebraretur; Festivitas autem isthaec celebrabatur a Parocho a Colonis rogato, quemadmodum Moniales consuevisse dicebantur.

Verum anno 1859 illum fundum emit pius Eques N. cum adnexo Oratorio, quod in emptionis et venditionis instrumento, *patronale* dicebatur. Hic emptor Oratorium iam fatiscens instauravit, ornatuque auxit, curavitque etiam ut SS$\tilde{\text{m}}$i benignitate illud indulgentiis ditaretur. Cum autem pius Eques animum intenderit ad erigendum in eo Sacello laicalem Capellaniam cum onere celebrandi Missam bis in hebdomada, agendique per Capellanum caeteras ecclesiasticas functiones, parochialibus functionibus tantum exceptis; adversus restitit Parochus nonnulla sibi vindicans iura super dicto Oratorio. Contendebat scilicet Parochus se ius habere celebrandi quotannis festum Titularis diem cum cleri interventu iuxta servatum morem: quaerebat insuper ut Oratorium fidelium commoditati, quoties ipsi requi-

*

rerent, pateret, neque Equiti N. fas esse aiebat Oratorii claves apud se retinere. De more audita relatione Episcopi, caeterisque servatis, duo dubia quae in calce habentur S. Congregationi Concilii dirimenda proposita sunt.

Disceptatio synoptica.

Parochi defensio. — Insistebat Parochus sequentibus rationibus, ut iura quae praetendebat defenderet; aiebat scilicet Equitem N. nullum iuspatronatus habere super eo Oratorio; emerat enim fundum a Titio, qui huic iuripatronatus renunciaverat; proindeque ius sibi non poterat vindicare Eques N., quod Titius per fundi venditionem in eum non transtulit, quodque populus acquisivisse videbatur. Quare Eques N., quamvis laudandus esset ob suam pietatem in instaurando Sacello, eoque piis operibus ditando; attamen prohibere non poterat quominus Parochus festum diem celebraret prouti moris erat, neque circumstanti populo impedire quominus Sacellum pro sua libertate et devotione inviseret, piasque oblationes pro Missarum celebratione faceret, caeteraque prouti moris erat perageret. Haec enim fieri non poterant si Eques Oratorii clavem apud se retineret.

Ad ius autem vindicandum celebrandi quotannis festivitatem, allegabat Parochus consuetudinem, cuius memoria ascendebat ad annum 1800, quae consuetudo usque ad id tempus iugiter perseveraverat.

Defensio equitis. Defensorem suorum iurium in Urbe Eques constituit, qui sic disputabat. Neminem latere qui longe iurisprudentiae ecclesiasticae limina salutaverit, fundatione et constructione ecclesiae iuspatronatus acquiri, idemque reale nominari si fundo adhaereat, Gagliardi *de iure patr. c.* 3. §. 11. Item iuspatronatus cum fundo cui adhaeret, transit; ideoque emptione fundi in emptorem hoc iuspatronatus sine pretio transmittitur, *Cap. Ex literis de iurepatronat.* Compertum insuper est, Pium VII. fel. rec. deleto dominio Gallici invasoris, confirmasse sua Apostolica auctoritate contractus initos super ecclesiasticis bonis. Quare concludebat Defensor, iuspatronatus Oratorii transiisse prius in Titium, deinde autem cum fundo empto in Equitem N.

Ad obiectionem autem, qua dicebatur Titius huic iuripatronatus renunciasse, vel illud amisisse, respondebat Defensor di-

cens: abdicationem iurispatronatus non esse praesumendam, sed concludenter probandam, quemadmodum probari debet quaelibet iurium cessio vel renunciatio, quae in facto consistunt. Porro in casu neque privatus fuerat Titius hoc iure, formali Episcopi decreto, prouti opus fuisset; quin imo animi declaratio in instrumento venditionis fundi facta, qua Oratorium *patronale* dicebatur, renunciationis praesumptionem excludebat; uti docet Menoch. *de Praesumpt. l.* 1 *q.* 55 *n.* 11.

Sed propius quaestionem urgens Defensor monebat, certum in iure esse ecclesiam parochialem nulla iurisdictione pollere super aliis ecclesiis intra paroeciae fines extantibus, et Oratorium de iurepatronatus laicorum, a Parocho non pendere circa functiones quae parochiales non sint, nisi Parochus speciali iure vel privilegio gaudeat, *Cap. ult. de Offic. Archid. Cap. Dilectus de Capel. Monach.* Quae autem sint functiones parochiales, caeteris omissis, docet Benedictus XIV. in *Institut.* 105 adducto generali SS. Rituum C. Decreto Urbis et Orbis diei 10 Dec. 1703, ad cuius Decreti formam saepe S. Congregatio Concilii similes quaestiones resolvit, et nominatim in *Reatina SS. Functionum* die 13 Ianuarii 1854 et in altera *Marsorum SS. Functionum* 26 Iunii 1858, in qua, quaestio huic nostrae simillima agitata erat, et ad dubium: « an liceat Patronis Vetoli celebrare facere Missas solemnes, » aliasque sacras functiones non parochiales, praesertim die festo » S. Anatoliae in eorum publico Oratorio per Capellanum alios- » que presbyteros independenter a Parocho: » responsum fuit: *affirmative ad formam Decreti Urbis et Orbis S. C. Rituum diei* 10 *Decemb.* 1703.

Quod vero respiciebat obiectam a Parocho consuetudinem, animadvertebat inter caetera Defensor, quod etsi verae haberentur Parochi assertiones, eas tamen non sufficere ad constituendum ius illud, quod Parochus vindicabat canendi scilicet in dicto Oratorio Missam feria secunda Pentecostes. Aiebat enim iuxta citatum Decretum anni 1703, ut hoc ius Parochus vindicaret, requiri consuetudinem immemorabilem vel saltem centenariam, quae longaeva consuetudo in casu non habebatur. Neque locum habere potuit praescriptio; namque Parochus non suo iure seu ratione officii parochialis ad solemnitatem celebrandam accesserat, sed a Patronis rogatus. Facultas igitur a Pa-

tronis Parocho fiebat, ob quam facultatem quotannis concessam, praescriptio induci non poterat. Actus enim mere facultativi praescriptionem non inducunt De Luca *de Benef. p.* 1 *disc.* 89 *n.* 13 aliique.

Ad clavis vero retentionem quod spectat, adnotabat Defensor, eiusmodi quaestionem induci a Parocho ad obscurandam Equitis N. pietatem. Namque pius Eques suis ipse manibus, dum ruri morabatur, Oratorii fores petentibus aperiebat, et cum reliquisset rusticationis domum, Colono claves tradidit ut antea a Titio fieri solebat. Merito insuper Eques N. renuit claves ipsas penes Parochum deponere, cum claves dominium et iurisdictionem denotent iuxta *textum in l. Clavibus ff. de contrahen. empt.*, et earum custodia inter iura Patronatus adnumeratur, Mantissa ad Card. de Luca *tom.* 3 *l.* 13 *dec.* 4 *n.* 3 et S. Rota *decis.* 1311 *n.* 3 *et seq. coram Emerix;* quod dominium, et iurisdictionem super Oratorio Parochus nullatenus habebat.

Quare proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An liceat (Equiti N.) celebrare facere Missas solemnes, » aliasque sacras functiones non parochiales, praesertim feria » secunda Pentecostes in publico Oratorio per Capellanum, alios- » que Presbyteros independenter a Parocho in casu. »

II. « An et quomodo eidem (Equiti) retinere liceat claves » Oratorii in casu. »

Resolutio. — Sacra Coogregatio Concilii causa cognita die 28 Maii 1864 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative ad formam Decreti Urbis et Orbis Sacrae Congregationis Rituum diei* 10 *Decemb.* 1703 (1).

Ad II. *Affirmative.*

Ex iis colliges:

I. Quamvis iuspatronatus sine simoniae labe neque vendi, neque emi possit; attamen fundorum emptione, quibus hoc ius reperiatur adnexum, in emptorem transferri.

II. Hoc contigisse in praesenti casu, quo iuspatronatus in primum emptorem Titium cum fundo transiit, et deinde in se-

(1) Hoc Decretum habes pagina 591 in nota.

cundum; quamvis primus emptor patroni onera sustinere, uti par erat, visus non fuerit.

III. Colliges insuper Parochum ratione parochialis officii, iurisdictionem non habere super publicis Oratoriis, quae forte reperiantur intra fines suae paroeciae.

IV. Quare ad Rectorem Oratorii spectat, aliorumve quorum interest, celebrare independenter a Parocho ecclesiasticas functiones, servatis servandis, dummodo hae functiones parochiales non sint.

SERVITII CHORI.

Die 21 *Martii* 1863. *Sess.* 23 *c.* 1 *de Reform.*

Compendium facti. Episcopus N. insignem collegiatam ecclesiam S. Andreae Apostolo dicatam in quadam suae dioecesis civitate erigi curavit. In Apostolicis itaque Literis anno 1856 expeditis facta est Episcopo facultas insignem collegiatam erigendi. Inter alias autem praescriptas in iisdem Literis leges, hae habebantur, quae onera Canonicorum respiciebant: « qui (Ca- » nonici) integram choralem officiaturam singulis per annum fe- » stivis diebus, ac in omnibus festivitatibus, quas vocant pri- » mae classis, comprehensis primis vesperis, nec non per totam » octavam Corporis Christi peragere, ac Missam conventualem » pro Benefactoribus in genere ad formam Constitutionis fel. » rec. Benedicti P. XIV. Praedecessoris Nostri incip. *Cum sem-* » *per oblatas,* applicare etc. »

Dubium itaque exortum est inter Canonicos, an ipsi ad chorale servitium tenerentur diebus festis quos dimidiatos, vel sublatos, aut suppressos vocant. Cum autem Episcopus paulisper anceps in hac re videretur, dubium propositum fuit S. Congregationi Concilii. Ratio porro dubitandi in eo sita erat, quod licet Pius VII. fel. rec. in dierum festorum suppressione noluerit imminuere obligationes, quae in singulas ecclesias incumbunt; attamen, cum erectio huius insignis Collegiatae posterior ea lege

sit, non videbantur verba illa - *singulis per annum festivis diebus* - comprehendere dies festos suppressos.

Disceptatio synoptica.

Nonnulla *ex officio* adducebantur, quae ostendebant quaenam sit Apostolicae Sedis mens in eiusmodi festorum suppressione. Adnotabatur scilicet SS. Rituum Congregationem die 23 Maii 1798 declarasse, ut circa functiones ecclesiasticas nihil innovaretur in eiusmodi festis suppressis. Benedictus XIV pluries super hac re rogatus, ac nominatim die 1 Septembris 1745 cum provincias quasdam Regni Poloniae super duplici obligatione cum fidelibus dispensavisset, expresse addidit: « Non intendimus » aliquid innovari tam quoad servitium chori, quam quoad cele- » brationem divinorum officiorum. »

Nec aliter praestitit SS$\tilde{\text{m}}$us D. N. Pius IX., qui die 6 Sept. 1853 festorum reductionem in Sardiniae Regno concedens, edixit: « hac vero festorum dierum imminutione nihil innova- » tum volumus, ac mandamus circa sacram Liturgiam in ec- » clesiis servandam. » Quin imo idem Summus Pontifex in celebri Encyclica diei 3 Maii 1858, eamdem perpetuo fuisse docet mentem RR. Pontificum circa dierum festorum reductionem. Sic enim Catholicae Ecclesiae Pastores alloquitur: « Quamvis Romani » Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum peti- » tionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, » et gravibus rerum temporum et locorum rationibus permoti, fe- » stos de praecepto dies imminuendos censuerint, ut populi hi- » sce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum au- » dire deberent; tamen iidem Praedecessores Nostri, in hisce » indultis tribuendis, integram inviolatamque legem esse volue- » runt, ut scilicet praedictis diebus, nihil in ecclesiis unquam » innovaretur, quoad consuetum divinorum officiorum ordinem » et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur, quo » ante peragi solebant. »

Hac igitur inspecta Pontificum agendi ratione colligi posse videbatur, quod suppressione quorumdam festorum, ecclesiasticae legi derogatum sit favore dumtaxat christianae plebis. Namque in diei festi conceptu duo continentur, alterum quod populum respicit, idest vacatio ab operibus servilibus, et diei san-

ctificatio: alterum vero quod ad Ecclesiasticos pertinet, idest cultus ministerium, divinaque officia, ac praesertim sacrificia certo ritu certisque solemnitatibus peragenda. Porro cum ex adductis exemplis Indultum tantummodo favore populi concessum constanter appareat, consequi videbatur festos dies, qui suppressi dicuntur, ad ecclesias quod attinet, proprie et vere festos permansisse. Quare concludebatur, in praesenti casu obligationes Canonicis impositas in Collegiatae erectione dies festos suppressos, respicere, non tamquam suppressos, sed tamquam in pristina festivitatis conditione vigentes. Hisce aliisque adnotatis proponebatur dirimendum

Dubium.

« An Canonici Collegiatae ecclesiae S. Andreae teneantur ad » choralem officiaturam in festis etiam suppressis in casu. »

Resolutio. — Sacra Congregatio Concilii die 21 Martii 1863 rescripsit: *affirmative.*

Ex iis colliges:

I. Indulta favore christianae plebis concessa, quibus dies festi supprimi dicuntur, praeter obligationes quas auferunt, abstinendi scilicet ab operibus servilibus, vel etiam audiendi Sacrum, nihil aliud operari.

II. Quare in ecclesiastica ratione loquendi, dies festi appellantur et sunt, atque caetera omnia secumferunt, quae ad cultum divinum et sacra ministeria pertinere dignoscuntur.

Die 24 *Septem.* 1864, *et* 26 *Novemb.* 1864. *sess. c.* 1 *de Reform.*

Compendium facti. Benedictus XIV. duabus suppressis paroeciis cum suis titulis in dioecesi A., earumdem bonis unicam ecclesiam parochialem constituit, eamque in insignem collegiatam erexit. Cura habitualis Capitulo, actualis vero cura duobus Vicariis perpetuis, totidemque coadiutoribus ad nutum Capituli amovibilibus demandata est; ea adiecta lege, ut servata pristina divisione populorum, uterque Vicarius suum populum haberet quem regeret.

Vicarius capitularis (ea enim dioecesis suo Episcopo viduata erat) sequentia S. Congregationi referebat: «Quoniam duae Vicariae » perpetuae constitutae sunt per modum unius et habent unicam » ecclesiam parochialem, et unicum Rectorem principalem, nem- » pe Capitulum, etsi retenta fuerit distinctio antiqua duorum » populorum, tamen ab initio usque in praesens, unica Missa » pro populo diebus festis celebrata fuit alternatim a duobus » Vicariis perpetuis..... Moderni Vicarii perpetui autumant, alte- » rum eorum, die quo non tenetur Missam applicare pro populo, » posse eam celebrare in quacumque ecclesia, etiam rurali, modo » prius muneri audiendarum Confessionum Sacramentalium sa- » tisfecerit.»

Itaque controversia orta est inter Vicarios et Capitulum: negabant videlicet Vicarii se teneri ambos Missam pro populo celebrare, et applicare; affirmabat autem Capitulum eiusmodi onus illis inhaerere. Imo Canonici plenis suffragiis sequentem articulum constitutionibus capitularibus addiderunt, videlicet: «Ambo » Vicarii perpetui debent, et tenentur per se omnibus diebus » festis Missam celebrare in ecclesia collegiata ad populi com- » moditatem.»

Cum vero Sabbato maioris hebdomadae, alter ex Vicariis ad domos benedicendas ante meridiem sese conferre soleret, alter autem benedictioni fontis baptismalis adsistere, ex hoc etiam capite, alia quaestio exorta est; ac proinde Canonici alterum articulum dictis constitutionibus addiderunt, hisce verbis: « Sab-

» bato Sancto, utrique Vicarii perpetui adsint benedictioni fontis » baptismalis faciendae a Canonico hebdomadario.» Quaestiones autem S. C. C. propositae, sub duabus dubitandi formulis, quae in calce habentur comprehensae sunt.

Disceptatio synoptica.

Ea quae deducebant sui favore canonici circa primum dubium. Canonici in suis deductionibus quam maxime insistebant, ut ostenderent utrumque Vicarium perpetuum teneri diebus festis Missam *celebrare* in ecclesia collegiata ob populi commoditatem, quamvis alternatim alter eorum reputaretur exemptus ab onere Missam pro populo applicandi. Rationes autem quibus id ostendere contendebant, ad has reducuntur: Benedictus XIV. in ipsa collegiatae ecclesiae erectione facultatem Capitulo Apostolicis Literis fecit condendi *quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta ac sacris Canonibus.... minime contraria, et per Ordinarium loci examinanda et approbanda:* atque inde concludebant facultatem inesse Capitulo id constitutionibus suis addere, quod in ampliorem divini cultus decorem cedat; proindeque imponere posse utrique Vicario obligationem celebrandi diebus festis Missam ad populi commoditatem.

Observabant insuper Canonici, esse quidem unam ecclesiam parochialem, duos tamen populos invicem distinctos habere, duosque Parochos eorum spiritualem curam gerere; ac proinde ambobus inesse onus pascendi populum, eumdemque spiritualiter aedificandi, ut notat Barbosa *ad Conc. Trid. sess.* 23 *c.* 14 *de Reform.* Porro non aedificationi, sed admirationi esset populo Parochus ille, qui diebus festis, pinguiori inhians eleemosynae, non in sua, sed in aliena ecclesia celebraret.

Huic obligationi utrumque Vicarium subesse Canonici contendebant, etiamsi alteruter alternis vicibus dumtaxat applicare Missam pro populo teneretur; quia *obligatio ad celebrandum, et obligatio ad applicandum sunt diversae,* ut ait Barbosa *de Offic. et potest. Paroch. par.* 1 *cap.* 11 *n.* 10. Quare si ab obligatione applicandi Missam eximantur propter paroeciae unitatem, ab altera certe sese Vicarios liberare non posse Canonici putabant propter populi distinctionem: obligatio enim isthaec ab obligatione

pascendi procedit, ac ubi duo sunt populi, duo adesse debent pastores qui eos pascant.

Accedit, quod Concilium Tridentinum *sess.* 22 *Decret. de observ. et vit. in celebr. Missae,* cum statuerit praemonendum esse populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, et maioribus festis, accedant; inutilis haec praescriptio evasura dicebatur, si in parochiali ecclesia non adsit proprius Parochus a quo populus *vim et usum* Sacramentorum edoceatur, *nec non inter Missarum solemnia aut divinorum celebrationem sacra eloquia, et salutis monita.... vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanentur; eademque in omnium cordibus. . . . inserantur,* ut idem Concil. *sess.* 24 *cap.* 6 *de Reform.* praescribit.

Hac profecto de causa factum fuisse Canonici aiebant, ut Benedictus XIV. in Const. *Cum semper oblatas* permiserit quidem Episcopis ut facultatem facerent iis Vicariis perpetuis, qui vere inopes essent, recipiendi eleemosynas pro Missis diebus festis celebrandis, sed hoc ea lege eis permisit, ut *ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali celebrarent.* Ex quo concludebant maiorem esse obligationem celebrandi diebus festis ad populi commoditatem, quam applicandi Missam pro eodem.

Ea quae canonici adducebant circa secundum dubium. — Circa adsistentiam Vicariorum fonti baptismali Canonici adnotabant dumtaxat, quod iuxta sacros Canones Parochi omnes ecclesiarum filialium interesse debent in ecclesia matrici, quando sacer fons benedicitur; potiori ergo iure ad hoc teneri omnes Vicarios concludebant, quando in ipsa Vicariorum collegiata ecclesia hic sacer ritus peragitur.

Ea quae adducebant vicarii circa primum dubium. — Vicarii e contra rationibus a Canonicis allatis respondebant: licet servata sit populorum distinctio, unam tamen esse ecclesiam, unam paroeciam, unumque Parochum; atque idcirco unum dumtaxat saeerdotem teneri diebus festis Missam pro populo celebrare, et applicare: habere insuper Capitulum facultatem condendi statuta, sed non ea quae in damnum tertii cedant: probari a se distinctionem inter obligationem celebrandi et applicandi, sed quando ad applicandam Missam unus eorum non tenetur, neque tene-

tur ad eamdem in collegiata ecclesia celebrandam, cum unica tantum non modo applicatio, sed etiam celebratio Missae parochialis a ss. Canonibus praescribatur: concessisse Benedictum XIV. Vicariis egenis, ut applicationem Missae pro populo infra hebdomadam differrent, celebrationem autem differri non permisisse ut populus praecepto audiendi Missam faceret satis, et Dei verbum excipere posset: haec autem a se praestari, atque unam Missam satis esse: neque aliam fuisse mentem Patrum Tridentinorum hac super re, quia unam tantum Missam parochialem memorant non duas, aut plures. Quod si Canonicis non satis consultum per unam Missam videretur spirituali populi necessitati, monebant iidem Vicarii, in ipsos Canonicos onus incumbere prospiciendi spirituali populi necessitati, cum bona omnia parochialia Capitulo adiudicata fuerint.

Ea quae adducebant vicarii circa secundum dubium. — Circa adsistentiam benedictioni fontis baptismalis Vicarii aiebant, idcirco alterum Vicarium non adesse, quia longinquum iter aggressurus erat ut domibus parochianorum per agros dissitis, benedicere posset, ac propterea legitime impeditum esse censendum.

Hisce rationibus utrinque expositis nonnulla adiungebantur *ex officio*. Observabatur nimirum in praesenti casu agi de unione paroeciarum extinctiva, atque unicum in ea Parochum esse constitutum, nempe Capitulum cui cura habitualis delata est, et eos qui curam actualem gerunt, non plurium parochorum Vicarios esse, sed unius tantum. Porro cum singuli Parochi singulas Missas pro populo celebrare et applicare diebus festis teneantur, sequi inde videbatur, eos Vicarios, qui unius Parochi vices gerebant, ad unicam Missam in collegiata ecclesia celebrandam teneri.

Atque in hunc sensum S. C. C. huiusmodi controversias pluries resolvit. In causa *Ripana Iurium parochialium* 20 Nov. 1762 circa actualem animarum curam unius eiusdemque ecclesiae, quae penes Praepositum et Beneficiatos erat, sequens decretum a S. Congregatione firmatum traditur: *Doctrinam christianam, tam Praepositus, quam Beneficiati simul publice docere debeant statutis temporibus: Missam vero parochialem teneantur alternatim celebrare et applicare; in eaque qui celebrat, Evangelium explicet.*

In *Nuscana* 17 Ian. 1756 proposito dubio: « An Canonici » Collegiatae ecclesiae S. Mariae de Plano.... teneantur unam » Missam pro populo diebus festis celebrare, seu potius tot Mis- » sas pro populo diebus festis celebrare, quot sunt parochiales » ecclesiae illi unitae: » responsum prodiit: *affirmative ad primam, negative ad secundam.*

In *Balneoregien. Missae parochialis* die 19 Augusti 1713 relata in *Thesauro an.* 1740, ad dubium VII. « An quatenus Missa » parochialis sit celebranda diebus festivis a Canonicis Curatis.... » sufficiat celebratio, et applicatio unius Missae pro populo, seu » potius ambo Canonici Curati teneantur ad applicationem su- » pradictae Missae, rescriptum fuit: » *sufficere unicam celebrationem, et applicationem.*

Hisce aliisque adductis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An uterque Vicarius perpetuus teneatur omnibus diebus » festis Missam in parochiali ecclesia pro populo celebrare, et » applicare in casu. »

II. « An uterque Vicarius perpetuus benedictioni fontis ba- » ptismalis adesse debeat in casu. »

Responsio. Sacra Congregatio Concilii Die 24 Septembris 1864 respondere censuit: ad I. *Negative.* Ad II. *Iterum proponatur.*

Causae prosecutio circa secundum dubium. — Cum S. Congregatio mandaverit ut iterum secundum dubium proponeretur, in nova huius dubii propositione sequentia *ex officio* adducebantur. Benedictus XIV *Instit. eccles.* 1 *n.* 1 enarrata huius sacri ritus historia, eiusque vetustissima origine, refert, non semel declaratum esse per Sacras Congregationes, interesse debere benedictioni fontis baptismalis in cathedrali ecclesia Canonicos et Clericos universos qui eidem adscripti sunt: in aliis vero ecclesiis, Parochos et reliquos Sacerdotes et Clericos, iisdem adscriptos, prout etiam docent Braschius in *promptuario synod. cap.* 5 *n.* 29. Cardin. Petra in *Constit. Apost. t.* 3 *const. Inn. IV. sect. un. n.* 19 in quo hic Auctor refert S. Congregationem Concilii in causa *Savonen.* 17 Novemb. 1691 respondisse, Parochos in ecclesiis cathedralibus quibus subiiciuntur adesse debere, cum

solemnis consecratio fontis baptismalis, quotannis renovatur, *Lib.* 41 *Decret. pag.* 296.

Quare in praesenti casu uterque Vicarius videbatur teneri consecrationi fontis interesse, praesertim cum Sabbato Sancto, prohibeatur impertiri benedictio alia aquâ ac eâ, quae ex sacro fonte ante chrismatis infusionem hauritur, iuxta verba Rituali, quae sic se habent: « Parochus sive alius Sacerdos..... » cum ministro deferente vas aquae, ex benedictione fontium » ante infusionem chrismatis acceptae, visitet domos suae Paro- » chiae. » Hinc Catalanus *Comment. in Ritual. Rom. part.* 2 *cap.* 4 eos Parochos redarguit, qui occasione vastitatis urbium nonnullis diebus anticipare benedictionem audent.

Huic enim muneri obeundo in amplis paroeciis prospicere potest Parochus per alios sacerdotes, qui opem ipsi afferant, quemadmodum innuit etiam Rituale Romanum in relatis verbis; ac pariter S. Carolus Borr. in Concilio provinciali VI. *tit. de sacramental.* tradit, et praxis quae in Alma Urbe obtinet, huic usui suffragatur.

His animadversis circa secundum dubium, cum praeterea Canonici iterum postularent, ut etiam primum dubium in examen revocaretur, sub consueta dubitandi formula, primum dubium quoque iterum propositum est. Animadvertebant porro Canonici, populi commoditatem exigere, ut diebus festis abundent Missae in parochiali ecclesia, cum maior iis diebus sit fidelium frequentia, et incongruum videatur, ut qui curam animarum exercet, quique quotidie forsan in sua ecclesia celebrat, in Dominicis aliisque festivitatibus ab eadem abscedat, maioris forsan lucri causa alibi Missam celebraturus.

Quare iterum proposita sunt

Dubia.

I. « An sit standum, vel recedendum a decisis in primo du- » bio in casu. »

II. « An uterque Vicarius perpetuus benedictioni fontis bapti- » smalis adesse debeat in casu. »

Resolutio. — Sacra Congregatio Concilii causa in examen revocata die 26 Novembris 1864 respondere censuit: ad I. *in decisis et amplius.* Ad II. *affirmative.*

Ex iis colliges:

I. Non obstare unioni paroeciarum plenariae et extinctivae populorum distinctionem qui ad paroeciam distinctas ante unionem pertinebant.

II. Quin imo non obstare dictae extinctivae unioni, si pro numero populorum totidem etiam praeficiantur Vicarii perpetui, qui titularem Parochum repraesentent.

III. Quare unica manente poroecia, unica pariter obligatio est celebrandi Missam diebus festis, eamque pro populo applicandi, cui obligationi satisfacere possunt Vicarii vices alternantes.

IV. Colliges insuper benedictionem domorum Sabbato Sancto a Parocho faciendam peragi non debere ante fontis baptismalis benedictionem, ex quo aqua benedicta primo haurienda est.

V. Incommodo autem ex amplitudine paroeciarum derivanti, posse occurri per alios Sacerdotes, qui opem in hoc munere Parocho ferant.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Die 27 *Iunii* 1863.

Summaria precum. Pius Testator N. sine filiis decedens integrum haereditarium assem suae uxori reliquit, ita ut uxor esset usufructuaria omnium bonorum quoad viveret, ea autem demortua, ex integro asse haereditario capellania ecclesiastica (1) erigeretur in Archipresbyterali ecclesia oppidi A. Capellanum a Curia episcopali nominari statuit, ac praeferri in huiusmodi nominationibus voluit Sacerdotes e suis familiis. Praecepit insuper ut Capellanus in sacris peragendis functionibus adiutricem operam aliis sacerdotibus in dicta archipresbyterali ecclesia praeberet, et quater in hebdomada Missam celebraret etc.

(1) Vid. Appendic. XXIII., in qua declaratur distinctio quae intercedit inter Capellaniam ecclesiasticam, et laicalem.

Vix huiusmodi dispositionis notitia ad Testatoris fratrem, sororem, et duos ex praedefunctis fratribus nepotes pervenit, illico hi omnes, utpote gravissima inopia laborantes, ad Supremum Pontificem confugerunt, ut vel aliquam haereditatis partem consequerentur, quibus precibus uxor Testatoris suffragabatur. Mortua uxore, preces S. C. Concilii propositae sunt; auditusque est Episcopus, qui preces Oratorum commendabat, ac insuper suggerebat ut Capellania ex reliqua haereditate erigenda, uniretur quodammodo praebendae Archipresbyteri Parochi, quae tenuissima erat, ita ut ea paroecia ob hanc reddituum tenuitatem abhinc duobus fere annis vacaret; addebat insuper inter caetera, familias omnes iure passivo vocatas, libenter renunciare iuribus passivae vocationis.

Animadvertebatur *ex officio* duo in praesenti supplicatione postulari, videlicet primum ut assignaretur aliquod subsidium Oratoribus, qui arcto consanguinitatis vinculo cum Testatore iungebantur: alterum ut sublato iure passivae vocationis favore familiae Testatoris, Capellania concederetur Parocho Archipresbytero.

Quid militaret favore oratorum. Duo militabant favore Oratorum quibus videbantur gratia digni, nempe arcta consanguinitas cum Testatore, et vera paupertas. Porro observabatur ob binas has conditiones concurrentes pro eiusmodi gratia S. Congregationem adnuere solere, aequitate canonica suadente. Lambertin. *de Iurepatr. l.* 3 *q.* 2 *art.* 3 *n.* 8 Reiff. *l.* 3 *Decretor. t.* 38 *n.* 15.

Quid oratoribus obstaret. — Verum observabatur Oratoribus obstare recentem Testatoris voluntatem, quem certe consanguineorum paupertas non latebat: quare evanescebat praesumptio cui inniti solet aequitas canonica, videlicet quod alia ratione Testator de suis bonis disposuisset ut consanguineis consuleret, si ipsorum paupertatem non ignorasset.

Quid observaretur circa alterum petitionis caput. — Compertum in iure est postremas decedentium voluntates in omnibus ita esse servandas, ut nec in melius immutari debeant. Verum concurrentibus iustis causis interdum Romani Pontificis potestate aliqua commutatio voluntatis fundatorum conceditur; praesertim cum si pro essentiali parte eiusmodi voluntas executioni

mandatur, quin ii quorum interest renuant, et faciliora insuper vel aptiora media inde comparentur in bonum publicum, seu animarum salutem. S. C. C. in *Firmana Mansionariatus* 15 Decembr. 1770 §. *ait* in *Interamnen. Commutationis voluntatis* die 8, et 29 Maii 1756. Huiusmodi vero indulgentiam potiori ratione casus propositus postulare videbatur, cum expetita voluntatis derogatio in idem opus, quod Testator fieri iusserat, potissimum cederet, etc.

Responsio. — Sacra Congregatio Concilii die 27 Iunii 1863 rescribere censuit: *negative et amplius.*

Ex iis colliges:

I. Fundatorum piorum voluntatem tanquam supremam legem esse servandam.

II. Intervenientibus canonicis gravibusque causis interdum a Romano Pontifice legislatore supremo eidem voluntati derogari.

III. In praesenti autem casu eiusmodi causas non adfuisse.

IV. Neque eorum consensum, quorum id intererat, causam aliquatenus derogandi dictae voluntati exhibere, quando praeiudicium eorumdem successoribus inferretur.

PRAEBENDAE POENITENTIALIS.

Die 18 *Februarii* 1865.

Summaria precum. Archiepiscopus N. munus Vicarii generalis concredidit Sacerdoti A, Canonico Poenitentiario. Porro is retenta poenitentiali praebenda, officium dumtaxat poenitentiarii dimisit. Obtento autem indulto a S. Sede pro derogatione legis concursus, hoc poenitentiarii *officium* collatum fuit alteri Canonico B., eiusdem metropolitani capituli.

Mortuo autem Sacerdote A. generali nempe Vicario, anceps erat novus Archiepiscopus, an scilicet censenda esset vacans

per obitum praebenda Canonici Poenitentiarii, seu potius considerandā esset uti simplex praebenda vacans, ita ut poenitentiarii officium retinendum esset firmiter adnexum praebendae ab actuali Poenitentiaro Canonico B. retentae.

Praenotabatur *ex officio* in ea ecclesia iuxta praescriptum Concilii Tridentini *sess.* 5 *cap.* 1 *sess.* 24 *cap.* 8 *de Refor.* constitutam reperiri propriam praebendam cum Poenitentiarii, tum Theologi, prout colligebatur ex ipsis relationibus super statu illius archidioecesis, quae apud acta S. Congregationis asservantur. Praenotabatur insuper, in indulto praefato derogationis concursui nullum occurrere verbum ex quo deprehenderetur Canonico A. factam fuisse facultatem retinendi praebendam licet adnexum officium dimiserit.

Hisce autem praenotatis, animadvertebatur in iure controversum non esse, et pluries S. C. C. definivisse, ut videre est in *Vicentina Optionis* 31 Ianuarii 1852, non licere Poenitentiario, prout et Theologo, officio dimisso, retinere praebendam cui officium ipsum perpetuo ac inseparabiliter adnexum fuerit; adeoque perperam factum fuisse videbatur, ut officium Poenitentiarii dimissum alteri conferretur sine illa praebenda quae eidem officio adnexa ac subiecta erat, quaeque suapte natura eidem officio addici debebat.

Responsio. Sacra Congregatio Concilii die 18 Februarii 1865 respondere censuit: *Praebendam poenitentialem quam retinuit Canonicus (A.) spectare ad Canonicum Poenitentiarium (B.), proindeque huius praebendam vacare.*

Ex quibus colliges:

I. Poenitentiarii officium non posse seiungi a Poenitentiarii praebenda.

II. Quare qui Poenitentiarii officium ab alio dimissum iure obtinet, ille censendus est praebendam etiam poenitentiariam possidere.

*

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Die 28 *Ianuarii* 1865.

Summaria precum. Archiepiscopus N. transmissis literis a SSmo Patre petiit, ut benigne dispensare vellet super irregularitate cum Laurentio Clerico suae dioecesis, qui casu fortuito usum digiti indicis dexterae manus amiserat; rogatus autem per sacram C. C. ut consueto peracto experimento (1) magis praecise referret, an praefatus Clericus, sine ullo irreverentiae ac admirationis periculo, valeret omnes explere actiones in Sacro peragendo, et praesertim in frangenda sacra Hostia et Calice elevando; novis datis literis Archiepiscopus propitium testimonium SS. Caeremoniarum Magistri transmisit, rursus rogans eamdem dispensationis gratiam.

Ex dicto testimonio, et ex literis haec eruebantur, videlicet Laurentium amisisse duas primas phalanges indicis fere integras: eumdem commode, et sine ullo irreverentiae et admirationis periculo sacram Hostiam tenere ac frangere, nec non calicem accipere, et elevare posse: sacram Communionem eodem digito distribuere non posse, at absque ullo incommodo medium digitum indici subrogare, eoque facillime uti in omnibus sacris rebus pertractandis. Commendabat denique Archiepiscopus Oratorem inquiens, eumdem per multos annos phisolophiae et theologiae non sine laude operam dedisse, et spem affulgere, ut probe sancteque sacerdotalia munia esset obiturus. Pro causa insuper dispensationis adducebat deficientiam Sacerdotum in sua dioecesi.

Nonnulla animadvertebantur post haec *ex officio,* nimirum S. C. difficiliorem se praebere in huiusmodi dispensationibus concedendis cum oratore promovendo ad Ordines, quam cum iam promoto: defectus tamen quo Laurentius laborabat non eiusmodi esse videbatur, qui admodum officeret Sacro peragendo. Cum vero digito medio sine ulla deformitate supplere indicis defectum posset, cumque ad statum ecclesiasticum recte dispositus appareret, et spem praeberet utilem ipsum fore suae dioecesi evasurum, iusta causa adesse videbatur, cur petita dispensatio concederetur.

(1) Vid. pag. 88 et seqq.

Quam gratiam in similibus fere adiunctis concedendam esse Clericis, si SSmo placuisset, S. Congregatio rescripsit in *Cameracen.* 17 *Februarii* 1821 *in Lycien.* 20 *Decemb.* 1823, *et in Lucana* 19 *Novem.* 1825.

Responsio. Sacra Congregatio Concilii in comitiis habitis die 28 Ianuarii 1865 respondere censuit: *pro gratia dispensationis adhibito medio, loco indicis, facto verbo cum SSmo.*

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

CAPELLANIAE.

Die 19 *Septem.* 1862. 17 *Martii* 1865. 19 *Ian.* 1866.

Compendium facti. Rosa nupta Silvestro, praeter dotem, bona aliqua extradotalia possidebat: cum itaque testamentnm conderet (cuius tabulae deperditae sunt, quin unquam eae reperiri potuerint), viro suo Silvestro mandavit, ut e suis bonis extradotalibus duas Capellanias erigendas curaret, unam videlicet in Dioecesi A. et alteram in Dioecesi B. ad Ecclesiam S. Valentini sub titulo S. Mariae Lauretanae. (Quaestio praesens hanc secundam respicit Capellaniam; minime vero primam). Subinde tabulis codicillaribus diei 11. Sept. 1614 Silvestro viro suo eiusque successoribus ius reservavit nominandi Capellanum; dein aliis tabulis codicillaribus die 13 Sept. 1615 eidem viro suo permisit, ut, quoad viveret, bonorum, quae dotem Capellaniarum constitutura forent, usufructum retinere libere posset.

Silvester mandata uxoris praemortuae executioni demandavit, reservato familiae suae iurepatronatus; ac insuper per actum diei 29 Sept. 1624 bona assignavit, quibus Capellaniae dos coa-

lescere debebat, unaque annuam quamdam missarum celebrationem Capellano imposuit. Praeter eos actus, de quibus expresse mentionem fecimus, caeteri, qui hanc Capellaniam respiciunt usque ad annum 1668, et eo temporis intervallo locum habuerant, ita interciderunt, ut eorum nec autographum nec exemplar inveniri potuerit. Eo anno, nempe 1668, ut ex tabulario Cancellariae Episcopalis eruebatur, bullae canonicae institutionis ab Episcopo cuidam Sacerdoti datae fuerant: idipsum, facta iterum vacatione, praestitum esse favore alterius sacerdotis die 1698 ex eadem Cancellaria constabat. Post haec nihil aliud repertum est, nisi nominatio Capellani ac praesentatio coram Episcopo anno 1731 peracta a patrono, et Episcopi edictum, quo Capellaniae vacatio publice annunciabatur.

At contra (ut ordine chronologico, ea quae super hac Cappellania contigerunt, enarrare prosequar) cum anno 1754 inter liberos familiae patronae bona haereditaria dividerentur, in divisionis instrumento bona Capellaniae, perinde ac in haereditatis bonis accenserentur, comprehensa sunt, eademque uni ex praedictis liberis tanquam Capellano reputando adiudicata cum onere celebrationis missarum Capellaniae inhaerentium. Multis post annis, ac punctim anno 1781 ille ex liberis, ad quem bona Capellaniae devenerant, suo marte fundum quemdam ad Capellaniam pertinentem libere cum fundo ad Titium pertinente permutavit, et in tabulis instrumenti Capellaniam uti mere laicalem expressis verbis edixit. Cum insuper anno 1794 alteri bonorum divisioni locus factus fuisset inter liberos familiae, quae pro tempore in bonorum Capellaniae possessione versabatur, haec bona uni ex liberis laico attributa sunt, etsi inter eosdem familiae liberos, duo Ecclesiastici viri connumerarentur.

Uti libera huiusmodi bona, aut saltem utpote Capellaniam laicalem constituentia habita fuerunt, et penes familiam patronam remanserunt usque ad annum 1846 quo anno (Capellania vacante) cum aliqua animadversio pro adserenda ecclesiastica Capellaniae qualitate facta fuisset, Capellanus a familia patrona nominatus, idemque ex eadem familia derivans, clericatu et canonica aetate minime destitutus, non abnuit ab episcopali Curia bullas Canonicae Institutionis solemniter accipere, et canonicam Capellaniae possessionem adire eadem ratione, qua in

beneficiis fieri adsolet. Aliquibus post annis Capellanus iste, habitu clericali dimisso, cum nuptias inivisset, vel inire iam optaret, supplicem S. C. Ep. et Reg. libellum obtulit, quo exponebat Capellaniam uti laicalem retinendam esse, seseque nonnisi ex errore et ignorantia ductum ob iuvenilem aetatem bullas canonicae institutionis acceptasse, ideoque expostulabat, ut eadem Capellania uti mere laicalis per S. Congregationis decretum declararetur. Remissis de more precibus Episcopo, ut omnia scitu necessaria significaret, unaque suam sententiam promeret, responsum habitum est iisdem precibus omnino adversum ex eo, quod acta penes episcopalem Cancellariam asservata, de quibus mentionem fecimus, Episcopi iudicio ecclesiasticam Capellaniae qualitatem plane portenderent. Cum Capellanus in asseveranda Capellaniae laicitate perstaret, res, monitis partibus, quarum intererat, ad plenarium S. Congregation. iudicium deducta est.

Disceptatio synoptica.

Quae afferebantur pro demonstranda ecclesiastica capellaniae qualitate. — Duo erant capita, ad quae huiusmodi demonstratio redigebatur. Primum versabatur *in facto;* Porro statuebatur, quatuor occasionibus inter se distinctis, Capellaniam utpote vere ecclesiasticam habitam fuisse, nimirum anno 1668 primum, ac deinde anno 1698, cum bullae canonicae institutionis a Curia expeditae fuerunt; item anno 1731, cum familia patrona actum nominationis ac praesentationis elicuit, et Curia publico edicto vacationem Capellaniae significavit, ac denique anno 1846, quo Capellaniae tanquam beneficii ecclesiastici institutionem possessionemque ipsi Oratori Episcopus pro tempore elargitus est.

Quae vero documenta ab Oratore in medium proferebantur, spatium temporis ab anno 1754 ad annum 1794 interlapsi respicientia, tanti non erant, ut argumentorum vim pro admittenda ecclesiastica Capellaniae natura, sitam in actis antecedentibus penes Curiam asservatis, ullatenus possent infringere: ea enim usurpationem potius a patronis perpetratam detegebant. Quod si decretum canonicae erectionis reperiri non contigerat, non idcirco ipsi locus minime factus fuisse dici poterat: aliud est enim quidquam non reperiri, aliud non habuisse locum. Sed

enimvero quomodo bullae canonicae institutionis aliaque acta propria beneficiorum peracta fuissent tempore minime suspecto, ac fundationi proximo, nisi canonica erectio, etsi nullum eius vestigium inveniatur, reapse ab Episcopo iuxta canonicas leges perfecta fuisset? Ad haec accedebat, quod alia Capellania, in altera dioecesi a Testatrice eisdem tabulis codemque contextu et conditionibus instituta, ut superius vidimus, semper et absque ulla contradictione uti ecclesiastica habita fuerit, itemque uti ecclesiastica Capellanis per canonicam institutionem collata.

Posito in facto, quod canonica Capellaniae erectio minime defuerit, quodque bullae canonicae institutionis expeditae fuerint, *in iure* hoc inferebatur consectarium, ut fieri plane non posset, quin Capellania, de qua sermo erat, uti ecclesiastica declararetur. Namque scitum est apud Canonicarum rerum interpretes, quod ad constituendam beneficii ecclesiastici qualitatem duae tanquam essentiales requirantur conditiones; una est ut in fundatione Capellaniae episcopale canonicae erectionis decretum intercesserit: altera est, ut in Capellaniae collatione bullae canonicae institutionis expediri debeant. Sunt itidem et aliae conditiones, quas rerum canonicarum interpretes enumerant; quae tamen cum Capellaniis etiam laicalibus competere possint, silentio praetermittebantur. At vero erectionis decretum, et bullarum expeditio eiusmodi sunt, ut uni beneficio, quale est Capellania ecclesiastica, unice conveniant. Quae dicta sunt auctoritate fulciebantur clarissimi *Reiffenstuel lib.* 3 *tit.* 5 *n.* 17, et ipsius S. C. Ep. et Reg. in *Aesina Capellaniae* 18 *Iulii* 1851. Cum itaque duo haec essentialia elementa *in facto* demonstrata fuissent, concludebatur, Capellaniam, de qua agebatur, nonnisi uti ecclesiasticam esse declarandam.

Pro adstruenda laicitate capellaniae quae rationum momenta ederentur. Servata eadem ratiocinandi ratione in facto et iure, ad primum quod attinet, omnia acta proferebantur in medium, quae ab anno 1754 per totius saeculi spatium peracta fuerunt, in quibus Capellania uti laicalis nedum habita fuerat sed etiam uti talis in iisdem disertissime nuncupata, quin in tam diuturno temporis decursu ullam Curia Episcopalis querimoniam ad sua tuenda iura obmovisset. Quod si Capellania in altera dioecesi a Testatrice erecta uti ecclesiastica habebatur, nihil obesse po-

terat; id enim plures ob rationes evenire potuisset: neque enim res rara est, ut Capellaniae laicales ad statum ecclesiasticitatis, servatis servandis, extollantur.

Item nihil officere poterat, si ecclesiastica Curia anno 1846 in eamdem manum iniecerat; id ex eo evenerat, quod Capellanus puerili aetate constitutus ignoraret, quos effectus bullarum expeditio progigneret: ubi vero primum id agnovit, non obmutuit, quin imo suas protestationes penes Curiam Episcopalem, ac dein penes S. C. Ep. et Reg. emisit.

Hisce in facto constitutis, *in iure* eaedem doctrinae, quae supra ex adverso pro ecclesiasticitate, item pro laicitate ostendenda invocabantur. Cum enim decretum erectionis non produceretur, illud plane defuisse praesumendum erat; idque eo magis, quod per integri saeculi spatium sine bullis episcopalibus Capellania collata et a Capellano pacifice possessa fuerat. Si igitur Capellania tum laicalis dici debeat, cum in eiusdem fundatione erectionis decretum non intercesserit, et in eiusdem ineunda possessione bullae episcopales expeditae non fuerint, iam illud prono alveo subdebatur, ut Capellania, de qua agitur, minime uti ecclesiastica, sed profecto uti laicalis omnino esset declaranda.

Dubium.

« An et quomodo constet de laicitate Capellaniae in casu.»

Resolutio. — Die 19 Sept. 1862 Emi Patres eiusdem S. C. Ep. et Reg. rescripserunt.

Dilata et coadiuventur probationes.

Causae prosecutio. In secunda causae propositione nihil novi neque in facto neque in iure ad Capellaniae ecclesiasticitatem stabiliendam a Curia producebatur: si factum respicias, nihil item ad laicitatem ostendendam proferebatur ab oratore, qui satis habuit votum Advocati Curiae Romanae exhibere, qui fretus iis documentis, quae producta iam ab eodem Oratore fuerant, non sine doctrina et canonicae iurisprudentiae apparatu concludere se posse confidebat, Capellaniam a Rosa testatrice constitutam tanquam laicalem esse declarandam.

Iterum itaque eadem dubii formula Emis Patribus proposita, responsum prodiit – *Dilata et exquiratur votum Promotoris Fiscalis Curiae, transmissis exemplaribus omnium documentorum,*

quae referuntur ad praesentem quaestionem, quaeque in Archivio episcopali asservantur.

Causae definitio. Mandata peregit Episcopus, qui praeter alia remisit exemplar bullarum anni 1688 et 1698, et actum nominationis anni 1731, de quibus mentionem supra fecimus. Subinde votum Promotoris Fiscalis remisit, qui Capellaniae ecclesiasticitatem enixe propugnabat, praemissa accurata historia eorum, quae a prima origine ad illud usque tempus circa Capellaniam eamdem interciderunt. Peculiariter autem circumstantiam quandam innuebat, antea penes S. Congregationem minime expositam, quod nempe, si omnium actorum series a fundatione usque ad subsequentia tempora sine interruptione exhiberi non poterant, id ex eo repetendum erat, quod praeterito saeculo episcopale tabularium exitiali incendio fuerat obnoxium, ex quo omnia acta ibidem asservata absumpta fuerant.

Sedulo examini subiectis exemplaribus a Curia transmissis. compertum est, quod in actu nominationis elicitae anno 1731 Patronus eam nominationem ac praesentationem peregerat hisce nimirum verbis adhibitis – *ad formam instrumenti erectionis dictae Capellaniae.* – Itaque *ex officio* animadvertebatur quod etiamsi erectionis decreti exemplar minime inveniretur, nihilo tamen secius in eo nominationis actu praesto erat documentum irrefragabile, quo demonstrabatur ipsum in fundatione non defuisse. Cum itaque tempore fundationi proximo bullarum episcopalium expeditioni locum factum fuisse ex actibus 1668 et 1668 ostenderetur, legitime exinde consequi inferebatur, quod duo essentialia beneficii, seu Capellaniae ecclesiasticae elementa nequaquam desiderantur, adeoque nullam dubitationem superesse, ut Capellania uti ecclesiastica diudicaretur. Quae cum ita sint, cum dubium, quod superius exscripsimus, tertio propositum fuisset, Emi Patres die 19 Ianuarii 1866 rescribere non dubitarunt – *Negative in omnibus.* –

Ex iis colliges:

I. Magnum ac substantiale discrimen esse inter Capellanias laicales et ecclesiasticas (1).

(1) Vid. Append. XXIII.

II. Capellanias ecclesiasticas nomine tantum a veris beneficiis discriminari.

III. Canonicae erectionis decretum in fundatione, et bullas canonicae institutionis in collatione duas esse essentiales solemnitates seu conditiones, quae vero beneficio conveniunt, ideoque ecclesiasticae Capellaniae.

IV. Non idcirco, quod aliqua Capellania iuri patronatus laicorum obnoxia sit, dici potest laicalis: nam etiam beneficia sunt, quae eidem laicorum iuri subsunt, et nihilo secius, non deficiente decreto erectionis canonicae, et bullarum institutionis expeditione, non desinunt esse vera beneficia.

V. Alias conditiones praeter duas memoratas, veluti sunt iurispatronatus reservatio, et alia id genus, Capellaniae tam laicali, quam ecclesiasticae posse convenire.

DECIMARUM.

Die 4 Martii 1864.

Compendium facti. Monasterium Regularium N., terras quasdam, seu campos possidet subiectos quibusdam oneribus, videlicet oneri solvendi decimas favore Canonicatus A., nec non quamdam minorem decimam nomine *Quartese* favore parochialis Beneficii B. Locationis contractu partem harum possessionum Monasterium locavit militari imperio, ut in his campestres exercitationes milites agerent. Cum autem hoc in contractu nihil dictum fuerit de oneribus decimarum et *Quartese;* Canonicus A., apud laicum iudicem (quin animadverteret eum competentem non esse) Monasterium vocavit ut decimas solveret tribus annis respondentes. Canonicus hoc in iudicio succubuit; quare appellavit ad superius laicum tribunal, quod plene confirmavit sententiam primae instantiae. Hinc factum est ut nihil amplius fuerit solutum sive decimarum titulo, sive *Quartese*.

In renovatione contractus, ac eiusdem contractus extensione ad alias terras seu campos, Monasterii Abbas confirmationem

Apostolica auctoritate interveniente imploravit ab Episcopo, qui voluit ut salva manerent iura decimarum, et *Quartese*. Quoniam autem Monasterium existimabat onus satisfaciendi dictis oneribus, non sibi spectare sed militari imperio cum quo Monasterium prius contraxerat, quaestio delata est ad Apostolicam Sedem. Episcopus itaque sequentia dubia proposuit. I. An Monasterium N., haud obstantibus duabus supraenunciatis conformibus sententiis, quibus a dictis oneribus solutum est, teneatur ad solvendas decimas et *Quartese* Canonicatui, et Beneficio parochiali pro rata locatae terrae ex pecunia quam ex militari aerario recipit. II. An renovato et extenso contractu ad alias terras ad augendum campum Martis, etiam hae terrae graventur onere decimarum et *Quartese* eo modo quo supra dictum est. Sacra Congregatio Epis. et Reg. die 29 Iulii 1863 ad Episcopum rescripsit ut curaret conventionem inter partes fieri, transmittendam Sacrae Congregationi pro approbatione. Quod sit haec conventio obtineri non posset, praefigeret iisdem partibus terminum unius mensis ad deducendum iura sua, quatenus velint, coram S. Congregatione , ut quaestio dirimeretur. Quod si contractus locationis, quem petebat militare imperium, differri non posset, idem Episcopus facultatem tribueret Monasterio ineundi contractus, salvis tamen iuribus respectivis decimarum et *Quartese,* prout, et quatenus de iure.

Post eiusmodi iniunctionem Canonicus, et Parochus iura sua deduxerunt coram S. Congregatione, Monasterium autem nihil adiunxit iis quae iam S. C. exposuerat. Quaestio itaque proposita est cum dubio quod in calce de more ponimus.

Disceptatio synoptica.

Ea quae adducebantur favore canonici et parochi. Episcopus in scriptis quae ad Monasterium miserat, animadvertebat, decimam esse partem fructuum seu proventuum qui ecclesiae debentur etc. Quod si decimae praediales sint, solvi debent a domino fundi possessore. Quod si fundi locati fuerint, decimae a conductore solvi debent; quia in hoc conductor dominum locatorem repraesentat qui ius fructuum conductori concessit retenta sibi contributione, habita ratione oneris quod in conductorem incumbit solvendi decimas.

Decima autem immediate fructus respicit, mediate autem fundum. Quare si locator fundum ei locet, quem scit fundum incultum redditurum esse, curare debet ut sartum tectumque maneat ius Decimatoris. Quare si locator in fundis locandis mentionem de decimarum onere quo gravantur fundi, non faciat, et ita contrahat, ac si fundi a quolibet onere liberi essent, hoc in casu gravi iniustitia perciperet ratam, quae propria est Decimatoris.

Haec vero principia applicabat Episcopus casui praesenti, perpendens redditus quos Monasterium percipiebat ex hac fundorum locatione, aliosque proventus ex arborum caesione, ex iure pascendi, considerari posse veluti naturales fructus. Proindeque Monasterium teneri ad dictas decimas persolvendas.

Accedit, subiungebat laudatus Episcopus, quod ex morali, ac iuridico principio quo, *nemo debet cum alterius detrimento fieri locupletior,* Monasterium locupletius fieret utriusque Decimatoris iactura, si ab hoc onere solutum existeret, ac evenire etiam posset, si contractus locationis de quo loquimur diu protraheretur, ut ecclesia destituta maneret dictis decimis.

Statuto itaque principio, quo ius decimarum immediate fructus, mediate vero fundum attingat, tenetur Monasterium, fundos illis locare, qui ex fructibus solvere consuetas decimas, possint: *cap. in aliquibus* 32 *de Decimis.* Aliter enim Monasterium ipsum, reddituum solutione decimis respondente, tenebitur indemnes reddere Decimatores. In praesenti autem casu, cum fundi locati fuerint militibus ad usum campestrium exercitationum, ac proinde inculti reddi deberent, phisice impossibilis evadebat quaelibet fructuum exactio.

Adnotabat autem Episcopus circa duas indicatas sententias conformes, iudicem laicum ex iure incompetentem fuisse in iudicio de quo agimus, tum ratione causae, tum ratione personarum; quod si ex facto competens iudex ille reputaretur, nihilominus duplex illa sententia extendi non poterat ad novum contractum quo alii fundi decimarum onere gravati locari debuissent.

Canonicus autem et Parochus consonas hisce indicatis argumentis rationes adducebant, hoc dilemmate concludentes: aut Monasterium pretium aequivalens percipit campi fructibus, aut non percipit. In priori casu aequum non est, ut sibi retineat

pretium decimis respondens: in altero casu autem indebite cessisset locatario in damnum tertii, pretium fructibus aequivalens.

Ea quae adducebantur favore monasterii. — Monasterium in sui defensione praemittebat, ius percipiendi decimas respicere tantum fructus fundi, qui onere decimarum gravatur; et easdem decimas pendere a fructibus quas fundus actu producit, non autem ab illis quos producere posset. Ex quibus consequitur onus solvendi decimas in eum incumbere, qui fundi fructus percipit. Porro in praesenti casu fundus per praefatam locationem in eum casum devenit, quo non amplius fructus naturales producat. Deest igitur materia circa quam ius percipiendi decimas versatur. Neque opponi potest, pretium locationis, fructus repraesentare: namque ex facto fundus culturae subiectus non est, fructus proinde non exhibet, qui per aequivalens pretium possint repraesentari.

Ea quae ex officio observabantur. — Monebatur *ex officio* iudicem laicum incompetentem omnino esse ad causas spirituales iudicandas, *Can. Bene quidem* 1 *dist.* 96. *Cap. decernimus* 2 *de Iudiciis*. Porro causae decimarum inter causas spirituales numerantur, *arg. Cap. Exhibita* 9 *de Rev. perm.* Ferraris *verbo Decima art.* 5 *num.* 16. Quare cum agitur de iure percipiendi decimas iudicium ferri non potest nisi a iudice ecclesiastico. Ferraris *loc. citat.*

Quando vero agitur de possessione vel quasi possessione exigendi decimas; iudicium pariter spectat ad iudicem ecclesiasticum, prout docet Benedictus XIV. *de synod. dioeces. l.* 9. *c.* 9 – ibi – « Communis Doctorum doctrina iuri communi subnixa fert, » ut lites motae super possessione seu quasi possessione iuris » adnexi rei spirituali; atque ab hoc profluentis, puta super pos- » sessione exigendi decimas ecclesiasticas, non minus quam cau- » sae proprietatis versentur, et dirimantur in tribunali eccle- » siastico. »

Quamvis autem vel ex Apostolico privilegio, vel ex diuturna consuetudine ab Ecclesia tolerata, aliquibus in locis inductum sit ut causae decimarum in iudicio possessorio definiantur, penes laicum iudicem Benedict. XIV. *loc. cit.* nihilominus de huiusmodi privilegio, vel tolerata consuetudine in ea Dioecesi vigente non constare videbatur.

Hisce animadversis nonnulla doctrinae capita adducebantur, quae si quaestionem nostram non dirimerent, lucem tamen aliquam afferre videbantur. Non enim similis casus reperiri potuit cuius decisio praesenti quaestioni aptari posse videretur. Adducebatur itaque doctrina quam tradit Card. De Luca *de Decimis. disc.* 21 in quo plures in hisce difficilibus quaestionibus casus distinguens, inter alia docet, multum differre Decimatorem universalem, cuiusmodi est Parochus qui intentionem habet in iure fundatam (1), a Decimatore particulari. Quando enim Decimator est particularis, tantum sibi vindicare potest ratione decimae super fructibus, quantum demonstret possessum, vel praescriptum, *eoque non intrat extensio vel subrogatio*. E contra vero accidit si decimator sit universalis cuiusmodi iure praesumitur esse Parochus. Quare si cultura praediorum mutetur, universalis Decimatoris ius subragatur in novis fundi fructibus: dum e contra Decimator particularis certorum fructuum ultra eos suum ius non extendit ex dicta regula, quod *tantum* praescriptum, *quantum* possessum. *Ideoque non intrat subrogatio, quia revera non habet ius reale in universum.*

Observabatur insuper, quod cum fundus decimarius locatur vel in emphiteusim traditur, generatim conductor et emphiteuta solvere decimas tenetur, per *text. in cap. a nobis* 24 *de Decimis.* Piringh *in ius can. l.* 3 *t.* 30 *n.* 48 *Reiff. eod. tit. n.* 58. Hoc enim onus possessores sequitur *cap. fin. §. caeterum de Decimis in* 6 Rota *coram Ansaldo decis.* 207 *n.* 16. Quare officium erit conductoris vel emphiteutae in contractus stipulatione aliquid detrahere ratione huius oneris quod in fundum gravat, quod si

(1) *Habere intentionem in iure fundatam*, est quidam modus dicendi quo utuntur Iuristae ad significandam praesumptionem, quae ex ipso iure militat favore alicuius personae ob aliquam eiusdem personae qualitatem. Sic agentes de decimis dicitur Parochus habere intentionem in iure fundatam super decimarum perceptione, ubi eiusmodi ius decimarum viget; quia eo ipso quod Parochus sit, ius habere censetur universim in sua parochia ad decimas percipiendas. Ex qua iuris praesumptione consequitur, ut in eum probatio non solvendi decimas incumbat, qui ab hoc onere sive ex parte, sive ex toto se solutum existimat. Sic pariter cum de iurisdictione agitur, Episcopus in sua diocesi dicitur habere intentionem in iure fundatam, quia eo ipso quod Episcopus sit, censetur iurisdictionem habere super universam diocesim. Quare onus erit ex. gr. Abbatis, qui se existimet exemptum vel ex toto, vel ex parte ab Episcopali iurisdictione, suam ostendere exemptionem.

conductor vel emphiteuta veluti liberum fundum receperint, regressum habebunt adversus fundi dominum, prout iustitia exigit.

In examen insuper revocabatur textus ab Episcopo adductus, scilicet *Cap. in aliquibus* 32 *de Decimis*, quod ita se habet: « In » aliquibus regionibus quaedam permixtae sunt gentes, quae se- » cundum suos ritus decimas de more non solvunt, quamvis » censeantur nomine christiano. His nonnulli domini praediorum, » ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes ecclesias ma- » iores inde redditus assequantur. Volentes igitur super his eccle- » siarum indemnitatibus providere, statuimus ut ipsi domini ta- » libus personis et taliter sua praedia excolenda committant, » quod absque contradictione ecclesiis decimas cum integritate » persolvant et ad id si necesse fuerit, per censuras ecclesiasti- » cas compellantur. » Gonzalez in huius capitis commentario adnotat fideles graeci ritus solvere non consuevisse decimas, quare iuste et recte in praesenti capite statuitur, ut domini praedia sua locent illis personis, a quibus decimae solvi consueverunt, idest aliis fidelibus latinis qui semper decimas praestiterunt.

Hoc insuper iuris caput occasionem praebuit cuidam controversiae quam indicat Fagnanus *in cap. Sane quia n.* 19 *de Off. et Potest. Ind. del,* inter Episcopum Angelopolitanum, et Regulares exemptos a decimis solvendis ex Apostolico privilegio. Porro dictum caput prout ipset Fagnanus ait « non prohibet quin » fiant alienationes in personas exemptas: sed solum ne prae- » dia decimalia locentur iis, qui decimas non solvebant secun- » dum ritus suos et de more, idest ex prava consuetudine. » Hisce aliisque memoratis proponebatur

Dubium.

« An et quomodo, et cuius onere constet de iure exigendi « decimam, et *Quartese* in casu. »

Resolutio. — Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 4 Martii 1864 re mutare discussa respondendum censuit: *affirmative in omnibus, et decimas ac Quartese esse praestandum a Monasterio in summa ab Episcopo liquidanda.*

Ex iis colliges:

I. Licet fundi domino ius insit, per se vel per alium fundum decimis praedialibus gravatum in alium usum convertere,

ac incultum reddere; non inde tamen cessat obligatio Decimatorem redintegrandi.

II. Equum enim non est ut ius Decimatoris ex integro pendeat a domino fundi: multoque minus equum est, ut quis alterius iactura ditior evadat.

III. Quare hisce in adiunctis locus conciliationi inter partes aperitur, qua, utriusque iura Decimatoris scilicet et domini fundi, sarta tectaque maneant (1).

IV. In praesenti autem casu S. Congregationem Episcopo commisisse ut vim pecuniae determinaret decimis respondentem a Monasterio solvendam.

(1) Altera quaestio excitata fuerat inter cuiusdam oppidi Parochum, et dominos fundi decimis praedialibus gravati, ex aliis causis, ac ex eo praesertim, quia fundi domini omissa artificiali cultura, fundum incultum reliquerant: inde autem decimas Parocho denegabant. Acta itaque causa penes S. Congreg. Episc. et Reg. die 11 Iulii 1863 sub dubio: « an, » quomodo, pro qua summa, et a quo » tempore sit locus solutioni decimarum, » et quae sint relaxanda mandata etc.» S. C. respondit: *affirmative quoad solutionem in genere: in reliquis dilata, et ad mentem: mens est ut Cardinalis Ponens curet conciliationem, qua infecta, deputet peritum agronomum sumptibus* (N. N. dominorum) *qui referat iuxta instructiones dandas .... non retardata interim solutione scutatorum* 200 *per modum provisionis.* Cum autem partes simul deinde tandem convenerint, proposita est S. Congregationi conventio, die 31 Martii 1865 pro debita approbatione sub dubio: « an et quomodo pro- » banda sit concordia in casu. » Sacra autem Congregatio conventione in examen revocata respondit: *affirmative in omnibus et ad Emum Ponentem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis ad effectum ut coram eo stipuletur instrumentum adhibitis debitis cautelis.* Eiusmodi quaestiones quae maxime pendent ex facti adiunctis saepe ratione facti implexae sunt, quamvis de iure in genere tum Decimatoris, tum dominorum non dubitetur. Quare aptius definiuntur per conciliationem inter partes contendentes.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

ANDEGAVEN.

Die 29 *Februarii* 1864.

Ex parte Presbyteri paroeciae Belloprati exposita fuerunt S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia:

I. « Utrum privilegium Altaris sive proprie dictum, sive per- » sonale applicari possit pluribus defunctorum animabus, in cu- » iuscumque diei Missa (servatis servandis) sicut expresse, sed » speciatim declaratum fuit a S. Congregatione die 19 Maii 1761 » pro Missa in die commemorationis omnium fidelium defuncto- » rum 2 Novembris. »

II. « Utrum post Indultum Apostolicum Rmo Ordinario die » 10 Maii 1860 concessum, quod permittit, *ut in omnibus eccle- » siis parochialibus dioecesis Andegavensis ter in qualibet hebdo- » mada celebrentur cum cantu Missae de Requiem, dum officia » occurrunt ritus duplicis, quibusdam tantum exceptis;* applicatio » privilegii fieri possit in hisce tribus Missis taliter cantatis... » vel differenda sit dicta applicatio in tres alias dies in quibus » Missa dicetur iuxta Rubricam ordinariam et secundum alias » praescripta a S. Congregatione. »

III. « Utrum qui ter in hebdomada habet privilegium perso- » nale possit valide (quando in eadem plura inveniuntur festa » duplicia, et plura semiduplicia vel infra) potius eligere ad ap- » plicationem privilegii festa duplicia, quam differre ad semi- » duplicia. ».

Resolutio. Sacra Congregatio die 29 Februarii 1864 audito Consultoris voto, respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative; quatenus non recurrant festa semiduplicia in hebdomada.*

Ad III. *Ut in secundo.*

Votum Consultoris in compendium redactum.

Animadvertebat Consultor, primum dubium resolutum iam posse censeri per Decretum S. C. I. diei 28 Iulii 1840. Quaesivit enim Episcopus S. Flori in Gallia: « utrum per indulgen- » tiam altari privilegiato adnexam intelligenda sit indulgentia » plenaria animam statim liberans ab omnibus Purgatorii poe- » nis, an vero tantum indulgentia quaedam secundum Divinae » Misericordiae beneplacitum applicanda. » Sacra Congregatio, votis Consultorum auditis, respondit: *per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis, si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam cuius mensura Divinae Misericordiae beneplacito, et acceptationi respondet.*

Neque opponi censebat Consultor Decretum eiusdem S. Congregationis diei 19 Maii 1761, vi cuius in die commemorationis omnium fidelium defunctorum conceditur privilegium altaris cunctis Sacerdotibus eodem die celebrantibus favore defunctorum. Haec enim est benigna exceptio.

Nonnullis insuper animadversis circa secundum dubium; ad tertium observabat S. Rituum Congregationem Decretis editis an. 1667, 1669, 1688 hanc tradidisse doctrinam: « Missis de festo, vel de feria lectis, diebus quibus Missae de Requiem prohibentur, posse applicari Altaris privilegium. » Et hisce responsionibus adhaesisse S. C. Indulgentiis praepositam Decreto diei 27 Nov. 1764.

Eadem vero Congregatio indulgentiis praeposita statuit diebus non impeditis debere Missam celebrari in paramentis nigris ut quis lucretur indulgentias; idque patet ex Decreto diei 11 Aprilis 1840, in quo, proposito dubio: « utrum qui privilegium ha- » bet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, de- » beat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non im- » peditis ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defun- » ctorum lucrari. » S. Congreg. respondit: *affirmative*. Item in Decreto 22 Februarii 1847 (1).

Ex hisce vero eruebat Consultor quid in hac quaestione respondendum opinaretur.

(1) Vid speciales impedimenti casus in pagina 42 et seqq.

*

ANDEGAVEN.

Die 29 Februarii 1864.

Director Archiconfraternitatis S. Iosephi in Andegavensi civitate erectae pro integro Gallico Imperio Literis Apostolicis in forma Brevis die 6 Septembris 1861 expeditis, Sanctae Sedi solvenda exposuit sequentia dubia.

I. « Cum in dicto Brevi facultas aggregandi alias Confraternitates ad solum Galliae Imperium coarctetur, quaeritur an » valida sit adscriptio *individuorum* habitantium extra idem imperium, qui, quamvis interesse nequeant consuetis congregationibus, piisque exercitationibus Confraternitatis, possunt » nihilominus lucrari indulgentias concessas quibusdam iniunctis » operibus quae adimplentur. »

II. « An in Galliae urbibus incolis frequentioribus erigere » licitum sit plures Confraternitates; cum una sufficiens non sit » Fidelium devotioni ob locorum distantiam, et occupationum » varietatem. »

III. « Paullo post concessionem dicti Brevis, cum erecta sit » alia Archiconfraternitas Bellovacis, pariter pro integro Galliae » Imperio; quaeritur an possit Andegavensis Archiconfraternitas » aggregare confraternitatem in illis civitatibus, in quibus iam » extat alia erecta ab ea quae est Bellovacis. »

IV. « Cum in Gallia habeantur plures Communitates piarum » mulierum, quae scholas habent et puellarum aggregationes » tenent etiam convictricum, perquam utilis existimaretur ere- » ctio confraternitatum in earumdem religiosarum mulierum ec- » clesiis: quaeritur an erigi possint. »

Resolutio. — Sacra Congregatio die 29 Februarii 1864 dubiis in examen vocatis respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Generatim negative; obveniente autem gravi causa, recurrat in casibus particularibus* (1).

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Non expedire* (2).

(1) In Constitutione Clementis VIII. die 7 Decembris 1604 quae incipit: *Quaecumque*, statuitur, quod in uno loco *unica* tantum confraternitas eiusdem *Instituti*, et *generis* possit in ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium institui et aggregari.

(2) In ecclesiis Monialium Confrater-

TORNACEN.

Die 29 *Augusti* 1864.

Sacrae Indulgentiarum Congregationi propositum fuit dubium a Parocho Ioan. Baptista Falise in dioecesi Tornacensi, videlicet: « utrum ad effectum lucrandi Indulgentias a Summis Pon» tificibus concessas Fidelibus, qui orationem vulgo dictam *An*» *gelus Domini*, certis quibusdam diei horis ad *Campanae pul*» *sum* pie recitaverint, requiratur ut Campana sit ritu ab Ec» clesia praescripto benedicta. »

Duo auditi fuerunt Consultores, qui ambo opinati sunt requiri ad effectum praedictum Campanam benedictam, quam tamen opinionem secuta non est S. Congregatio. Praecipua autem rationum momenta quibus Consultores innitebantur sunt sequentia.

Ecclesia praecipit, ut Campanae in sacrum usum destinatae benedicantur, adeo ut Regulares possint etiam ab Episcopo cogi ad deponendum de Campanili Campanas, si ibi non benedictas appenderint. Ferraris *verb.* Campana *n.* 6. In re autem de qua agimus prout idem Auctor perpendit *verb. Indulgentia nn.* 18, 19, 20 toties quoties sermo fit de Indulgentiis concessis pro recitatione orationis: *Angelus Domini* mane meridie et vespere, semper adiungitur: *ad pulsum Campanae*. Facta est tantum exceptio a Romano Pontifice Pio VI. fel. rec., qui die 18 Martii 1781 benigne concessit, ut in iis locis in quibus deest Campanarum usus, omnes et singuli Christifideles corde saltem contriti, qui ter in die scilicet, primo diluculo, circa meridiem, et sub vesperam, recitaverint piam precem quae incipit: *Angelus Domini* cum tribus salutationibus angelicis, vel: *Regina coeli*, tempore paschali, etc., omnes et singulas indulgentias lucrari valeant; quae recitantibus easdem preces ad signum Campanae a Pontificibus hactenus concessae sunt. Superflua porro videretur

nitates laicorum erigi et institui nullimode possunt. Ferraris *Bibl. Can. verb. Confraternitas*, in quo refert plures SS. Congregationum Resolutiones. Verum licet in casu non egeretur de Monialibus proprie dictis, tamen eadem prohibitionis ratio vigere videtur.

eiusmodi indulta exceptio, si nihil aliud quam meri signi vices gereret Campana. Neque obstare videbatur consuetudo, quae viget in Regularium ecclesiasticisque familiis, quae ad signum alicuius Campanulae ritu sacro non benedictae, dictas preces recitare solent; non enim hic quaeritur quid fiat, sed quid fieri debeat.

Resolutio. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 29 Augusti 1864 respondere censuit ad propositum dubium: *negative.*

Ex iis colliges:

I. Indulgentias de quibus agimus adnexas fuisse tantum precibus indicatis; non vero alteri rei sacrae.

II. Conditionem appositam verbis: *ad Campanae sonum,* qui est ecclesiasticum consuetum signum, adiectam censeri ad determinandum tempus, quo Fideles B. V. Mariam salutent.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

URBIS.

Decretum. « Post Sanctissimos Apostolorum Principes, qui Trophaeum Crucis Christi romanis arcibus intulerunt, tot inter Coelites, qui cum in terris agerent Urbi huic nostrae virtutum exemplis affulserunt, eamque beneficiorum copia cumularunt, Sancta Catharina Senensis Virgo merito recensetur. Omnes quidem sanctitatis laude apud romanos cives inclaruerunt, at nonnulli ex iis vel apostolicis curis laboribusque, vel idolorum cultus eversione, vel lue mirifice depulsa, optime de Urbe meriti sunt; quae ideo illos ut coelestes Patronos veneratur. Neque impar clarissimae illi Heroinae honor esset tribuendus, quippe quae in Petri Cathedram ad bonorum salutem, impiorumque

terrorem in hac Urbe divinitus constitutam, Romanos Pontifices per annos plurimos ab ea avulsos, suis consiliis, precibus, atque opera iterum revocaverit. Imo cum ob diuturnam Romanorum Pontificum ab eadem Urbe absentiam parum abfuit, quin ea ruinis disiecta, squalore obsita, civium inter se digladiantium caedibus concussa penitus absumeretur, factum est, ut Gregorio XI. Pontifice Maximo redeunte protinus faciem immutaverit, omniumque bonorum copiam consequuta fuerit, quorum ope ipsa ad regimen terrarum nata cunctis populis ac gentibus solatio esset et adiumento. Quoniam vero nostris hisce luctuosis temporibus perditissimi hostes bellum adversus Christum, eiusque sponsam Ecclesiam instaurantes civili Romanum Pontificem Principatu in Beati Petri Cathedrae decus et praesidium concesso spoliare, et etiam ex hac Urbe eiicere, atque expellere contendunt, perillustris Almae Urbis Senatus, avitae pietatis vestigiis inhaerens, potentissimo Sanctae Catharinae Patrocinio se suaque committendum decrevit; pro certo enim habet, ut Deus, Patronae huius coelestis precibus exoratus, Urbem ab impendenti periculo sit asserturus.

« Quapropter Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. supplicem porrexit libellum, quo instantius petebat ut Sanctitas Sua, Beatam Catharinam Senensem in secundarios Urbis Patronos referre dignaretur. Sanctitas Sua, quae auxilium in tribulatione unice a Domino Coelitum interventu praestolatur, preces Senatus Populique Romani libentissime excipiens, ad relationem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, Sanctam Catharinam Senensem Virginem Almae Urbis huius Patronam secundariam declaravit; ac in eius Festo die Missam et Officium sub ritu duplici secundae classis ab utroque Clero et Sanctimonialibus Urbis eiusque districtus recitari mandavit. Tandem eadem Sanctitas Sua iussit, ut super his omnibus expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

Die 8 Martii 1866.

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Loco ✠ Sigilli

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. Feria II. die 9 Aprilis 1866.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Mélanges philosophiques et religieux, par Bordas – Demoulin. Paris, 1846.

Essais sur la Réforme catholique, par Bordas–Demoulin et F. Huet. Paris, 1856.

Oeuvres posthumes de Bordas–Demoulin publiées avec une introduction et de notes, par F. Huet. Paris, 1861.

Histoire de la vie et des ouvrages de Bordas–Demoulin, par F. Huet. Paris, 1861.

La science de l'Esprit, principes généraux de philosophie pure et appliquée par F. Huet. Paris, 1864.

Le problème de la vie: recherche des Bases d'une Philosophie pratique, par Jacques Legrand. Paris, 1864.

L'Ame au point de vue de la science et de la raison, par I. P. Chevalier de Sanit–Pol in Artois. Paris, 1863.

Storia documentata di Carlo Quinto in correlazione all'Italia, del Professore Giuseppe De Leva. Volume 1. Venezia, 1864.

Lettere ad un Amico intorno ai beni ecclesiastici, di A. B. P. Lugano 1865.

Notizie storiche sull'origine del dominio temporale dei Papi, per cura di P. A. M. Professore di Filosofia, e Matematiche. Napoli, 1865.

Troppo tardi, ossia la questione romana sotto nuovo aspetto studiata in Europa da Aurelio Turcotti a fronte di quella studiata in Roma da Pier Carlo Boggio. Torino, 1866.

Problemi di Teologia cristiana per Mariano Maresca, deputato al parlamento nazionale. Parte I: Dio. Torino, 1863. Volumetto in 8.°

Decr. S. Officii feria IV. die 17 *Ian.* 1866.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. C. a Secretis relatis* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 14 *Aprilis* 1866.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus.

Fr. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.
Loco ✠ Sigilli. S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 14 *Aprilis* 1866 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloysium Serafini apost. Curs.*

Philippus Ossani Maj. Curs.

APPENDIX XXIII.

DE DIFFERENTIA INTER CAPELLANIAS ECCLESIASTICAS ET LAICALES.

Accidit saepenumero ut Capellaniae ecclesiasticae, cum Capellaniis laicalibus confundantur; cuius rei exemplum praebet causa penes S. C. Ep., et Reg. disceptata quam superius exposuimus. Verum ut ex eadem colligitur, non mediocre inter utrasque discrimen interponitur. Illud insuper haud raro contigit, ut Capellaniae quae iuripatronatus laicali obnoxiae sunt, tamquam Capellaniae laicales non sine errore reputentur. At vero, si merum nomen excipias, inter vera beneficia, et Capellanias ecclesiasticas, nulla differentia interest; adeoque etiamsi Capelleniae iuripatronatus laicorum subiiciantur, non idcirco sequitur quod laicales dicendae sint, non secus ac accidit de beneficiis, quae ceu laicalia non putantur, quamvis iurispatronatus laicorum vinculo adstricta sint.

Iamvero substantiale discrimen, quod inter Capellanias ecclesiasticas et laicales intercedit in hoc situm est, primum, ut pro beneficiis, ideoque pro Capellaniis ecclesiasticis in fundatione canonica, erectionis decreto locus factus fuerit; deinde ut in collatione, quandocumque accidat, bullae episcopales, seu Apostolicae pro canonica institutione assequenda requirantur. Primum enim illud efficit, ut quae bona antea in civili commercio erunt, et in privatorum dominio esse poterant, post decretum erectionis destinata in ecclesiae usum, non amplius in civili commercio sint, sed inalienabilia uti ecclesiastica sint habenda. Bullarum autem expeditio facit, ut nullus nisi clericus canonice institutus in earumdem Capellaniarum possessionem immitti queat.

Iamvero in Capellaniis laicalibus quoniam legatis piis accensentur, satis est ut accedat actus Episcopi, quo in scriptis mera, ac nuda Capellaniae acceptatio fiat iuxta ea quae ad formam Constitutionum Apostolicarum docet Benedictus XIV. *de Synodo dioces l.* 13 *c. ultim n.* 10. Ut earumdem autem possessio legitime acquiri queat, auctoritatis ecclesiasticae interventus nequaquam plane praescribitur, sed sufficit ut possessio per acta Notarii iuxta legum civilium sanctiones adeatur.

Cum itaque Capellaniae laicales non sint vera beneficia, illud consequitur; *quod* in Capellanorum nominatione necesse non sit servare tempus quadrimestre, vel semestre per sacros Canones in beneficiis conferendis praestitutum; *quod* si nominatio peragatur cum pacto aliquid per Capellanum nominanti persolvendum, quamvis pactum hoc illicitum

ac pravum reputetur, nihilominus simoniae crimini, et poenis contra simoniacos constitutis, locus non fiat; *quod* denique licet Capellanus (quippe dominii iure destitutus ac mere bonorum Capellaniae administrator et usufructuarius) bona Capellaniae alienare nequeat, atque alios contractus alienationis nomine venientes per se ipse concludere non possit, nihilominus si id egerit, poenas contra alienantes bona ecclesiastica iuxta censuram Extravagantis *Ambitiosae* non incurrat.

In expositione causae de qua supra mentionem feci, cursim innuebatur plura esse quae Capellaniis ecclesiasticis, et laicalibus communia sint; huiusmodi solent esse adsignatio dotis, altaris designatio, reservatio iurispatronatus, conditio ut Capellanus sive clericali, sive subdiaconali, diaconali, aut sacerdotali, qualitate polleat. Neque enim impedit quominus Testator in Capellaniae constitutione, pro lege, illiusmodi conditiones imponat, quae utique sancte religioseque servandae sunt, prouti de ultimis Testatorum voluntatibus fieri debere utraque iura clamant. Itaque hac in re discrimen quod inter Capellanias ecclesiasticas et laicales intercedit, in eo consistit, ut conditiones quae in primis necessario praescribuntur ex dispositione legis, in alteris ex dispositione hominis exquirantur. Quocirca, quamvis Capellania sit laicalis, attamen si Testator legem dixerit, ut Capellanus sive clericus, sive Sacerdos esse debeat, eamdem nullus, nisi clericus sit vel Sacerdos adsequi omnino queat. Quod si nullam legem neque expresse neque tacite Testator adiunxerit, qua Capellani qualitates designentur et requirantur, nihil impedit quominus Capellaniam sine ullo huiusmodi constitutam obtinere possit etiam laicus, atque adeo infans quoque, aut foemina.

Opportunum heic erit nonnullas afferre causas in S. Congregatione Concilii super hoc argumento agitatas, ex quibus in casibus particularibus certa norma desumi valeat.

In *Maceraten.* 7 Septembris 1726 Testator iusserat e suis bonis Capellaniam laicalem erigi debere, pro Missa celebranda in altari maiori ecclesiae Suffragii, ac voluit ut eiusmodi Capellania ad titulum ordinationis inserviret favore filiorum cuiusdam Silvestri. S. Congregatio rogata: « An Capellania de qua agitur, » sit legatum pium, cuius sint capaces etiam foeminae; seu potius » sit Capellania ecclesiastica: » respondit: *ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative, sed non esse collativam, et amplius.* Censuit nimirum S. Congregatio Capellaniam esse ecclesiasticam habito respectu personae nominandae, quae ecclesiastica esse debebat, Capellaniam vero esse laicalem circa caeteros iuris effectus, prout dignoscitur ex verbis, quibus declaravit eam *non esse collativam.* Non enim repugnat laicalem diversis re-

spectibus esse Capellaniam, et quoad personas nominandas ecclesiasticam. Caeser. de Grass, *decis.* 114 *de Praeb. per tot.*

In *Nullius Farfen.* 12 Aug. 1741 fundata fuerat Capellania ad altare B. M. V. ab Angelo salutata, electusque fuerat a Fundatore suus nepos in primum Capellanum, « cum » arbitrio et potestate utendi et » fruendi dicta Capellania, eiusque » bonis, et dote; sub onere tamen » quarumdam Missarum, ab ipso » caeterisque Capellanis implendo... » et Praepositus pro tempore in di- » cta ecclesia, praedicta exequatur, » et exequi faciat, sine aliqua iu- » dicis sententia, et auctoritate. » Cum quaesitum fuisset: « an dicta » Capellania retineri queat in statu » coniugali: » responsum fuit: *negative.* Censuit nimirum S. Congregatio Capellaniam esse quidem laicalem, conferendam tamen esse personae ecclesiasticae, iuxta Testatoris, mentem.

In *Civitatis Castelli Capellaniae* die 24 Aprilis 1751, actum est de Capellania hisce sub legibus fundata: « ut esse debeat mere laicale iuspa- » tronatus Canonici N. et eiusdem » successorum, ad quos pertineat in » perpetuum nominatio libera om- » nium et singulorum Capellanorum » ... ut ad Episcopum spectet ere- » ctio dictae Capellae absque ulla » subordinatione Datariae Aposto- » licae, nec Episcopus ius acquirat » conferendi dictam Capellaniam » tamquam beneficium ecclesiasti- » cum, neque instituendi nominatum. » Ut dictus Capellanus vel Capellani » sint ad nutum amovibiles et ad » libitum dicti Canonici, eiusdem- » que successorum. » Huius Capellaniae erectio nunquam facta fuit ab Episcopo, et Capellani ex se possessionem susceperunt. Proposito deinde dubio: « an Capellania » sit mere laicalis, ita ut retineri » possit in statu coniugali: » S. C. respondit: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius.* Iudicavit nimirum Capellaniam esse laicalem, quin tamen retineri posset in statu coniugali, iuxta Testatoris mentem.

In *Anconitana Capellaniae* diei 12 Maii 1779 iusserat Sacerdos N. institui tres Capellanias laicales, quibus distinctam dotem ex suis bonis assignavit: Capellanis vero ius tribuerat propria auctoritate *capiendi possessionem bonorum*, et onus iniunxit *celebrandi, aut celebrare faciendi* binas Missas in singulis hebdomadis. Disputatum deinde est dubium: « an Capellaniae » sint laicales, ita ut possideri pos- » sint etiam a laicis. » Sacra Congregatio rescripsit: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Item in *Montis Alti Capellaniae* die 22 Augusti 1795 instituerat pius vir Capellaniam, seu legatum simplex, seu ius patronatus laicale favore sui nepotis cum onere celebrandi, aut celebrare faciendi duas Missas singulis hebdomadis sine li-

centia, intromissione, aut praesentatione Episcopi, vel alterius iudicis, semper et in futurum. Deinde post nepotem ad dictam Capellaniam vocavit suos haeredes, quibus tribuit facultatem sine licentia, praesentatione etc. nominandi Sacerdotem ad ipsam Capellaniam laicalem, qui celebraret aut celebrare faceret duas Missas singulis hebdomadis in perpetuum. Sacra Congregatio ad dubium : « an Capellania sit mere laicalis, ita ut retineri possit a laico, » et foemina in casu : » respondit : *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*. Quamvis enim Capellaniae sint mere laicales, non exinde sequitur necessario quod laici eas habere possint. Non enim repugnat ut Capellania vere laicalis sit, et de personis nominandis ecclesiastica, ita ut eamdem laici retinere nullatenus possint. Caeteris itaque eiusdem generis omissis Resolutionibus, praestat sequentes adducere, quibus S. Congregatio iudicavit Capellanias laicales posse a laicis vel pueris etiam retineri.

Rariores quidem sunt eiusmodi Resolutiones; namque Testatores Capellanias laicales instituentes, explicite vel implicite animum intendere solent ad Capellaniam instituendam laicalem quidem, sed conferendam saltem Clerico. Attamen non desunt nonnullae Resolutiones S. Congregationis Concilii, quibus Capellania laicalis adiudicata sit laico, quin imo etiam infantibus.

In *Romana Capellaniae* die 12 Iunii 1712 Testator instituerat Capellaniam in quadam Regularium ecclesia, cum onere celebrandi, aut celebrare faciendi Missam quotidianam, ac ipse primum Capellanum nominavit Virum N., eodem iniuncto onere donec viveret, quo mortuo eamdem Capellaniam indicatae ecclesiae Regularibus reliquit. Mortuo Testatore, cum existimata fuerit laicalis Capellania, defuit Ordinarii Auctoritas pro canonica erectione, ac Vir N. in possessionem Capellaniae devenit. Cum vero deinde matrimonium contraxisset, putarunt Regulares praedicti non posse Virum N. Cappellania frui, quam ecclesiasticam ranunciabant: quaestio itaque mota est: « An Capellania de qua » agitur sit laicalis, sive potius ec- » clesiastica. » Si enim laicalis iudicata fuisset, nihil impediebat quominus laicus coniugatus eam retineret, cui retentioni Testatoris voluntas non refragabatur. Causa autem discussa, S. C. C. censuit Capellaniam laicalem esse, respondens: *affirmative ab primam partem, negative ad secundam*.

In *Auximana* 15 Dec. 1787 Testator Capellaniam laicalem fundaverat favore suae familiae, cui reliquit ius tam activum, quam passivum patronatus. Primus Capellanus a Testatore nominatus Capellaniam obtinuit, et *ex gratia* S. Sedis eam in statu coniugali retinuit; verba enim testatoris videbantur exigere qualitatem ecclesiasticam. Primus autem Capellanus iam senescens ac in magnam

vergens inopiam, postulavit a S. C. C. facultatem nominandi filium suum coniugatum in Capellanum successorem. In examen causa revocata est, et proposito dubio: « an sit » concedenda Ioachimo facultas » nominandi Hieronymum eius fi» lium coniugatum in Capellanum » successorem in casu: » S. Congregatio respondit: *affirmative, praevia dimissione*. In folio eo tempore exarato, *ex officio* observabatur favore Oratoris, quod Testator praesertim in familiae commodum Capellaniam fundaverat, cum dictitare soleret haereditatem suam in beneficium consanguineorum cessuram fore. Quare S. Congregatio iuxta Testatoris mentem, attenta paupertate in quam dicti consanguinei devenerunt, censuit praefatam Capellaniam posse a laico coniugato retineri, quamvis Testatoris verba praeseferre prima fronte viderentur clericalem qualitatem.

In causa *Civitatis Castelli* die 1 Martii 1776, Testator duas fundaverat Capellanias, ac voluit ut eae considerarentur tamquam legata perpetua, et non aliter. Reliquit autem cuidam familiae ius nominandi Capellanum; quibusdam vero aliis familiis ius passivum reliquit, quo descendentes Clericos ex Viro N. nominari prae caeteris ad Capellaniam statuit. Contigit autem, ut ex Viro N. nullus descendens clericus haberetur; nullusque alius ex vocatis nisi puer sexennis extabat de quo dubitatum est, an capax esset assequendi dictas Capellanias, ac proposita sunt S. C. C. sequentia dubia: I. « an Paulus... » (nempe puer sexennis) sit capax » consequendi Capellianas.. in casu. » et quatenus negative: II. « an sit » locus dispensationi in casu: » S. C. C. respondit: ad I. *affirmative*. Ad II. *provisum in praecedenti*. Iudicavit nimirum S. Congregatio puerum sexennem capacem esse consequendi in casu laicales Capellanias, neque dispensatione Apostolica indigere; quamvis neque ad aetatem canonicam pertigisset septem annorum, qua recipere posset clericalem tonsuram.

Quamvis autem laicales Capellaniae ex Testatorum voluntate soleant exigere qualitatem saltem clericalem personae nominandae, non inde consequitur, quod Clericus nominatus teneatur oneribus, quae ex iure iniunguntur illis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, cuiusmodi est onus recitandi divinum officium, iuxta textum in *cap. Dolentes* 9 *de Celebrat. Miss., et cap. Quia de Rescriptis in* 6. Quare in *Perusina* die 29 Augusti 1789 cum Clericus obtinuerit Capellaniam, ac deinde dubitaverit, an ea esset laicalis vel ecclesiastica, ita ut teneretur recitare divinum officium; sequens dubium S. C. C. propositum fuit resolvendum: « an Ca» pellania Massi sit ecclesiastica, ita » ut recitare teneatur Capellanus di» vinum officium in casu. » S. Congregatio respondit: *negative in omnibus*.

Capellaniae itaque laicales inter ecclesiastica beneficia non sunt re-

censendae, sed considerari solent tamquam legata pia, eo modo, quo supra diximus.

Non raro accidit, ut inspectis Testatorum verbis non clare appareat, an Testator iusserit Capellaniam laicalem erigi, an potius ecclesiasticam: in hoc dubio, prout Auctores docent, Capellania iudicanda est ecclesiastica. Ad instar exempli adduci potest causa *Capellaniae*, quae apud S. C. C. agitata est die 19 Aprilis 1863. Testator anno 1871 testamentum condens *iure legati* de pluribus suis bonis disposuit, quae tandem reliquit, *altari S. Francisci, in ecclesia S. Mariae...ita ut constitui debeat Capellanus amovibilis cum onere celebrandi sex Missas quotannis in perpetuum pro anima Testatoris, et celebrandi solemniter diem festum sancti Francisci*. Voluit autem ut Capellanus nominaretur a viro N. N. et a suis. Disputatum itaque est an Capellania ita instituta, reputanda esset ecclesiastica, vel laicalis, gravibus utrinque allatis rationibus. Patroni qui contendebant, Capellaniam esse laicalem, aiebant, ex adducta testamenti particula satis constare Testatorem, non aliud voluisse, quam simplicem Missarum officiaturam, maxime cum nulla mentio facta fuerit de Episcopi auctoritate; tantummodo enim Testator dixerat, ut Capellanus ad nutum amovibilis nominaretur a viro N. N. et a suis.

Aiebant insuper Testatoris mentem apprime declarari per factum, quo nunquam canonicam erectionem intervenisse contendebant, et usque ad annum 1810, Episcopos, nominatis Capellanis, nunquam institutionem canonicam contulisse. Quae solemnitates intervenire necessario debent, quando agitur de ecclesiastica Capellania, et quemadmodum harum solemnitatum interventus, est criterium ad ostendendam Capellaniae alicuius ecclesiasticitatem; ita earumdem defectus ostendit Capellaniae laicitatem.

Neque opponi posse iidem Patroni contendebant theoriam, quam tradunt Auctores de ultimo Beneficiorum statu. Eiusmodi enim theoria afferri potest quando agitur de quaestione, quae in possessorio agitatur; non vero de quaestione, quae in petitorio movetur, cuiusmodi erat praesens quaestio, in qua non quaerebatur de ultimo Capellaniae statu; sed de natura eiusdem Capellaniae.

Curia episcopalis e contra contendebat Capellaniam esse ecclesiasticam, verumque ecclesiasticum beneficium, illudque sine speciali dispensatione Apostolicae Sedis possideri non posse nisi a Clerico, qui incedat habitu et tonsura. Rationes autem, quas Procurator Fiscalis adducebat, ad sequentes reducuntur: nempe, ex Canonistarum sententia, Capellaniam in dubio praesumendam esse ecclesiasticam. Licet autem erectionis decretum auctoritate Episcopi emissum in Curiae Tabulario non reperiretur; id adscribi debere aiebat vicissitudinibus, quas archivium passum est. Huiusmodi autem decretum

canonicae erectionis adfuisse dicebatur, tum quia Testatoris verba non refragantur Episcopi interventui; tum quia in antiquis actis SS. Visitationum eiusmodi Capellania appellata est *Beneficium de iurepatronatus:* mentio fit in iisdem actis de *iure nominandi, et praesentandi Capellanum amovibilem ad nutum ad dictum simplex beneficium*. Hisce autem argumentum adiungebatur ex paritate: nimirum, idem Testator iisdem testamentariis tabulis, alteram Capellaniam instituerat iisdem fere verbis *iure legati*, eamque habitam semper fuisse tanquam ecclesiasticam, nemine contradicente.

Proposito itaque dubio S. Congregationi Concilii: « an constet de » Capellania mere laicali, ut retineri » valeat a laicis et coniugatis in ca» su;» responsum prodit; *negative in omnibus*. Censuit nimirum S. Congregatio non constare de laicali natura dictae Capellaniae, neque eamdem a laicis posse possideri.

Ex hactenus dictis liquet, quaenam sit praxis, quae obtinet apud SS. Congregationes, cum agitur de indole harum Capellaniarum; quantum discrimen inter utrasque interponatur; et quaenam sint criteria quibus utraque earumdem species dignoscatur. Censetur Capellania laicalis, quando excluditur a Testatore ecclesiastica Auctoritas in erectione eiusdem, et actibus collationis, quo in casu Episcopus sua auctoritate intervenit dumtaxat ut defensor, et executor piarum Testatorum voluntatum. Si autem exclusa non sit isthaec episcopalis auctoritas, Capellania praesumenda est ecclesiastica, ac proinde canonicae erectioni, et collationi vel institutioni fit locus, sicut evenit in beneficiis ecclesiasticis, sive liberae collationis, sive iurispatronatus.

Quemadmodum autem eiusmodi solemnitates intervenire debent, cum agitur de Capellania ecclesiastica; ita iisdem solemnitatibus intervenientibus, deduci optime potest Capellaniam esse ecclesiasticam; maxime cum nihil impedit quominus Capellania, quae forsan in sua institutione reputanda erat laicalis, per eiusmodi canonicos actus decursu temporis evadat ecclesiastica.

Cum autem Capellaniae mere laicales aequiparari soleant legatis piis, non subsunt illis legibus, quae in iure statutae sunt dumtaxat pro ecclesiasticis beneficiis: subsunt autem legibus, quae communes sunt legatis piis, aliisque ex voluntate Testatorum impositis legibus.

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

BRIXIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVAE DEI BARTHOLOMAEAE CAPITANIO

FUNDATRICIS PRIMARIAE INSTITUTI

SORORUM A CHARITATE IN OPPIDO LUERE.

Rem gratam Lectoribus nostris facere putamus si ex sapientiae thesauris acta respicientibus, quae Canonizationi Servorum vel Servarum Dei praemittuntur, nonnulla decerpamus, prout huius ephemeridis instituto convenit, quae sapientem praxim commemorent, quam in huiusmodi amplissimis causis pertractandis tenet Apostolica Sedes; quaeque praxis ad instar normae data opportunitate haberi poterit.

Ut autem a S. Sedis iudicio incipiamus, quod fertur super Signatura Commissionis pro Causae introductione, occasionem nobis offert opportunam praesens causa servae Dei Bartholomaeae Capitanio.

Quid autem sit faciendum antequam eiusmodi causae S. Sedi proponantur, quinam sit modus quo institui ac confici debeant in episcopalibus Curiis primi processus, qui ordinarii vocantur; quaenam sint normae servandae et alia id genus; non est cur heic dicamus, quae longam requirerent disquisitionem, quamvis ea cursim innuere vellemus: de qua re Lector benevolus, si quid quaerat, consulere potest ingentia volumina, quae Benedictus XIV. conscripsit. Nostri porro est nonnulla summis labiis delibare, ex iis quae proponuntur causis, quaeque in practicam cognitionem unius, alteriusque rei observandae ducant.

Exponemus itaque, vel indicabimus in praesenti causa, quid ex ordinario processu in Curia episcopali peracto scripserit in Urbe Procurator favore Servae Dei; quid autem fuerit discepta-

tum inter eiusdem causae Procuratorem, et Fidei Promotorem circa nonnulla, quae processum ipsum ordinarium respiciebant, antequam limen huius prioris iudicii causa ingrederetur (1).

Compendium vitae servae Dei.—Luere, quod est oppidum in Bergomi provincia dioecesis Brixiensis nata est idibus Ianuarii anno MDCCCVII. Bartholomaea, Modesto Capitanio et Catharina Canossi parentibus. Domi primos pueritiae annos transegit, quibus statim acre supra aetatem ingenium patuit et memoria tenax. Quamvis mobilis natura et imprimis fervida, obsequio tamen et amore plurimum erga parentes affecta, eorum voluntati facillime obsecundabat. Egregia profecto de ea auspicari licebat si bona institutione usa esset: usa est autem optima in asceterio Monialium, quod anno aetatis duodecimo ingressa est. Brevi iis omnibus quibus honestarum puellarum aetas informari solet erudita, christianae perfectionis assequendae studio vehementer exarsit. Cum enim, nobili quadam aemulatione virtutis, paleis imparibus extrahendis decertaret quaevis ex alumnis, ut sibi a Deo veluti mandatum daretur alacrius ad sanctitatem enitendi, hoc munus, adductis paleis, Bartholomaeae obvenisse compertum est (2). Gestiit enimvero Dei Serva quod votis annuerit Deus, eique gratias et egit et habuit. Inde novus in ea exortus proficiendi amor in Sanctorum scientia; in coercendis animi cupiditatibus et perturbationibus quibuscumque diligentia, contentio maior; alia in sermone, alia etiam in statu, in incessu, in vultu, in oculis, in corporis totius motu visa est. Quapropter Dei Servae Bartholomaeae in hoc christianarum virtutum curriculo cedere aliae omnes palmam coactae sunt, eamque posthac non aemulam, sed perfectionis exemplar quod imitarentur habuere.

(1) Causae Servae Dei defendendam suscepit Advocatus Laurentius Lauri, adversus quam animadversiones fecit R.P.D. Petrus Minetti S. C. Advocatus S. F. Promotor.

(2) Ludit propemodum Deus in orbe terrarum. Etenim cum Bartholomaea duodennis adhuc inter puellas Asceterii Sanctae Clarae Luerensis oppidi institueretur, et asperioris nonnihil ingenii specimen exhiberet, die quadam alumnarum moderatrix, velut per iocum iisdem proposuit, ut cui e variis collectis stipulis longior contigisset, illam prae caeteris ad sanctitatem enixius contendere oportere. Eductis collatisque paleis, Bartholomaeam tulisse punctum apparuit, quae a Deo hanc sibi in posterum provinciam demandatam censuit, ut veluti perfectionis christianae exemplar aliis praeluceret.

Altiora ipsa mente semper repetebat. Sancti Aloisii, quem iam sibi tanquam patronum adlegerat, mores, ac praecipue integritatem et puritatem animi referre statuit. Modestiae propterea et christianae abstinentiae assidue studiosa, saeva etiam in corpus, quod catenulis et flagellis cruentabat. Illudere vero aliis falsae ostentatione virtutis non poterat; nam pertentandi saepe eius constantiam Monialibus occasio non defuit, saepe etiam ab ipsis studiose causa conquisita. Acriter non semel Bartholomaeam insectata est puellarum Magistra, deque aliarum culpa non obiurgavit modo, sed et poena mulctavit, ipsa vero serena fronte tum obiurgationes tulit, tum poenas, quin suae defensioni studeret, libenter subiit. Nihil ipsa quod ad moderandos appetitus pertinet praetermisit. Eo fraeno coercebat assidue animi cupiditates, ut ne inopinato quidem motu mens praeoccuparetur. Calculos etiam in os iniecit, ne quid subita commotione ex eo imprudenter excideret; quodque Graecus Orator ut rite pronuntiaret, Dei Serva Capitanio ut bene sapienterque ageret, firmitate eadem effecit; tanto profecto haec illo praestantior, quanto animo pluris est imperare, quam linguae.

Pro eius ergo et pietate et in omni muliebri exercitio peritia qua caeteris anteibat Dei Serva, aliarum puellarum institutioni praefecta est: quo in munere sic se cunctis probavit, sic animos alumnarum sibi amore devinxit, ut punctum temporis ab ea divelli non sinerent. Verbis itaque explicari vix potest, quo dolore et fletu eam prosequutae omnes fuerint, cum paternam domum reversa est, in qua Bartholomaeae immutatus parumper exterior vivendi modus, non mutatus animus: quo quidem nescio an magis ei opus fuerit, quam domi cum versaretur cum suis. Patre enim perditissimo, ac morosa supra modum asperaque sorore utebatur, quin tamen cum ea in simultate unquam fuerit, nec patri quidquam reverentiae, quae filiam decet, vel semel detraxerit. Magis utrumque sibi benignitate et patientia devinxit; patrisque, quod potissimum est, labore et industria charitatis plena, mores emandavit, cuius extremum vitae anhelitum de futura eius sorte iam tuta suscepit. Interim ut Praesulibus obtemperaret, domi etiam puellarum institutionem suscepit: quod quam utile fuerit, desiderium illud probat quo quisque ardebat, ut suae filiae a Serva Dei in-

stituerentur; ac puellarum profectus, desiderium illud longe exsuperans.

Sed hoc tantum negotium agere ei quidem turpe visum, et vehementiorem tandem de aliorum salute ardorem cohibere ulterius non valuit. Quare sapientiam et auctoritatem eius secuta cui animi secreta omnia aperuerat, erigendae congregationi operam adhibuit, auspiciisque S. Aloisii, B. Mariae Virginis ac Iesu Christi, cuius opem non defuturam pro certo habuit, Institutum aperuit Sororum, quae a Charitate dictae sunt: ita, quod cognomento iam praeferebat, ad christianae reipublicae bona propaganda aliis dux et auctor esse coepit. Tanta autem brevi eius Instituto accessio honoris facta est, ut praesidum magisterio, necnon alumnarum frequentia et eruditione facile caeteris antecesserit. Quo Dei aperto favore recreata et erecta mirum quo conatu Dei Serva aliorum saluti adlaboraverit.

Nec solum in scholis puellas bonis artibus et pietate informabat, sed etiam aegrotos in nosocomiis pro sui instituti ratione alloquio auxilioque solabatur, ad religionis officia alliciebat. Sentit luerensis oppidi gens, sensere remotiores etiam regiones, quae civitatibus emolumenta ex Instituto Dei Servae proventura essent. Hinc late excitari multorum rogatu ad mentem Dei Servae asceteria complura: hinc etiam magis de sanctitate Bartholomaeae famam augeri. Verum octo elapsis mensibus ab initiato Instituto, vitae cursus ei morte interruptus est. Doluit quidem quod parum de divina bonitate promerita esset, gavisa tamen est quod, compagibus corporis expedita, Deo in aevum fruendo coniungeretur; apud quem assidue se causam Instituti promoturam spopondit. Itaque lento morbo qui sensim subrepens vires attriverat, postquam rite sacramentis Ecclesiae se muniisset, consumpta est VIII. Kal. Augusti anno MDCCCXXXIII, cum annum aetatis vigesimum sextum explevisset. Non deferbuit erga Dei Servam post mortem populorum studium, quin additis a Deo eius honori portentis magis flagravit. Ipsam vero exsolvisse in coelis quod promiserat, augescente in dies magis Instituti fortuna et gloria, demonstratum est.

Post hanc Vitae Servae Dei adumbrationem, de more Procurator gradum faciebat ad ostendendas distinctis articulis virtutes theologales, heroicam nempe fidem, heroicam spem, he-

roicam in Deum charitatem, heroicam charitatem in Proximum. Deinde vero virtutes cardinales, heroicam nempe Servae Dei prudentiam, heroicam iustitiam, heroicam fortitudinem, heroicam temperantiam; tum heroicam obedientiam, heroicam castitatem, heroicam humilitatem. Huiusmodi demonstratis articulis, sermo fiebat de donis supernaturalibus, quibus ditata est Dei Serva dum viveret, ac insuper de fama Sanctitatis in vita; de postrema infirmitate et pretioso eiusdem obitu; de fama sanctitatis post obitum; et de signis post eiusdem obitum.

Antequam autem Causa ita elucubrata S. Congregationi proponatur, ad effectum de quo diximus, remittitur cum suo integro ordinario processu, ad Fidei Promotorem, qui pro suo officio, ad trutinam eo processu revocato, scribit ea quae adversari videantur dictae signaturae commissionis pro causae introductione, sive respiciant causae extrinseca, idest modum quo institutus fuerit processus, caeterasque solemnitates observandas; sive respiciant causae intrinseca, videlicet ipsas Servae Dei virtutes, Sanctitatis famam etc. Ea autem quae Fidei Promotor ex officio scribit appellantur *Animadversiones,* ex quibus ad rem nostram facientes, sequentes seligimus.

Disceptatio synoptica.

Animadversiones promotoris fidei. — Animadvertebat initio Fidei Promotor observata non videri in praesenti causa, ea quae Benedictus XIV. in opere *de Serv. Dei Beatif. lib.* 2 *c.* 36 servanda tradit, videlicet: quod petitio, sive instantia pro signatura commissionis non proponatur in SS. Rituum Congregatione, *nisi revisis operibus conscriptis a Servo vel Serva Dei, si scripsisse constiterit;* Innuebat enim Promotor, dubium saltem esse, an haec fuerint observata. Constabat enim ex testibus, a Bartholomaea plurima esse scripta, aut aliis dictata; neque epistolas modo, verum et suae vitae methodum, pias commentationes, novendialia, preces, atque id genus alia. Haec autem non omnia S. Congregationi fuisse exhibita ostendebat Fidei Promotor ex testimonio unius testis, qui conqueri videbatur, non omnia Servae Dei scripta ab alumnis Instituti exhibita fuisse et *nonnisi post recentiora Episcopi edicta in lucem prodierunt multa ex suis scriptis.* Quare Promotor novam inquisitionem indicendam esse aiebat, ut quae adhuc laterent, in lu-

cem prodirent: de scriptis autem iam exhibitis vel documentum afferri oportere, quo plane constaret, iam ad trutinam ea fuisse revocata, et nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora; vel Apostolicum exhiberi rescriptum, quo id in posterum fieri liceat.

Circa rationem processus luere habiti. — Circa rationem confecti processus animadvertebat Fidei Promotor, quod quamvis in hac iudicii sede rimandae minutatim non sint processus tabulae, cum sufficiat si eae *nullo patente nullitatis vitio laborent;* Benedictus XIV. *l. c. n.* 12: nihilominus nonnulla satis gravia opponi videbuntur praescriptae rationi conficiendi eiusmodi processus. Namque haec iudicia, criminalibus iudiciis aequiparantur; iuxta autem criminalis iuris axiomata testes omnes interrogatos non fuisse Promotor aiebat. Doctores enim iuris criminalis docent, suggestiva esse non debere interrogatoria; ita Ludovicus a Pegnera, *Decis. crim. c.* 5 *n.* 21 scribit: « Interrogatio debet fieri in genere, non autem in specie seu in individuo.... » et est ratio, quia si in individuo fieret interrogatio, esset potius incitare, vel suggerere, quam quaerere. »

Item Cyriacus *Controvers. forens.* 150 *n.* 97: « Debet animadvertere (Iudex) et cavere omnino, ne per suggestivas interrogationes..... ita proponat factum qualificatum, quale praetendit esse et habere Curia; sed interrogare in genere iuxta *text. in lege* 1 §. *qui quaestionem ff. de Quaestionibus*, cuius sunt verba: *Qui quaestionem habiturus est non debet specialiter interrogare; an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter; quis id fecerit. Alterum enim magis suggerentis, quam requirentis videtur.* » « Alias (ut ipse Cyriacus subdit *n.* 102) confessio rei per suggestionem extorta, quam de se, quam de sociis, est ipso iure nulla et neminem afficit. » Quod confirmat et ampliat Farinacius *quaes.* 83 *c.* 4 *n.* 84 *et* 86: « Confessio per suggestionem extorta non sufficit ad condemnandum et omnia inde secuta sunt ipso iure nulla. » Et *n.* 86. « Ampliat: propositam huius quarti capitis regulam etiam procedere in examine testium, in quibus etiam a iure prohibitam esse suggestionem dixi in tractatu de testibus etc. »

Quaenam vero pro suggestivis interrogationibus habendae sint, idem Farinacius docet, et affert exempla *ibid. n.* 84. « Iudex

» non debet reum interrogare de circumstantiis, et qualitatibus » specialibus commissi delicti: an scilicet interfecerit Titium in » tali loco, tali die, vulnerando in pectore cum ense, et sic de » singulis; sed debet ipsum generaliter interrogare: an a tanto » tempore citra, fecerit aliquam rixam, cum quo, in quo loco, » qualiter, in quo tempore, an illata fuerint aliqua vulnera, » qua parte corporis, et his similia. »

Hac exposita doctrina adducebat Fidei Promotor ad instar exempli septem vel octo interrogatoria, quibus factum qualificatum testibus propositum fuit. Adducam unum, vel alterum. Interrogatorium LIV. sic propositum esse contendebat: « Determinata a Su» perioribus forma Instituti, optavitne (Serva Dei) sese recipere » in parata domo, et piam operam incipere; vel haesitne paulisper » anceps cum careret alumnis ? » De quibus nullam fuisse in antecedentibus interrogatoriis habitam mentionem, Censor affirmabat.

Item interrogatorium CLXXVII, conceptum hisce verbis ferebatur testibus fuisse propositum: « Habesne factum aliquod, vel » dubium opponendum illi, qui arguere praetendat servatam sem» per ab Ea fuisse baptismalem innocentiam, quique innitatur I. » innocenti Eiusdem rationi vivendi priusquam Ipsa duodennis, » monasterium ingrederetur ? II. etc. etc.» Ex his aliisque similibus concludebat Fidei Promotor nihili facienda esse eiusmodi interrogatoria utpote suggestiva, et inquisitionem omnem adeo vitiare, ut nullius prorsus momenti sit habenda.

Iterum adnotabat Fidei Promotor elanguidas apparere, ac pene exangues testium responsiones iuxta dicta interrogatoria.

Isti namque uno alterove sese expediebant verbusculo, scilicet – *id audivi a variis - sic se ostendebat - affirmative - verum est* etc. Porro ait Benedictus XIV: « Quidquid scripserit Pignatell. *con*» *sult.* 190 *t.* 1, ubi ait non esse reiiciendam testis depositio» nem, qui, lecto sibi articulo, super quo inducitur, respondet, » articulum esse verum; *nulla profecto talis depositionis habenda* » *est ratio.*» Hinc ad instar exempli idem Pontifex memorat Causam *Papien.* seu *Feltrens.* Canonizationis B. Bernardini de Feltro, in qua S. Congregatio die 10 Iunii 1664 declaravit – « *nul*» *lam rationem habendam illorum testium, quos adnotatum est* » *respondisse per solum verbum* recte, *seu dixisse,* articulum esse » verum. »

Ac caeteris omissis animadvertebat denique Fidei Promotor, testes neque id intellexisse de quo rogabantur, sic ex. gr. cum quaereretur a teste : « *quomodo* Bartholomaea Dei iustitiam » exercuit? ipse respondit *affirmative.*» Item cum quaereretur: » ostendebat ne et quibus signis animum vehementer exosum » Serva Dei levioribus quoque Dei offensis? » cui interrogationi testis respondit: *affirmative.* Eiusmodi porro exempla frequentiora esse in processu Censor aiebat; neque scientiae causam testes assignasse. Porro ut ait Glossa *in c.* 16 *de Sent. et Re iudicat. v. de causis,* « non sufficit testi dicere se scire, nisi assi- » gnet causam scientiae suae, cum multa sint genera sciendi. »

Post haec et alia, quae circa processum subtiliter diligenterque adnotaverat Fidei Promotor ad alia procedebat animadvertenda adversus sanctitatis famam post obitum, et nonnulla adversus virtutes; quae cum specialia omnino sint, et ad rem nostram minus pertineant, brevitatis causa relinquimus.

Procuratoris responsiones. — Ampla oratione disiicere curabat Procurator oppositas animadversiones, ex qua nonnulla desumimus. Et circa primam adnotationem, quae examen respicit scriptorum Servae Dei, respondit: peractam fuisse perquisitionem iuxta instructiones traditas; eaque scripta insimul collecta per processum, qui *diligentiarum* dicitur, in Urbem fuisse transmissa, et ad trutinam revocata; et rescriptum a S. Congregatione exiisse, die 11 Augusti 1860 hisce verbis conceptum: *nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora, reservato iure Promotori Fidei opponendi prout et quatenus de iure.* Atque ostendere curabat ex adducto a Promotore testimonio, argumentum sumi non posse, quo ostendatur alia adhuc superesse Servae Dei scripta perquirenda.

Deveniens Defensor ad ea quae obiiciebantur adversus processus confectionem, ante omnia adnotabat, in praesenti iudicii sede, agi de processu ordinaria auctoritate dumtaxat confecto, non vero auctoritate Apostolica. Et licet optabile admodum esset, ut et processus isti ordinarii iisdem prorsus servatis solemniis conficerentur, ac processus Apostolici: attamen non raro secus se habere contingit. Epistolam circularem S. R. Congregatio edidit die 12 Martii 1631, qua conditiones in his processibus exarandis servandas constituit: quam tamen Epistolam

decreto irritante non communivit: ideoque si quid contra illius Epistolae praescriptum actum fuisse in his processibus aliquando repertum est, non idcirco S. Congregatio nullitatem processus declaravit. Benedict. XIV. *l.* 2 *c.* 43 *n.* 18. Hisce in genere praenotatis ad singulas obiectiones disiiciendas vel enervandas Orator descendebat.

Quoniam autem praecipuam argumenti vim Fidei Promotor repetebat ex eo, quod eiusmodi iudicia criminalibus iudiciis aequiparentur, quamvis id Defensor non negaret, sed ultra concederet; attamen indicabat plures esse differentias inter utraque iudicia. Utile putamus eiusmodi differentias a Defensore indicatas heic integre referre; eo magis enim rem aliquam cognoscimus, quo magis eam a caeteris distinguimus.

In iudiciis criminalibus (ita distinguebat Defensor) inquisitio inchoatur et perficitur a Iudice et Actuario, quin Fiscalis locum habeat in examine tum rei tum testium dum conficitur processus. In iudiciis nostris Fiscalis adest ab initio ad finem inquisitionis. In criminalibus interrogatoria fiunt a Iudice, in nostris exhibentur a Fiscali, ea servata cautela ut ipsi Iudices interrogatoria ignorent usque ad actum examinis. In criminalibus Iudex interrogat iuxta necessitatem et opportunitatem, quae varia semper esse potest in progressu inquisitionis: in nostris una est interrogatoriorum formula iuxta quam singuli testes debent examinari: interrogatoria vero elucubrantur super articulis antecedenter a Postulatore exhibitis: adeo ut non spectent modo ad eruendam generice veritatem; sed etiam ad probandam existentiam vel non existentiam factorum, quae in articulis tamquam vera ponuntur. In criminalibus contestationes fiunt, testium dicta vel reo vel aliis testibus communicari possunt: in nostris testium responsa secreta semper manent usque ad Processus absolutionem. In criminalibus agitur de uno alterove crimine probando, quod testium memoriam fugere nequit: in nostris agitur de probanda heroicitate singularum christianarum virtutum alicuius Servi Dei, quae probari debet per specificos cuiusque virtutis actus ita repetitos, ut de perseverantia in virtutum exercitio usque ad obitum pariter constet: agitur namque de integra servi Dei vita, de singulis ferme actibus di, gnoscendis, qui, nisi appositis interrogationibus testes iuventur-

eorum memoriam fugere facile possunt. Hinc est quod non raro testium responsa ad interrogatoria, elanguida sunt; contra vero plenissima legimus eorum testimonia cum super articulis interrogantur.

Hisce adnotatis, contendebat insuper Defensor ea interrogatoria, quae ut suggestiva ex adverso reiiciebantur, habenda saltem esse tamquam articulorum paraphrases, vel ipsos articulos in partes divisos.

Quod si fieret etiam hypothesis, qua suggestiva renunciarentur interrogatoria a Censore indicata, non inde tamen sequi aiebat Defensor, reliqua omnia nihili esse facienda.

Etenim interrogatoria simul sumpta, erant numero DXVIII; sunt autem a Censore notata CL; itaque concedatur oportet validam esse inquisitionem circa reliqua interrogatoria quae supersunt CCCLXVIII. Quae responsio quamvis ipsimet Defensori non satis arrideret ex hypothesi quam ipse reiicere contendit; attamen hac etiam facta hypothesi, cum non agatur de processu Apostolico, qui clausula irritante est communitus, non inde sequi aiebat inquisitionem nihili esse faciendam.

Negabat praeterea elanguidas esse et pene exangues testium responsiones, si nonnullae exciperentur; quas elanguidas responsiones ultro Defensor concedebat esse reiiciendas; idest iis responsionibus neminem inniti posse ad virtutes Servae Dei et reliqua ostendenda, quemadmodum ipse Defensor iis non innitebatur.

Ad ea vero, quae obiiciebantur circa testium responsiones, ex quibus Censor arguebat, testes interrogationes non intellexisse: Defensor respondebat: indicatas interrogationes duplici parte constare, nimirum utrum Serva Dei *animum ostenderet exosum etc.* et 2 *quibus signis:* per responsionem autem, *affirmative,* testis ad unum respondit; ex eo autem quod ad alterum non responderit, argui non potest, testem interrogationem non intellexisse. Idem aiebat Defensor esse dicendum de altero interrogatorio a Censore opposito, si completum exhibeatur, quod ita se habebat: *Quomodo Bartholomea Dei iustitiam exercuit? Conspiciebatur ne constanter et alacriter submissa in omnibus Dei voluntati, et totaliter a Deo dependens?* Cui interrogationi testis respondit: *affirmative.*

Nullo iure dici posse denique contendebat, testes causam scientiae suae non reddidisse, si animadvertantur quae docet Benedictus XIV. *loc. cit. l.* 2 *c.* 49 *n.* 10. « Cum in causis beati- » ficationis et canonizationis testes ut plurimum deponant de his » quae sensu corporeo non percipiuntur, vel de miraculis, quae » habent causam occultam, hinc fit, testem in hisce causis, et *de* » *praedictis actibus* deponentem teneri reddere causam scientiae, » etiamsi de ea a iudicibus non fuerit interrogatus, et quidem si » causam non reddiderit, non erit eius dicto deferendum. » Ex quibus verbis deducebat Defensor non teneri testem, saltem sub poena nullitatis sui examinis, reddere scientiae causam cum deponat de actibus, qui corporeo sensu percipi possunt. Sed praeterea adductis exemplis, quibus contrarium ostendebat, adprecabatur Emos Patres reliqua in processus tabulis videre.

Hisce itaque et aliis utrinque ample disputatis, propositum est Sacrae Congregationi dirimendum consuetum

Dubium.

« An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et » ad effectum de quo agitur. »

Resolutio. — In S. Congregatione Ordinaria SS. RR. omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescriptum fuit: *affirmative,* sive *signandam esse Commissionem si SSmo placuerit.* Die 3 Martii 1866.

Facta postmodum de praemissis per R. P. D. Secretarium SSmo D. N. Pio Papae IX. relatione, Sanctitas sua sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Venerabilis (1) Servae Dei Bartholoameae Capitanio praedictae. Die 8 eodem mense et anno.

(1) Hac signatura Commissionis pro Causae introductione, Servus vel Serva Dei, titulo *Venerabilis* decoratur.

AMERINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

P. FR. GENEROSI MARIÆ A PRÆMOSELLO

SACERDOTIS PROFESSI ORD. MINORUM

S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Decretum.— «Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. quintodecimo Kalendas Septembris anni 1858 benigne indulserit, ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Fr. Generosi Mariae a Praemosello Sacerdotis Professi Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum licet non elapso Decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis et scriptis eiusdem Servi Dei nondum perquisitis et examinatis; Emus et Rmus Dominus Cardinalis Iosephus Bofondi huius Causae Relator ad instantiam Rmi Patris Fr. Bernardini a Cryptis Castri Postulatoris Generalis Causarum memorati Ordinis, attentis postulatoriis Literis plurium Revmorum Antistitum etiam Cardinalium aliorumque ecclesiastica et civili dignitate illustrium Virorum, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*

» Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit « *Affirmative* sive *signandam esse Commissionem si SSmo placuerit* » Die 28 Aprilis 1866.

» Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Fr. Generosi Mariae a Praemosello praedicti.»

Die 3 Maii anno eodem.

Loco ✠ Signi C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae.
Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVAE DEI

MARIAE CHRISTINAE A SABAUDIA

REGNI UTRIUSQUE SICILIAE REGINAE.

Decretum. — « Quum superiori anno 1865 undecimo Kalendas Octobris Sanctissimus Dominus Pius Papa IX. clementer annuerit ut de Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servae Dei MARIAE CRISTINAE a Sabaudia Regni utriusque Siciliae Reginae ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, instante Rmo Domino Guillelmo De Cesare Abbate Generali et Ordinario Benedictinae Congregationis et Dioeceseos Montis Virginis, *Nullius ;* subscriptus Cardinalis huius Causae Ponens *Dubium* discutiendum proposuit Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, nimirum : *An constet de Validitate et Relevantia Processus Apostolici Romae constructi super Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefatae Servae Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore respondendum censuerunt: « *Affirmative in omnibus* » Die 28 Aprilis 1866.

» Quibus per infrascriptum Secretarium relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 3 Maii 1866.»

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

ORDINIS CARMELITARUM

ANTIQUAE OBSEBVANTIAE

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRÆSTITI

SERVO DEI IOANNI SORETH

PRIORI GENERALI

CARMELITARUM BEATO NUNCUPATO.

Decretum.—«Quum Emus et Rmus Dominus Cardinalis Prosper Caterini, instante Rmo Patre Fr. Angelo Savini Vicario Generali Ordinis Carmelitarum antiquae Observantiae, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens Dubium discutiendum proposuerit – *An constet de Cultu publico Ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedicto Servo Dei, seu de casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII?* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi probe intelligentes ex adductis monumentis indubie constare Cultum hunc publicum et ecclesiasticum longe ante Centenariam, a sa: me: Urbano Papa VIII. in suis Decretis requisitam, inchoatum, absque ulla intermissione ad haec usque tempora perseverare, pro illius confirmatione annuere haud dubitarunt; ac enunciato Dubio, audito prius voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuerunt: *Affirmative* seu *Constare de casu excepto*. Die 28 Aprilis 1866.

« De praemissis facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit, confirmavitque Cultum publicum et Ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beato Ioanni Soreth praedicto· »

Die 3 Maii anno eodem.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

RHEDONEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRÆSTITI

SERVO DEI

CONVOIONI FUNDATORI ET PRIMO ABBATI MONASTERII ROTONENSIS SANCTO NUNCUPATO.

Decretum.— « Quum Rmus Dominus Godefridus Saint-Marc Archiepiscopus Rhedonensis ex indubiis monumentis demonstrare adlaboraverit Servo Dei Convoioni Fundatori et primo Abbati Monasterii Rotonensis publicum et ecclesiasticum Cultum ab immemorabili tempore, nempe longe ante centenariam a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII. tributum fuisse, eumque cultum ad haec usque tempora perseverare, institeritque ut ab hac Sancta Sede Apostolica idem cultus confirmaretur; Emus et Rmus D. Card. Alexander Barnabò, loco et vice Emi et Rmi D. Cardinalis Villecourt huius Causae Relatoris absentis, sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, nimirum: *An constet de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedicto Servo Dei, seu de casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII?* Emi vero ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis; auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore voce et scripto sententiam suam proferente, rescribendum censuerunt « *Affirmative* seu *Constare de casu excepto.* Die 28 Aprilis 1866.

» Super quibus omnibus facta postmodum per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavitque Cultum publicum et ecclesiasticum ab immemorabili praestitum Beato Convoioni Fundatori et primo Abbati Monasterii Rotonensis. »

Die 3 Maii anno eodem.

Loco ✠ Signi C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

BUGELLEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRÆSTITI

SERVO DEI PETRO LEVITÆ

BEATO NUNCUPATO.

Decretum. — Inter eximios viros, quos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit Sanctus Gregorius Magnus, perillustris fuit Petrus Levita coetaneus suus cum quo postea disputans quatuor Dialogorum Libros composuit; eiusque nomen ac virtutes, in quibus mirifice eluxit, ultimae posteritati commendavit. Hunc autem Dei Servum longe ante Centenariam requisitam in suis Decretis a sa: me: Urbano Papa VIII. publicum et Ecclesiasticum Cultum obtinuisse, in eoque Cultu numquam intermisso ad haec usque tempora perseverare probationibus et monumentis adeo perspicuis demonstrari posse censuit Rmus Dominus Ioannes Petrus Losanna Episcopus Bugellensis, ut de enunciati Cultus confirmatione apud hanc Sanctam Sedem Apostolicam agere minime dubitaverit. Ipsius itaque votis adhaerens Emus et Rmus Dominus Cardinalis Carolus Sacconi huius Causae Relator in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens Dubium discutiendum proposuit : *An constet de Cultu publico ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito Servo Dei, seu de casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII?* Emi vero ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post accuratum omnium examen, audito etiam voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Affirmative* seu *Constare de casu excepto*. Die 28 Aprilis 1866.

« Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavitque Cultum publicum et Ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beato Petro Levitae. Die 3 Maii anno eodem.»

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Loco ✠ Signi Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

DEPUTATORUM SEMINARII.

Die 27 *Augusti* 1864. *Sess.* 23 *c.* 18 *de Reform.*

Compendium facti. Munificus Episcopus N., statim ac dioecesim sibi concreditam gubernandam suscepit, animum intendit ad novum Seminarium erigendum, omniumque bonorum copia sua munificientia ditandum.

Cum anno 1703 opus absolvisset, Supremo Pontifici supplicavit, ut *instrumentum erectionis*, quod conscripturus erat, approbaret, et ut *Regulas et Statuta*, quae ex actis S. Caroli Borromaei deprompserat in *forma specifica* (1) confirmaret.

Romanus Pontifex rei examen commisit speciali Congregationi, quae non semel auditis laudati Episcopi Oratoribus, inter alia, si SSmo placuisset statuit: « pro recto regimine et ad» ministratione Seminarii ac bonorum eiusdem exprimendum » esse in Instrumento erectionis, *deputationes esse faciendas in* » *omnibus et per omnia ad formam Concilii, et Rectorem Semi*» *narii non solum Episcopis pro tempore, sed etiam Deputatis* » *praedictis, ad formam Concilii subordinatum remanere:* Statuta » autem facta pro bono regimine Seminarii.... esse confirmanda » in *forma communi*. »

Episcopus autem (ignoratur qua de causa) in ipso instrumento erectionis, post sex menses a laudato decreto confecto, visus est recedere a tramite Concilii Tridentini in Deputatorum constitutione. Namque ut idem Seminarium recte gubernaretur tam in rebus spiritualibus, quam oeconomicis, congregationem erexit in qua intervenire debebant Decanus, Sacrista, duo Capellani, Rector pro tempore Seminarii, et quinque Lectores, qui saltem semel in

(1) Illud dicitur in *forma specifica* a Romano Pontifice confirmatum, quando R. Pontifex ita leges peculiares approbat, ut sua confirmatione tamquam proprias reddat, adeo ut leges Episcopales evadant Apostolicae. Quaenam autem intercedat differentia inter confirmationem in *forma specifica*, et confirmationem *in forma communi* docent Auctores quos refert Benedictus XIV. in Opere *de Synodo dioeces. lib.* 13. *cap.* 5.

hebdomada congregarentur in loco a Rectore deputando pro tractandis et ad bonum finem disponendis, tam rebus spiritualibus, quam oeconomicis etc.

Mortuo Episcopo N. eiusdem Episcopus successor rationem non habuisse videtur dictae dispositionis circa Seminarii Deputatos, re in Synodo dioecesana statuta iuxta formam Concilii Tridentini; decursu tamen temporis dicta dispositio Episcopi N., ex parte saltem in vigore posita est ab Apostolico Visitatore, in eam dioecesim misso, in qua licet scientiarum cultu Seminarium floreret; non ita tamen prospere res oeconomica procedere videbatur.

Praesens dioeceseos Administrator dubius haerens, an iuxta dispositionem Concilii Tridentini, vel potius iuxta dispositionem Episcopi N., Seminarium esset gubernandum, rem dirimendam proposuit S. Congregationi Concilii. Auditis itaque omnibus quorum id intererat, transmissis documentis ad rem facientibus, causa proposita est sub dubiis in calce positis.

Disceptatio synoptica.

Ea, quae sui favore seminarii deputata congregatio adducebat. — Contendebant in primis Seminarii Deputati, Episcopum Fundatorem in hac re nihil statuisse, quod alienum esset a mente Tridentini Concilii, aut quod suas facultates excederet: maxime cum praesumendum sit pium Episcopum N. optime de Ecclesia meritum, facultates amplioresque instructiones a S. Sede obtinuisse, eo temporis intervallo, quod intercessit inter decretum Congregationis particularis, et confectionem instrumenti erectionis.

Episcopus autem Seminarii fundator gravibus rationibus ductus prospexit suo Seminario per deputatam congregationem, quae constat doctis viris, qui sese eiusdem Seminarii bono devoverunt; quae cum tantopere rationi congrua videretur, non contra ius erat reputanda, sed praeter ius dumtaxat, aliquid scilicet iuri superaddens. Praesertim cum piis fundatoribus haec peragere nullimode sit interdictum. Quare Episcopus fundator insignis, suo iure usus est, ac sua laude ita Seminarium floruit, ut homines ex eo perpetuo prodierint, cum de re literaria, tum de ecclesia et S. Petri Sede optime meriti.

Addebant praeterea iidem Deputati in re praesenti sui favore, non solum vigere observantiam plusquam centenariam, sed eamdem observantiam confirmatam fuisse decreto visitatoris Apostolici, qui declaraverat, se id decernere ex facultatibus a S. Sede habitis.

Ea quae in contrarium adducebantur. — Cum *ex officio*, tum ex Episcopi administratoris relatione, sequentia in contrarium adnotabantur. Observabatur nimirum, Congregationem particularem a SSmo constitutam, statuisse: *deputationes Seminarii esse faciendas ad formam Concilii*, quare contra duplicem praescriptionem tum dicti decreti, tum Concilii Tridentini inductam esse Deputatorum congregationem; proindeque Episcopum fundatorem utpote evidenter potestate destitutum, id statuere non potuisse, *cap. Cum semper* 23 *de Off. Deleg.* Pitonius *de Controv. alleg.* 47.

Praeterea dictam deputatam congregationem non videri admodum rationi conformem, tum quia nullam officiorum distinctionem servabat, idest distincta in ea non erant membra, quae *disciplinae*, ab iis quae *oeconomiae* praeesse debent: non constabat personis, quae ex Capitulo, et ex Clero assumendae sunt; neque electionis normam neque perpetuitatem servabat. Maxime cum illi qui in hac deputata congregatione sedent, essent iudices et partes, censores, et censurae obnoxii.

Incommoda vero ex hac institutione prodiisse satis coniici posse cum ex aliis, tum ex facto, quo constabat, non semel Seminarium ad difficillimas rei domesticae angustias fuisse adductum.

Hisce autem adnotatis, iam apparebat quonam in pretio habenda esset observantia. Consuetudinis enim ususque longaevi, licet non vilis auctoritas sit, tamen non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem, *l.* 2 *C. Quae sit longa consuetudo;* praesertim cum dicta observantia adversus Tridentini Decreta invecta fuerit, quae contrariam consuetudinem respuunt ex Const. Pii IV. *In Principis Apostol.*, Benedict. XIV. *Instit. ecclesiastic.* 60 *n.* 7, Card. De Luca *de Canon. et Capit. disc.* 33 *n.* 3.

Circa decretum vero Visitatoris Apostolici inter alia adnotabatur, ipsum robore censendum esse destitutum, utpote emissum contra Tridentinum Concilium, quin facultates speciales

*

ad illud emittendum ostenderentur. Credi enim non potest S. Pontificem, qui Visitatorem Apostolicum misit ad abusus evellendos, qui contra disciplinam ecclesiasticam irrepserant, effraenatas facultates eidem tribuere voluisse ad legem ipsam, quae disciplinae custos est, evertendam vel corrumpendam.

Praeterea ad ostendendam in hac re disciplinae canonicae firmitatem, in examen revocabatur Decretum Tridentinum *sess.* 23 *c.* 18 *de Reform.* Hoc enim Decretum duplicem Deputatorum speciem commemorat, quorum prima christianam educationem alumnorum Seminarii respicit, circa quam statuitur: « *Quae omnia* (disciplinam nempe respicientia), *atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt etc.* » Altera vero species quae Seminarii erectionem et dotem respicit, quatuor Deputatis constare debet, scilicet duobus de Capitulo, *quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duobus de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat.*»

Quoniam autem post plura alia in eodem capite iterum fit mentio de Personis deputatis hisce verbis: *Rationes autem reddituum huius Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo, et totidem a Clero civitatis deputatis:*» disputatum fuisse observabatur, an nova Deputatorum species hisce verbis indicaretur. Quamvis autem Auctores in diversas abirent sententias, S. Congregatio Concilii in Causa *Arboren. Deputatorum Seminarii* die 31 Martii 1855 controversiam diremit. Proposito enim dubio: « an et quomodo eligendi sint De- » putati ad excipiendam rationem redditionem Seminarii in casu:» responsum prodiit: *affirmative et redditionem rationum excipiendam esse per quatuor Deputatos, quorum duo ex Capitulo, unus electus ab Episcopo, alter a Capitulo; et duo electi ex Clero, unus electus ab Episcopo, alter a Clero.*

Plures insuper adiiciebantur antiquiores Resolutiones, quibus ostendebatur S. Congregationem firmiter et constanter adhaesisse citato Concilii Decreto (1).

(1) Vid. Append. XXIV.

Dubia.

I. « An pro rebus tam spiritualibus, quam temporalibus Se» minarii retinenda sit unica congregatio quae a cl. me. (Epi» scopo N.) instituta est, et a Visitatore Apostolico restituta; » seu potius eligendae sint Deputationes ad formam Conc. Trid. » in casu.»

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. « An Deputationibus ut superius electis adiiciendi sint » quinque Lectores Seminarii in casu. »

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 27 Augusti 1864 causa cognita respondere censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Provisum in primo.*

IURIS OPTANDI ET ATTENTATORUM.

Die 31 *Aug.* 1861, 14 *Iun. et* 29 *Nov.* 1862 *et* 27 *Apr.* 1866. *Sess.* 23 *c.* 18 *de Ref.*

Compendium facti. Vetustissimum et nobile Pragae (1) Bohemorum Cathedralis Ecclesiae Capitulum duodenario Canonicorum numero constat, quorum septem antiquioris sunt institutionis, remeantque ad antiquum Capitulum S. Viti: est una canonicalis praebenda quae supervixit e clade Collegiatae S. Apollinaris, et Capitulo Cathedralis adnexa peculiarem tribuit possessori titulum *Decani ad S. Apollinarem;* reliqui quatuor tractu temporis instituebantur in honorem S. Ioannis Nepomuceni, unde *Ioannei* dicti sunt. Quos inter Canonicos quatuor dignitarii recensentur videlicet Praepositus, Decanus, Archidiaconus, atque Scholasticus. De natura Scholasticae Dignitatis lis exorta est; num esset scilicet conferenda per *electionem* an per *optionem.*

(1) Inter celebriores causas agitatas penes S. Congregationem Concilii volventibus annis 1861 et 1862 praesens causa reperitur, eamque publicae Germaniae, ac Galliae ephemerides retulerunt.

Sane non dubitabatur binas Praelaturas Praepositi atque Decani nunquam aliter collatas esse, quam ope liberae capitularis electionis usque dum per novissima pacta inter Apostolicam Sedem et pientissimum Imperatorem Franciscum Iosephum anno 1855 conventa, Praepositura, tamquam prior Capituli Dignitas, collationi Romani Pontificis est reservata, firma manente ut antea Decanalis Dignitatis electione penes Capitulum. Non vero tam liquido fluit ius de Scholasteria conferenda. Quod ut intelligatur, sequens historia praenotari debet.

Antiquitus iuxta praescriptum Concilii Lateranensis III *c.* 1, *titul. de Magistris*, in Capitulo Metropolitano Pragensi institutae fuerunt Scholae pro Canonicis aliisque ecclesiae clericis, quarum praefecturam habebat alter ex Canonicis, qui ex hoc munere Scholasticus est appellatus, quique scholis deinde totius Dioecesis praefuit, et peculiarem pro munere praebendam obtinebat. Verum iniuria temporum hominumque improbitate accidit, ut et Universitas studiorum Pragensis ab ista Scholastici directione se subduxerit, Romanaeque Ecclesiae defecerit obedientia, ita ut scholasteriam modo possidens retineret dumtaxat munus Cancellariae et Custodis tabularii capitularis. Modus provisionis Scholastici, prout erat priore tempore, apparet ex rubrica constitutionum Capitularium ab Archiepiscopo Pragensi anno 1350 adprobatarum, quae postea pontificia S. M. Pii II. sanctione 1458 roboratae sunt, in quibus sancitum fuit, Praeposituram, Decanatum, Archidiaconatum et Scholasteriam per electionem conferendas esse. Sed modus electionis quoad Scholasticum per aliquod temporis spatium in desuetudinem abiisse dicebatur.

Verum die 9 Ianuarii 1681 congregatis omnibus Capitularibus, uno excepto, ante electionem novi Decani, ad praecavendas collisiones et servandam charitatem fraternam, sunt sequentia resoluta et conclusa: quod – Archidiaconatus, Scholasteria, Senioratus, Domus aut Residentiae Capitulares, fundationes et alia Altaristica, deinceps non sint electiva, sed secundum Senioratum optativa, et sibi in posterum gradatim succedant. – Reapse talis stylus et adscendendi modus usque ad annum 1787 viguisse videtur. Hoc enim anno Imperator Iosephus secundus per universum Austriacum Gubernium tulit Decretum 24 Februarii,

quod praecipiebat, ut Scholasteriam Capituli deinceps acciperet quoad praebendam et dignitatem qui ab Imperatore regius Scholarum Dioeceseos Inspector designatus esset, et Sacerdotio foret insignitus; sin autem esset laicus, huic integri traderentur praebendae proventus, suspensa manente scholasteriae dignitate. Hoc decreto licet SS. Canonibus infenso, restitui quodammodo Ecclesiae incoepit officium inspectoris quod erat in Pragensi Capitulo praebendae Scholasticae adnexum.

Verum Capitulum adversus intrusionem inspectoris extranei multiformiter protestatum est obstititque, et suis repetitis ac laudabilibus instantiis obtinuit, altero scilicet Leopoldi II. Decreto emisso die 15 Dec. 1790, ut, firmo manente priori edicto, in Inspectoris nominatione praeferretur Canonicus Capitularis cuivis extraneo presbytero. Capitulum itaque post eiusmodi dispositionem per Archiepiscopum Imperatori proponebat plures e proprio gremio, unde unus ab illo nominaretur Inspector Scholasteriae, praebendam et dignitatem occupaturus; reservata tantummodo Capitulo necessaria Canonici nominati immissione. Hac ratione locum habuerunt tres provisiones, quae in vacationibus annorum 1808, 1824, et 1834 contigerunt.

Auspicatus tandem illuxit annus 1855 in quo inter Sacratissimum Pontificem Pium IX., et Imperatorem Franciscum Iosephum de Catholica Ecclesia optime meritum subsignatum est concordatum, infensas ss. Canonibus leges abscindens: in articulo autem octavo, qui ad rem nostram facit haec caventur: « Omnes Scholarum elementarium pro catholicis destinatarum » magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores » Scholarum Dioecesanos Maiestas sua Caesarea ex viris ab An- » tistite Dioecesano propositis nominabit. »

Vacavit sub die 20 Iunii 1857 Scholasteria, et Capitulares sessione habita atque indicta iuxta consuetum morem die 23 Iunii eiusdem anni, absente curandae valetudinis causa canonico N., rogarunt Archiepiscopum, « ut disponeret de eo quod necessa- » rium esset pro novo Scholastico, et ut hoc etiam casu, archie- » piscopali protectione Capitulum frueretur, quod sese referebat » ad imperiale Decretum diei 15 Decembris 1790, ut sua Ma- » iestas dignaretur rationem praecipuam habere alicuius ex ca- » nonicis Capituli Pragensis. » Cardinalis Archiepiscopus sup-

plicatione Capituli benignissime excepta, die 5 Septemb. eiusdem anni apud Caesaream Maiestatem institit, ut Inspectorem supremum Scholarum per Archidioecesim Pragensem Ioannem M. Canonicum Capituli nominaret. Interim Canonicus N. qui absens erat, rei notitiam habuisse dicebatur eorum quae gessit Capitulum eodem mense Iunio, qui tandem die 2 Octobris una cum duobus aliis Canonicis, iis quae gesta erant sese assentiri non posse, Capitulo denunciavit. Quin imo expresse, ne Scholasteria Inspectori a Caesarea Maiestate nominando traderetur, eadem die 2 Octobris protestatione emissa contendit, adhibito elucubrato undique voto cuiusdam professoris quo demonstrabatur, Scholasteriae usurpationem vi aulicorum Decretorum anni 1787 et 1790 nullitate irrefragabili laborantium per pacta providentissime anno 1855 inter Summum Pontificem et Imperatorem conventa cessasse; ideoque optionis ius etiam quoad Scholasteriam, uti in usu erat ante annum 1787, procul dubio revixisse. Archiepiscopus tamen die 9 Novembris Imperatoris nominationem Canonici M. in Scholarum Inspectorem sua exhibitione nuntians Capitulo, insinuat, ut nominato Scholasteriae tribuat immissionem. Id inique ferentes tres Canonici, qui neglectos et in iure suo laesos se existimabant, postquam Cardinalis Archiepiscopus sententiam die 30 Decembris tulit, qua institutio Canonici confirmabatur, atque praebenda tamquam electiva declarabatur, ad Sedem Apostolicam rem suam defensuri se converterunt.

Ter causa haec S. Congregationi Concilii proposita est, sub dubiis in calce positis. Prima vice qua causa proposita est, nempe die 31 Augusti 1861, S. Congregatio distulit resolutionem rescripto: *dilata et ad mentem,* eamque definivit die 14 Iunii 1862, ac demum die 29 Novembris 1862 stetit in decisis adiecta clausula, *et amplius.*

Disceptatio synoptica.

Rationes praecipuas, quae per Defensores ampla eruditione (1) adducebantur in tota hac causa, tantum indicabimus.

(1) Causam Emi Archiepiscopi defendendam suscepit cl. Advocatus Angelus Fazzini, causam vero Canonicorum cl. Advocatus Carolus Modesti.

Defensio Canonicorum. — Optio sicuti favorabilis et laude dignissima, bifario introducitur citra Apostolicum privilegium; vel peculiari Statuto Capituli, vel consuetudine. Utrumque autem mira quadam concordia in praebenda Scholasteriae Capituli Pragensis confluit. Quidquid enim fuerit de antiquis Capituli Statutis saeculo XIV. conditis, quidquid dici lubeat de ipsius observantia saeculo subsequenti, ad rem pertinere dicebatur id, quod ortis inter Capitulares dissidiis circa inaequalem adscendendi methodum ad Archidiaconatum atque Scholasteriam, *ne fraterna charitas turbaretur,* capitulari deliberatione diei 9 Ianuarii 1681 cautum est, ut Scholasteria, electione abrogata, deinceps esset optativa. Neque eiusmodi legem vitiosam dici posse contendebatur ob deficientem S. Sedis ac Archiepiscoporum expressam adprobationem. Nam pro validitate Statuti capitularis sufficit consensus tacitus Episcopi.

Praesumptus insuper et actu vigens consensus adfuisse Sedis Apostolicae dicebatur; nam cum agatur de observantia centenaria non solum praesumitur Statutum fuisse ab omnibus pro tempore Archiepiscopis ratificatum et adprobatum; sed etiam inducitur praesumptio beneplaciti Apostolici; cum centenaria praesumat meliorem titulum de mundo, et per consequens confirmationem Statuti factam in forma specifica per Sedem Apostolicam, ut saepe firmavit S. Rota.

Caeterum addebatur, Capitulum plenam potestatem habere statuendi etiam sine Episcopo vel interventu S. Sedis, quoties Statutum non est diminutivum cultus divini et muneris ecclesiastici: proindeque tenendum esse dictum Statutum optimo iure conditum fuisse. Neque vero uni huic Statuto optio Scholasteriae Pragensis innititur, sed etiam longaeva consuetudine et observantia firmabatur. Nec observantia ista destructa est posteriori consuetudine ab anno nempe 1787 ad annum 1857 in quibus electione Capituli tres provisiones locum habuerunt. Nam hoc factum est propter iniunctiones Aulicorum; hinc si quid egit et fecit eo tempore Capitulum, necessitate adactum peregit; porro, *quae propter necessitatem recepta sunt non debent in argumentum trahi,* ut docet Paulus iurisconsultus *l.* 162 *ff. de Regulis iuris.*

Sed posita etiam nova consuetudine prior ea non tollitur; quia regula est in foro vulgatissima: centenariam non tolli nisi

per aliam centenariam omnino cumulatam, quae in casu locum non habebat.

Post haec, gradum faciebat Defensor ad repellendas difficultates, quae opponebantur. Aiebat nimirum actum Capituli, quo in hac ultima Scholasteriae vacatione, provisio Emo Archiepiscopo commissa fuerat, ut ante Concordatum fieri solebat, non posse considerari tamquam *Compromissum* (1). Observabat enim Defensor eiusmodi *Compromissum* suo robore esse destitutum, tum ex defectu *potestatis*, tum ex defectu *formae*. Ad valide enim compromittendum, necessarius est omnium Canonicorum consensus: in facto autem constabat, duos ex Canonicis ad coetum capitularem vocatos non fuisse. Neque poterat allegari illa iuris regula; quod – maior pars trahat ad se minorem. - Haec enim regula obtinet, quando omnes, qui vocandi fuerant, reapse vocati sint: at in casu facta non fuerat intimatio duobus dictis Canonicis; atque idcirco irritum renunciandum erat Compromissum ex defectu potestatis. Ex defectu insuper formae, resolutio illa capitularis neque *Compromissum* dici poterat, cum neque emissa, neque recepta fuerit tamquam *Compromissum*.

Quoniam autem in articulo octavo laudatae Conventionis sancitum est: *Inspectores scholarum dioecesanos Maiestas sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit:* non inde erui posse Defensor contendebat, provisionem Canonici scholastici huic legi esse subiiciendam. Munus enim dicti Inspectoris, non necessario conferendum est Canonico scholastico; quod ostendere curabat exemplo aliorum Capitulorum eiusdem Austriaci Imperii. Nam in eiusdem articulo octavo, nulla fit mentio de canonicali Scholasteriae praebenda: proinde cum ipsa, labente saeculo decimo septimo, ex defectu adnexi officii, in purum *personatum* (2) transierit, ea conferenda erat eo modo, quo ante infaustas Iosephinas leges conferebatur; scilicet per optionem. Maxime cum, si aliter fieret, Iosephinae legis effectus in Pragensi Capitulo adversus Concordati intentionem perduraret.

(1) Compromissum est conventio, qua dissentientes suam controversiam alicuius vel aliquorum iudicio subiiciunt, spondentque se eiusdem, vel eorumdem sententiae parituros.

(2) Tum dicitur aliqua Capituli dignitas in *personatum* transire, cum, cessante iurisdictione, quam prius obtinebat, retinet tantum praerogativam honoris.

Obiectionem insuper repellebat Defensor, quae erui poterat ex *Capite* 18 *sess.* 23 *Concilii Tridentini de Reform.;* in eo siquidem statutum est: « *De caetero vero officia, vel dignitates illae, quae scholasteriae dicuntur, nonnisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in Sacra Pagina, aut in iure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur: et aliter facta provisio nulla sit, et invalida; non obstantibus quibusvis privilegiis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*» Aiebat enim Defensor, Concilium Tridentinum loqui de Magistris, qui docere actu debent; non vero de meris Inspectoribus, qualis esset scholasticus Pragensis. Quod si ideoneitas, quam in Canonico Scholastico Tridentinum Concilium exigit, in praesenti casu requireretur, eiusmodi idoneitas non potest deesse in Pragensi Scholastico, quamvis haec praebenda per optionem conferatur. Nullus enim in Capitulo Pragensi Canonicus esse potest, qui non sit Doctor aut Licentiatus in Theologia, vel in iure canonico. Hisce aliisque consideratis, concludebat Defensor, provisionem Canonici M., eo modo factam, quo supra diximus, adversus ius optandi, rescindendam esse, atque insuper attentata purganda. Contendebat enim attentata purganda esse non solum per viam nullitatis; sed etiam per rigorosam fructuum restitutionem expensarumque litis etiam extraiudicialium, damnis nimirum omnibus refectis. Dupliciter namque attentata perpetrata esse sustinebat, tum ante appellationem Canonicorum, propter immisionem Canonici M. in stallum et praebendam scholastici, priusquam decretum immissionis appellantibus nuntiaretur: tum quia pendente appellatione, insertum fuerat eiusdem Canonici M. nomen in catalogo Cleri dioecesani, super reliquos quinque Canonicos, qui antianitatis ordine ipsum praecedebant.

Defensio eminentiss. archiepiscopi.— Inter plura quae copiose disputata sunt per Emi Archiepiscopi Defensorem nonnulla tantum fas est deliberare. In statutis capitularibus a Romano Pontifice Pio II. confirmatis, legitur: « Archidiaconatu Pragensi, ac Scho» lasteria vacantibus, Capitulum posse libere eligere de ecclesia, » vel extra, personas idoneas, quas honori et utilitati ecclesiae » melius noverit profecturas.» Porro contendebat Defensor actum capitularem diei 9 Ianuarii 1681, quo ex adverso praesumeba-

tur scholasteriam ex *electiva* redditam esse *optativam,* nullitate laborare, cum ex aliis rationibus, tum praesertim, quia actus capitularis derogare non potest Statutis Apostolica auctoritate roboratis. Quin imo adductis documentis coniciiebat Defensor non firmam iuris normam Capitulum eo actu constituere voluisse, sed omnino arbitrariam, seu facultativam; ac pro certo dumtaxat ponebat Defensor optionem habuisse locum ab anno 1714 ad annum 1763, eo scilicet temporis intervallo, quo officium scholastici Inspectoris in suspenso mansit ob bella nempe intestina, civilesque perturbationes, ob quas silere in scholis incoepit, donec iterum reviviscens hoc Inspectoris officium, illico per electionem fuerit collatum, ad tramites Tridentinae legis *cap.* 18 *sess.* 23, quae sanxit: *aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.* » Rationem vero huius Tridentinae legis ex eo Defensor repetebat, quia scholastici officium idoneitatem personae ac industriam requirit. Quapropter sicuti nemo praebendam Theologo aut Poenitentiario destinatum *optare* potest; ita neque Scholasteriam assequi quis potest per optionem, sed tantum per electionem.

Propugnato hac ratione iure electionis prono alveo fluere animadvertebat Defensor canonicam renunciandam esse capitularem resolutionem, qua omnium Canonicorum consensu, uno absente excepto, conclusum fuit ut in electione novi Scholastici mos et consuetudo per annos fere quinquaginta iam invecta servaretur.

De legitima vero Capituli convocatione dubium oriri non posse propugnabat ex eo quod Canonicus N. non statim, sed post longum temporis intervallum a notitia habita resolutionis Capituli reclamaverit; et maxime ex eo quod iuxta consuetum illius Metropolitanae ecclesiae morem convocatio indicta fuerat. Proindeque nec Canonicus N. tunc absens, multoque minus alii tres praesentes ac suffragantes, conqueri poterant *de contemptu.* Maxime cum negotium quod Capitulum Archiepiscopo commisit, iam incoeptum ac executioni mandatum, uti a se gestum agnoscere debuisset. Quidquid enim agit mandatarius id mandantis nomine egisse censeri debet.

Sed proposito insistens Defensor contendebat etiam ex novissimo iure, tum consuetudinis, tum praesertim Concordati ele-

ctionem non aliter faciendam esse in posterum quam hucusque facta fuerat ab anno 1790. Insistebat scilicet Orator consuetudini quae tribus nominationibus anni 1808, 1824, 1834, invecta erat, ex titulo uti aiebat transactionis cum Leopoldo II. initae.

Quod autem per Concordatum neque transactio, neque observantia fuerit revocata, ostendere curabat ex Concordati articulis VIII. et XXXIII. In articulo enim VIII. ut suprà diximus conventum fuit ut ad propositionem Ordinarii nominaretur Inspector scholarum ab Imperante; et in articulo XXXIII. statutum legitur: *in reliquis ad vigentem Ecclesiae disciplinam omnia dirigenda.* Concordatum proinde nullo modo sustulit Capitulo ius eligendi, sed imo confirmavit et propositionem Archiepiscopi, et nominationem Imperialem. Et hoc eo magis tenendum esse aiebat in casu, quia in Capitulo Pragensi, minime vero in caeteris Imperii austriaci Capitulis, *ex fundatione* munus Inspectoris Dignitati scholastici inhaerebat.

Gradum insuper faciens Orator ad dubium circa attentata, observabat institutionem Canonici M. in praebendam scholasteriae canonicam fuisse, et evanescere idcirco attentata. Deerant enim tam in iure quam in facto illa duo extrema, quae a lege requiruntur pro iis admittendis, nempe legitima possessio in spoliato, et usurpativa in spoliante. Admisso enim etiam quod ius eligendi in petitorio non subsisteret, sufficeret tamen pro manutentione possessionis ultimus dumtaxat status, nominatio scilicet anni 1834 ad cuius tramites facta fuerat ea de qua agimus scholastici nominatio. Ultimus enim status omnino inspiciendus est cum de manutenda possessione agitur, nisi de pertinentia nominationis incontinenti constiterit per rem iudicatam, vel per confessionem partis vel per legem fundationis adeo claram, ut nullam patiatur exceptionem. Maxime cum appellantes in libello appellationis ne verbum quidem fecerint de Canonici scholastici institutione, et in petitorio dumtaxat non autem in possessorio actionem instituere voluerint.

Hisce delibatis ex hac amplissima causa multipliciter implexa, dubitandi formulae S. C. C. propositae fuerunt sequentes.

Dubia.

I. « An constet de iure optandi dignitatem et praebendam » scholastici in casu.

» seu potius

II. » An et quomodo sustineatur Decretum Emi Archiepiscopi diei 30 Decem. anni 1857, et ius eligendi per Capitulum » in casu. »

III. « An constet de attentatis ita ut et quomodo sit locus » eorum purgationi in casu. »

Resolutio. — Sacra Congregatio Concilii die 14 Iunii 1862 causa discussa respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Decretum sustineri.*

Ad III. *Negative.*

In repropositione vero causae die 29 Novembris 1862, causa iterum discussa, S. C. stetit *in decisis* adiecta clausula *et amplius* (1).

Ex iis colliges:

I. Scholasteriae praebendam de qua loquimur, tum Statutis capitularibus Apostolica auctoritate confirmatis, tum ratione adnexi officii quod electionem exigit, electivam fuisse.

II. Neque potuisse legitime optativam reddi, officio Inspectoris Scholarum vigente, maxime post Tridentinam legem.

III. Hoc Inspectoris officio cessante dissidiis intestinis, aliisque vicissitudinibus catholicae Religioni infensissimis scholasteriae praebendam potuisse obtineri per leges optionis.

IV. Officio Inspectoris denique quoad substantiam Ecclesiae restituto, ius pristinum reviviscere debuisse, id maxime exigente praebendae natura, et fundatione; quod de facto revixit, quamvis id evenerit interventu laicae potestatis iurisdictione in hac re destitutae.

(1) Vita functo Canonico Scholastico M. cum aliqui ex Capitulo iterum propugnassent ius conferendi praebendam Scolasteriae ad Capitulum iure optionis pertinere, Archiepiscopo super hoc negotio S. Congregationem Concilii consulenti, sequens responsum datum est die 27 Aprili 1866 his verbis conceptum, « Relatis in S. Congregatione Concilii literis Eminentiae Vestrae, Emi Patres Eidem Eminentiae Vestrae scribi, Eique significari mandarunt, quoad collationem vacantis Dignitatis ac praebendae Scholastici, satis provisum fuisse per resolutiones Sacrae Congregationis diebus 14 Iunii et 29 Novembris anni 1862 super eadem re editas, quas proinde tam in praesenti, quam in futuris praefatae Dignitatis ac praebendae quibuscumque obventuris provisionibus, pro norma ac regula habendas esse ipsamet praecipit Sacra Congregatio.»

V. Hoc iure itaque deinde servato, locum non amplius optionem habere potuisse, quamvis antiquum et reviviscens eligendi ius, ex Concordati lege derogationem aliquam passum legitime fuerit.

ALUMNATUS SEMINARII

Die 6 *Maii* 1865.

Summaria precum. Pro-Vicarius generalis dioecesis N., supplici oblato libello exposuit, Capitulum ius habere eligendi quosdam alumnos in Seminario alendos et educandos. Cum ex vacatione unus esset eligendus, et quinque supplicaverint pro admissione inter Seminarii alumnos, quorum unus aetatem iam explevit 12 annorum, alii vero, aetate longe minores erant: habita ratione dispositionis Tridentini Concilii *Sess.* 23 *c.* 18 *de Refor.*, dubium ortum est: an in electione a Capitulo facienda, subiici suffragiis tantum deberet, qui aetatem explevit annorum 12, vel etiam caeteri.

His habitis precibus, rogatus est idem Vicarius, ut referret, quid in Regulis Seminarii statuatur circa alumnorum admittendorum aetatem: qui retulit, in eiusmodi Regulis aetatem non esse praefinitam, et ex consuetudine admissos fuisse iuvenes cuiusvis aetatis.

Ea quae ex officio observabantur. Animadvertebatur *ex officio* Concilium Tridentinum *Sess.* 23 *c.* 18 de adolescentibus agens, qui in Seminario recipi debent, haec praescribere: « *In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.* Cum itaque tam aperta esset Tridentini dispositio, non videbatur posse dubitari, quin ex adolescentibus numero quinque, unus ille prae ceteris ius quoddam ad electionem habere, qui aetatem duodecim annorum expleverit.

Responsio. S. Congregatio Concilii die 6 Maii 1865 respondere censuit: *Servetur dispositio Concilii Tridentini.*

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

ORDINIS EREM. S. AUGUSTINI SUPER FACULTATE ELIGENDI CONFESSARIUM.

Die 3 *Iunii* 1861.

Compendium facti. Prior Conventus N. Ordinis Eremitar. S. Augustini ob exortas nonnullas quaestiones super iurisdictione, sequentia dubia S. Congregationi Ep. et Reg. solvenda proposuit: « Quidam Regularis utens facultate obtenta a Priore sui Con- » ventus, confitetur Sacerdoti saeculari, et quidem approbato:

I. « Quaeritur an valide.

» Et quatenus *affirmative:*

II. » Utrum Prior possit iure subditis suis hanc facultatem » concedere nec ne.»

Priusquam eiusmodi dubia S. C. proponerentur, exquisitum est Consultoris votum, quo elucubrato, auditus etiam fuit Rm̃us Vicarius Generalis Ordinis de quo agimus, qui inter alia haec animadvertebat, videlicet in Ordinis Constitutionibus *par.* 1. *c.* 8 §. 1 legitur: *Ad audiendas confessiones quorumcumque Sacerdotum Ordinis nostri, et fratrum Clericorum, fratrum Laicorum, Conversorum, ac Novitiorum, Patres aetate, doctrina, et vita graviores, quilibet Prior in Conventu suo deligat.* Paragrapho autem sequenti subiungitur: « *Inhibemus autem ne aliquis frater alicui extraneo Sacerdoti sive sit religiosus, sive saecularis confiteatur, si copiam Sacerdotis nostri Ordinis habere potuerit.*» Animadvertebat autem vocem illam *inhibemus* non coarctare Prioris facultatem, praesertim cum in harum Constitutionum Prologo statutum legatur: « *Super haec autem in Conventu suo Prior dispensandi* » *cum Fratribus habeat facultatem, quum sibi aliquando videbitur* » *expedire; praeterquam in his casibus, in quibus dispensari aliqua* » *Constitutio expresse prohibet.*» Inhibitionem autem de qua loquimur, reservatam non esse aiebat Generalis Ordinis Vicarius, Provinciali aut Generali; quare inferebat, posse Conventus Priorem cum suis subditis in hac re dispensare, quum sibi videbitur

expedire. Quod si adhuc super hac re dubitaretur, adducebat paragraphum octavam in citato Prologo in quo legitur: « *Si autem aliquando in Constitutionibus nostris aliquod dubium oriatur, stabitur interpretationi, et declarationi Revmi P. Generalis.*» Hac posita facultate P. Generalis quaestionem diremptam esse concludebat, cum constaret *ab immemorabili*, Priores locales eiusmodi facultates concedere, quin unquam Ordinis Generales reclamaverint.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Consultor (1) ad normam communis iuris quaestionem pertractans, animadvertebat initio, si in qualibet societate, *ubi non est Gubernator, populus corruet*, prov. 11 : id maxime verificari in Religiosis familiis, quarum alumni voto obedientiae obstringuntur. Superiores autem Ordinum Regularium esse veros Praelatos quibus competit spiritualis iurisdictio, a Summis Pontificibus concessa, eo ipso, quo ab episcopali iurisdictione subducuntur (2) Suarez *tom.* 4 *de Relig. tract.* 8 *lib.* 2 *cap.* 1. Eamque potestatem a Canonistis appellari *ordinariam*, et non *delegatam* (3), quia iisdem Superioribus competit virtute legis vel con-

(1) Fr. Hieronymus Priori Ordinis Carmelitici.

(2) Vid. etiam quae diximus pag. 98 in nota, occasione causae super exemptionis privilegio ab Episcopali iurisdictione, respicientis Congregationem SS. Redemptoris a S. Alphonso de Ligorio institutam.

(3) Hic modus loquendi Canonistarum, quo distinguunt ad normam iuris potestatem *ordinariam* a potestate *delegata*, non ita intelligendus est, ac si potestas ordinaria excludat absolute quamlibet delegationem, et potestati delegatae absolute acceptae opponatur. Sic ex. gr. potestas Superiorum Regularium dicitur ordinaria, et non delegata; sed si absolute loquaris, est potestas *ordinaria delegata*. Est ordinaria, quia iisdem competit ex iure, ratione qualitatis personarum, seu ratione officii; adeo ut statim ac constituti sint Superiores, eam obtineant potestatem. Est autem delegata, quia est quaedam participatio ecclesiasticae potestatis a Romanis Pontificibus tandem iisdem commissa.

Canonistae autem non absolute loquuntur, cum nominant potestatem delegatam : sed eam potestatem intelligunt, quae sive extraordinarie sive ordinarie per *actum delegantis* committitur, ab eoque duratione et extensione pendet. Quare hoc sensu accepta potestas *delegata*, opponitur *ordinariae* potestati, quae non per actum delegantis committitur, sed ex *vi officii* a iure tribuitur, et non nomine delegantis, sed nomine proprio exercetur, eaque non cessat nisi cessante legitime officio. Neque putetur otiosam esse huiusmodi iuridicam distinctionem; namque ex diversa potestatis natura, diversi derivant iuridici effectus, quos non est heic locus enumerandi. Ce-

suetudinis. Navarr. *Cons.* 2 *de Regul. n.* 63; eamque esse iurisdictionem *quasi episcopalem,* iuxta ea quae tradunt Doctores *in Clement. de Rebus eccl. non alienan. verb.* Proprii; et ex *cap. Abbat. de privil. in* 6, cuius ratio est, quia sicut Praelati Regulares non subiiciuntur Episcopis, sed immediate Romano Pontifici: ita in iurisdictione loco Episcoporum succedunt. Suarez *loc. cit. c.* 2 §. 13.

Tres insuper Praelatorum Regularium species distinguebat Consultor, eorum nempe qui *infimum,* qui *medium, et* qui *supremum* occupant gradum, iuxta iurisdictionem quam obtinent. Iurisdictio enim suprema Generali competit, media Provinciali, infima autem Superiori locali, seu Conventus, sive is appelletur Prior, sive Guardianus etc. de quorum infima iurisdictione in praesentia sermo est.

Docet Suarez *loc. cit. c.* 22 quod « si generatim potestas con» ceditur Praelatis, vel Praelato, dicendum est dari Praelatis » Conventualibus.» Item Navar. *in cap. Non dicatis, in dub. reg. verb.* Praelati potestas *in add. n.* 2 et Portecc. *in dub. Reg. verb.* Guardianus *n.* 1, docet quod « sive in Regulis, sive in Consti» tutionibus Ordinum, sive in Bullis, aut privilegiis Summorum » Pontificum nominantur indistincte Praelati, etiam illi *(Guar» diani)* intelliguntur.» Item Passerin. *de Homin. statibus et off. quaest.* 186 *art.* 8.

Pluribus autem auctoritatibus (1) ostendebat Consultor potestatem Superiorum localium super suos subditos esse potestatem ordinariam, et quasi episcopalem. Hoc autem eruebat etiam ex privilegio concesso a S. Pio V. Patribus Ordinis S. Dominici, quod refert Passerin. in *lib. privil. fol.* 127, et Lezzana *de oblig.*

lebris est quaestio, quae inter auctores viguit, an potestas Vicarii generalis sit potestas ordinaria vel delegata, ex solutione enim huius quaestionis, iudicium pendet alterius quaestionis: puta si committatur aliquid peragendum sive a iure, sive a Sancta Sede *loçorum ordinariis;* statim quaeritur: an ex se Vicarius generalis id peragere possit. Si enim eorum potestas ordinaria dicenda sit, poterit id ex se peragere, secus vero si delegata iudicanda sit. Caeterum potestas Vicarii generalis, videtur esse quaedam anomala potestas; praesefert enim characteres potestatis delegatae sensu iuridico acceptae, et potestatis ordinariae: inspecta praxi SS. Congregationum sub nomine Ordinariorum Vicarii generales generatim comprehenduntur.

(1) Pignatell. *tom.* 10 *consult.* 25 *n.* 1. Rodriguez; *tom.* 1 *q.* 12 *art.* 4; Lauren in lib. 1 Decret. *q.* 90 Fagnan. *in cap. Ad aures;* etc.

Regul. c. 18 *n.* 31, quo privilegio conceditur facultas absolvendi a peccatis reservatis laudatis Patribus « sive Priori conventuali, » sive superioribus Praelatis, ut ipsi per seipsos id omnino pos- » sint in fratres, et moniales dicti Ordinis sibi subditos quod » possunt Episcopi in Clericos et laicos sibi subditos.»

Ex qua ratione potestatis Superiorum localium inferebat Consultor, posse eosdem Superiores licentiam concedere subditis (si non obstet aliqua specialis Regula, vel Ordinis Constitutio) peccata sua confitendi extraneo Sacerdoti. Lezzana *loc. citat. num.* 25 et 27.

Quibus adiungebat autoritatem Bordon., qui hunc casum resolvendum sibi proposuit *de potestate Praelator. resol.* 2 *n.* 23: « An Superiores locales, quandoque hanc facultatem *(confitendi)* » possint pro suis subditis delegare aliis Sacerdotibus extra » Religionem, dando licentiam ipsis subditis, ut extra monaste- » rium eligant Confessarium » Et respondet: *possunt;* quam responsionem idem Auctor rationibus illustrat.

Item Diana in tractatu de dubiis Regularium *resol.* 11 sibi quaerit: « An Guardiani, Priores, Praepositi etc. Regularium » possint illis praebere licentiam, ut eligant Confessarium extra » Religionem? *Affirmative* respondeo, seclusa Constitutione re- » ligionis, vel statuto in contrarium: et ratio est, quia qui » habent ordinariam potestatem possunt illam alteri delegare (1), » ut habetur *in cap. Quib. de Officio Ordinarii,* et notat Silvius » in *addict.* ad tertiam partem Sancti Thomae.»

Quare Consultor opinabatur, ad propositum dubium posse responderi: *ad utramque partem affirmative, dummodo non prohibeatur a Constitutionibus Ordinis.*

Ea quae ex officio adiiciebantur. — Observabatur insuper *ex officio,* Religiosos teneri confiteri peccata sua Religionis Confessariis, quemadmodum tradit Benedictus XIV. in Constitutione *Quod communi* diei 30 Martii 1742 qua legitur: « Quod com- » muni auctoritatis iuri innixum in Religiosis familiis, etiam » per peculiares generalium Comitiorum sanctiones, in aliqui- » bus Ordinibus praeceptum statutumque est, *ut nimirum alu-*

(1) Hic est unus ex iuridicis actibus, qui vi ordinariae potestatis exerceri generatim possunt.

» *mni cuiuslibet Instituti peccata sua nonnisi eiusdem dumta-*
» *xat Religionis Confessariis, quibus, utpote omnium rerum in*
» *ipsa Religione servandarum cavendarumve notitia instructis, fa-*
» *cilius est pro culpis salutare adhibere remedium, confiteri te-*
» *neantur etc.* » Qua Constitutione idem Pontifex indulsit Fratribus Minoribus S. Francisci, ut extra Conventus degentes ob iustas causas ex Superiorum licentia possint peccata sua confiteri etiam Confessario extraneo.

Item Clemens VIII, in Const. *Romani Pontificis* diei 13 Novembris 1599 declarans facultatem eligendi Confessarium vi Bullae Cruciatae non suffragari Regularibus, statuit: « quantum ad » Sacramentum Poenitentiae seu confessionis administrationem, » quod dispositioni suorum Praelatorum subiecti sint, Apostolica » auctoritate tenore praesentium perpetuo declaramus. Eisdem ta- » men Praelatis, ut in usu huiusmodi potestatis se cum subdi- » tis benignos et faciles exhibeant, praecipimus et mandamus.»

Ex hac Clementis VIII. Constitutione censet Giraldi *Ius Pontif. p.* 2 *sect.* 105 §. *vi huius,* nomine Praelatorum venire quidem Generales et Provinciales non vero *superiores locales cum his non competat iurisdictio quasi episcopalis.*

Caeterum observabatur disputatum aliquando fuisse, quinam intelligi deberet nomine *Superioris* in Tridentinis verbis *sess.* 25 *de Regul. cap.* 19, coram quo Regularis se sistere debet cum intra quinquennium agit adversus Professionis Religiosae validitatem, ibi enim legitur: *coram superiore suo et Ordinario.* Sacra autem Congregatio Concilii censuit intelligi Superiorem localem, seu Conventus in quo Regularis Professionem emisit; quam sententiam confirmavit Benedictus XIV. in const. *Si datam.*

Idem contingit cum de dimissoriis pro Sacra Ordinatione concedendis agitur iuxta Clementis VIII. constit. die 15 Martii 1596, ex qua fit etiam quaestio quinam intelligatur nomine Superioris Regularis; conveniunt nihilominus Canonistae, nomine Superioris intelligi Superiorem Conventus, sive appelletur Prior, sive Guardianus etc., nisi cautum fuerit Constitutionibus Ordinis eiusmodi facultatem pertinere dumtaxat ad Generalem aut Provincialem, quemadmodum decisum fuit a S. C. Ep. et Reg. in causa *Ordinis Minor. Conventual. seu Assisien. super iure concedendi dimissorias* die 22 Septembris 1854.

Cum itaque in re tanti momenti Superior localis exercere valeat eiusmodi iurisdictionis actus, concludebatur, *a fortiori* posse superiorem localem concedere licentiam in quaestione de qua agimus, videlicet, si non resistat specialis Ordinis constitutio, concedere potest licentiam suis subditis confitendi peccata sua Confessario Regulari alterius Ordinis, vel etiam Sacerdoti saeculari, dummodo tamen hic a suo Ordinario fuerit approbatus ad excipiendas Sacramentales confessiones, prout definivit S. C. C. adversus quorumdam Auctorum sententiam in *Hildesimen.* die 16 Septembris 1769 (1).

Hisce itaque confirmata Consultoris opinione proponebatur resolvendum

Dubium.

« An et quomodo respondendum sit duobus propositis du- » biis in casu. »

Resolutio. — Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium re in examen revocata die 3 Iunii 1861 respondere censuit: *In Ordine Eremitarum Sancti Augustini, affirmative ad utrumque, dummodo Sacerdos fuerit ex approbatis ab Ordinario loci: pro aliis Ordinibus standum eorum Constitutionibus et statutis.*

Ex iis colliges:

I. Facultatem de qua agimus, inspecta Doctorum doctrina iuris communis principiis consentanea, posse concedi a Superioribus localibus, subditis suis.

(1) Casus Sacrae Congregationi Concilii propositus in dicta *Hildesimen.* prout in folio tunc exarato exponebatur, est qui sequitur: « Usus invaluit in civitate *Hildesimen.*, ut nonnulli Regulares ad civitatem ipsam pluribus infra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, soleant sibi eligere presbyterum saecularem ab Episcopo non approbatum, qui eis sit a confessionibus, quamvis non desint, qui vel ex saecularibus, vel ex Regularibus, propriaque cuiusque Ordinis familia, de Episcopi vel Praelati Regularis licentia confessionem excipiant. Id minime ferri posse censet Episcopus; sed in re tam gravi ne quidquam decernat inconsulta Sede Apostolica, pro eximia in eam opinione ac reverentia, dubia, quae in calce exhibentur, declaranda proponit. » Dubia autem fuerunt sequentia:

I. « An tales Confessiones licitae sint » in casu. »

II. « An ignorante Episcopo validae » fuerint. »

III. « An Episcopo sciente et contra- » dicente in posterum peragendae, vali- » dae futurae sint in casu. » Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondit: *negative in omnibus.*

II. Eam tamen doctrinam limitationem accipere, a Constitutionibus et Statutis cuiusvis Ordinis, utpote peculiarem legem constituentibus.

III. Neminem autem Regularium facultatem concedere posse suis subditis confitendi peccata sua saeculari Sacerdoti, qui ab Ordinario loci non sit approbatus, idque si fiat, irritam esse absolutionem.

ORDINIS PRAEDICATORUM.

Die 2 *Martii* 1866.

Compendium facti. Non minus elegans, quam utilis est sequens quaestio proposita a Rmo Procuratore Generali O. P. qui SSmo exposuit: a legibus Ordinis Praedicatorum praescribi, « ut si » Provinciales noverint aliquos religiosos insufficientes, et minus » idoneos ad confessiones saecularium audiendas, omni seposito » humano respectu, eos suspendant, concientia in diem iudicii » onerata, si ineptos Ministros eo in officio substituerint: » et apud Lucium Ferraris *verb. approbatio art.* 2 *n.* 20, haberi: » Generalis Regularium potest subditos suos a se, vel suis Prae» decessoribus, vel aliis quibuscumque superioribus ad audien» das confessiones approbatos, eosdem ab eisdem confessionibus » audiendis suspendere, etiam ex causa occulta, et extraiudi» cialiter, ut declaravit S. Congregatio Episc. et Reg. die 2 Iu» lii 1617.» His positis, cum opinio etiam invaluerit, qua censetur, non posse Superiores Regulares subditos suos suspendere ab audiendis saecularium confessionibus, eo quod dicatur, potestas iurisdictionis non recipi a Superioribus Regularibus, sed ab Episcopo, vel Ordinario; hinc ad repellendas dubietates, in re tanti momenti quinque dubia quae in calce habentur, accurate laudatus Procurator proponebat.

Antequam quaestio S. C. proponeretur auditus est Consultor, qui sequens expressit votum.

Votum Consultoris in compendium redactum.

Animadvertebat Consultor, rationem difficultatis huius implexae quaestionis sitam esse in diversa Theologorum et Canonistarum sententia circa iurisdictionis originem, et medium per quod Sacerdotibus Regularibus isthaec iurisdictio devenit. Plerique enim Auctores in eo conveniunt, iurisdictionem in Regulares derivare ab Apostolica Sede, quae Superiori Ordinis collata in inferiores diffunditur, eo fere modo, quo Episcopi approbant Sacerdotes saeculares ad confessiones audiendas in propriis dioecesibus. Ita rem exponit Suaresius *in op. De Relig. l.* 9 *c.* 2 et *in Tractat. de Poenit. disp.* 28 *sect.* 3 et 4.

Itaque, qui eiusmodi doctrinam sequuntur ex ea inferunt, cum Summus Pontifex communicet immediate iurisdictionem Superiori, qui eam delegat suis subditis, sive immediate sive mediate per Provinciales, aut Superiores locales, nullius esse valoris absolutionem, quam isti saecularibus poenitentibus impertiuntur, si eisdem a dictis Superioribus sublata sit delegatio.

Verum contrariam sententiam probabiliorem, et communiorem esse animadvertebat Consultor, quae tenet non solum approbationem, sed etiam iurisdictionem Regularibus ad audiendas saecularium confessiones dari ab Episcopis in suis respectivis dioecesibus. Ex qua doctrina sequitur, irritam atque nullam esse absolutionem sacramentalem cuipiam saeculari impertitam, a Sacerdote Regulari cui concessa non fuerit approbatio, et facultas ab Ordinario. Ita Benedictus XIV. in Opere *De Synod. dioeces. l.* 9 *cap.* 16 §. 7 *et* 8. innixus auctoritati Concilii Tridentini *sess.* 23 *c.* 15 *de Refor.*, nec non variis Pontificiis Constitutionibus. Id ipsum confirmat alibi praesertim vero *l.* 2 *c.* 3 §. 2 ubi refert Resolutionem S. Cong. Conc. 18 Aprilis 1722, qua decisum est, non posse Capuccinos, qui in triremibus Pontificiis ministerium exercebant facultate Apostolica, excipere confessiones in civitate Centumcellarum absque approbatione Episcopi.

Dato proinde etiam (prosequebatur Consultor) quod Regulares, praesertim Mendicantes, per privilegium ipsis concessum habeant ab Apostolica Sede iurisdictionem absolvendi ut docet Suaresius; attamen censendi non sunt Romani Pontifices vo-

luisse eiusmodi potestatem eisdem tribuere absque Episcoporum approbatione, in quorum dioecesibus poenitentiae sacramentum ab ipsis administratur. Quare licet superiores Regulares quempiam e suis subditis arceant a confessionibus audiendis, ipsisque prohibeant administrationem Sacramenti Poenitentiae, non ideo ipsi auferunt facultatem valide absolvendi, quam Regularis non a praelato suo, sed ab Episcopo accepit, aut si placet a Romano Pontifice, sed cum subordinatione ad approbationem Episcopi.

Ex his ergo consequitur subditos reluctantes, obedientiam suis superioribus detrectantes, si non abstineant ab huius sacramenti administratione eisdem interdicta, peccare quidem; attamen si absolvant, eorum absolutionem validam esse.

Et haec circa validitatem, vel invaliditatem absolutionis datae a Sacerdote Regulari saecularibus contra interdictum suorum Superiorum. Ad alteram autem quaestionem quod attinet, num scilicet, qui invalidam impertit absolutionem incurrat irregularitatem, observabat Consultor similem quaestionem fuisse discussam a Carolo Ant. in *Thesauro. De poenis ecclesiasticis part.* 2 *cap.* 2. In hoc capite secundo sic inscripto: *Absolutio sacramentalis data a Sacerdote non approbato, seu alieno subdito, sine licentia competente,* sibi proponit hic Auctor dubium III. his verbis: « Quaeri potest, an talis Sacerdos scienter absolvens sine ap- » probatione, seu licentia competente, incurrat irregularitatis poe- » nam: » et respondet: *non incurrere irregularitatem illam, quam incurrunt usurpantes actum Ordinis sacri, quem non habent; quia hic non usurpat actum Ordinis Sacri cum vere sit Sacerdos, sed usurpat actum iurisdictionis quam non habet: cui usurpationi non est imposita irregularitatis poena praedicta.*

Ex his indicatis doctrinae capitibus inferebat Consultor, quid singulis dubiis respondendum opinaretur.

Ea quae ex officio adiungebantur. — Adducto Concilii Trid. Decreto *sess.* 23 *cap. c.* 15 *de Reform.* in quo legitur: *Nullum* (presbyterum) *etiam Regularem, posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi..... ab Episcopis... approbationem... obtineat; privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus:* observabatur ex *officio,* S. Congregationem Concilii constanter tenuisse,

necessariam esse Episcopi loci auctoritatem, ut Regulares audire valeant Saecularium confessiones. Propositum siquidem fuit dubium: in causa *Iurisd. Cappellanorum exercitus* diei 6 Martii 1694 *Lib.* 44 *Decret. fol.* 79: « An Cappellani exercitus sive Regula» res, sive saeculares catholici possint administrare Sacramen» tum Poenitentiae militibus in praesidiis sine speciali facultate » Sedis Apostolicae vel licentia et approbatione Ordinarii, in » cuius dioecesi extare contigerit. » Responsum prodiit: *negative.* Eiusmodi responsio confirmata fuit in *Frisigen.* 29 Ianuarii 1707 *Lib.* 37 *Decret.*, et in citata a Consultore *Viterbien. VV. SS. LL.* diei 18 Aprilis 1722. Ac insuper observabatur adductis nonnullis rationibus non tantum in his responsis agi de liceitate, sed potius de validitate.

Verum his obstare videbatur Resolutio S. C. Ep. et Reg. quae ab Auctoribus dicitur edita anno 1617 (1).

In hac itaque causa, ita preces expositae fuerant, quas ex exemplari italico fere ad verbum traducimus: « Generalis Thea» tinorum supplicat EE. Vestris RR. ut declarare dignentur, an » ipse possit suspendere suos subditos approbatos a Generalibus » suis praedecessoribus ad confessiones, pro delictis etiam oc» cultis... *(unum heic habetur verbum, quod ex vetustate legi » non potuit)* etiam extraiudicialibus, et sicut sensit Capitulum » generale, quod conferat ad rectum gubernium suae Religio» nis (2). » « *S. C. Card. negoc. Regul. praeposita censuit, Generalem posse suos subditos ex quacumque causa, ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter, a confessionibus audiendis suspendere.* »

Romae 2 Iulii 1627

Card. S. Sixti

P. Fagnanus Secretarius.

(1) Ex errore haec resolutio ab Auctoribus dicitur edita anno 1617, cum diligenter in Archivio Vaticano fuerit conquisita, ac tandem reperta sub data diei 2 Iulii 1627.

(2) Il Generale de Teatini *(sic in italico exemplari)* supplica l'Emze Vostre Rme a degnarsi dichiarare, s'egli possa sospendere i suoi sudditi approvati dai Generali suoi antecessori, alle confessioni per delitti anche occulti ... anco extragiudiziali, e come è stato senso del Capitolo generale, che facci pel buon governo della sua Religione.

Hac relata resolutione ad eiusdem declarationem adducebatur particula Constitutionum Ordinis Theatinorum *Capit. De administr. Sacram.*, in quo haec praescribuntur: « Sacerdotum qui » confessionibus Saecularium audiendis exponuntur, delectus habeatur, et quamvis peritus quis fuerit et ad iustam aetatem » pervenerit, mature satis agatur, ne ad id munus admittantur, » nisi qui idonei sint reperti, nec nisi de licentia P. Generalis.... » Antequam mittatur quis pro licentia obtinenda ad locorum Ordinarios, sive ad recipiendos Ordines, sive ad confessiones » excipiendas, domi prius a Praeposito, et Patribus ad id delectis diligentissime examinetur. Qui ita ad confessiones audiendas admissi fuerint, ne prius accedant, quam potestas a suo » Praeposito facta illis fuerit. »

Peregrinus Alexander eiusdem Cleric. Reg. congregationis presbyter, qui eodem tempore scripsit, quo praefata Resolutio emissa est, commentariis illustrans hoc Constitutionum caput, inter alios casus sibi sequentes proponit: « ponamus quod alicui » Sacerdoti admisso iam ad confessiones audiendas a P. Generali et ab Episcopo loci, a suo Praeposito, et ex aliqua iusta » causa, suo iudicio, extraiudicialiter interdicatur, quominus audiat confessiones, et absolvendo contra dictam prohibitionem, » quaeritur an confessiones sint validae ? Respondeo, quod sunt » validae, et ratio est; quia non est privatio, nec suspensio, » quae iudicialiter fieri solet, sed simplex prohibitio, quae non » annullat actum; bene verum est, quod dictus Sacerdos peccaret et puniri posset a suo superiore propter inobedientiam; » ita docet Sotus, aliique auctores quos adducit....»

Post haec alterum immediate recenset casum his verbis: « dubitari potest utrum P. Generalis possit suos subditos alias approbatos a se vel a suis Praedecessoribus (1) ad confessiones » audiendas, suspendere, ob occultum crimen etiam extraiudicialiter sibi notum. Respondeo; quod potest, et ita fuit declaratum a Sacra Congregatione *nostro P. Generali*. Tenor dictae » declarationis est: *Sacra Congregatio Cardinalium negociis Regu-*

(1) Notatu videtur dignum, quod hic auctor in hoc casu quem resolvit auctoritate S. Congregationis, non ponit sicut in priori casu verba: *approbatos ab Episcopo loci:* non enim sine causa dicendus est omisisse eiusmodi verba, quae certe retulisset si sensus Resolutionis S. C. ea comprehenderet.

» *larium praeposita censuit, Generalem posse suos subditos ex qua-*
» *cumque causa etiam ob occultum crimen , quomodolibet etiam*
» *extraiudicialiter a confessionibus audiendis suspendere* (1).»

Hisce itaque *ex officio* expositis observabatur, quamvis hic Auctor in ea sententia videatur esse, quae docet posse Superiores Ordinum Regularium suspendere subditos suos, ab Episcopo approbatos ad excipiendas Saecularium confessiones; nihilominus adductam S. Congregationis Resolutionem latam non videri pro iis, qui ab Episcopo sunt approbati ad excipiendas dictas saecularium confessiones, cum fiat in ea tantum mentio, de approbatione facta a Generali Ordinis Theatinorum, quae dari poterat ad audiendas confessiones Regularium. Caeterum in dicta Resolutione, si ea referri velit ad confessiones Saecularium, non dicitur Regularis suspensus a suo Superiore *invalide* absolvere: sed dumtaxat posse suspendi a P. Generali approbatus a suis praedecessoribus. Porro *multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem,* prout fert notum axioma Innocentii III.

Neque omittebatur indicare alterum argumentum desumptum ex privilegio directe concesso Ordini Praedicatorum a Iulio III. anno 1515 die 17 Ianuarii, de quo idem Auctor Peregrinus mentionem facit, quo laudatus Pontifex *annullat omnes licentias obtentas, et obtinendas in futurum, audiendi confessiones sacramentales, absque consensu suorum Superiorum.* Verum observabatur, quod si ex eo privilegio facultas erueretur suspendendi approbatos ab Episcopo ad confessiones audiendas; cum ex allegato Concilii Tridentini Decreto, quodlibet privilegium abrogatum fuerit, consequi videbatur, dictum privilegium cessasse.

His aliisque erudite adductis, proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An Religiosus non approbatus iuxta leges proprii Ordinis
» a suo Superiore, vel ipso invito cum sola facultate Ordinarii,
» valide excipiat confessiones saecularium.»

(1) Notandum est, non accurate a Lucio Ferraris, aliisque Auctoribus eiusmodi Resolutionem referri. Verbis enim *a suis praedecessoribus* adiungunt verba, *et aliis quibuscumque superioribus,* quibus forsan comprehederentur etiam Episcopi. Quae verba ex errore inseruntur, quae neque in authentico documento habentur, neque a Peregrino referuntur.

II. « An Superiores Regulares, iurisdictionem habentes, possint » suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus Saecu- » larium etiam ex informata conscientia.

» Et quatenus *affirmative*.

III. « An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enun- » ciata. »

IV. « An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est » innodatus sit valida.

» Et quatenus *negative*.

V. » An qui huiusmodi absolutionem attentat irregularitatem » incurrat. »

Responsio. — Sacra Congregatio Episc. et Reg. re discussa die 2 Martii 1866 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative; ita tamen, ut Religiosus suspensus illicite, non vero invalide confessiones excipiat.*

Ad III. *Affirmative cum feratur per modum praecepti particularis.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Provisum in praecedentibus.*

Ex iis colliges:

I. Post Tridentinam legem *cap.* 15 *sess.* 23, quemlibet Regularem non censeri *idoneum* ad excipiendas confessiones saecularium, nisi ad eas ab Episcopo loci approbationem accipiat.

II. Per eam approbationem conferri necessariam iurisdictionem ad confessiones valide excipiendas.

III. Quare eiusmodi iurisdictio a Superioribus Regularibus auferri suis subditis non potest, quamvis iuste interdici, prohiberique iisdem possit, quominus dictas sacramentales confessiones excipiant.

IV. Hinc si Regularis inobediens, spreta suorum Superiorum inhibitione, dictas confessiones exciperet, valide poenitentes absolveret, quamvis illicite.

V. Neque in irregularitatem incurreret, cum talis inobediens nullam spreverit canonicam censuram.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

FOROIULIEN.

Die 29 *Augusti* 1864.

« Quamvis compertum sit, et ab hac S. Congregatione declaratum, ecclesias omnes quae sub regimine olim erant Fratrum Ordinis Seraphici, Indulgentias amisisse eiusdem Ordinis proprias; attamen ad enixas preces R. P. Hadriani Iosephi Humbert ex Ordine Conventualium sa: me: Pius PP. VII. per Breve sub die 20 Iunii 1817 (1) confirmavit, et, quatenus opus esset, de novo concessit Indulgentias omnes, et singulas peccatorum re-

(1) Pius Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. «Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Presbyter Hadrianus Iosephus Humbert fratrum Ord. Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. professus, quod dum nonnullae ecclesiae in Galliarum Regnis existentes a Fratribus dicti Ordinis regebantur, Indulgentiis, quibus ecclesiae tam Fratrum, quam Monialium Ordinis praedicti die secunda mensis Augusti fruuntur, et gaudent, fruebantur et gaudebant. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, non amplius praedictae ecclesiae a Fratribus memorati Ordinis gubernentur, plurimum veretur Indulgentias huiusmodi subsistere. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra de Benignitate Apostolica indulgere dignaremur. Nos ne quid ad animarum profectum, ac Religionis pietatisque augmentum deficiat, huiusmodi supplicationibus inclinati de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Indulgentias omnes et singulas peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncupat. quibus praedictae ecclesiae antehac dum a Fratribus eiusdem Ordinis regebantur, die secunda mensis Augusti locupletatae erant, Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et quatenus opus sit, dummodo Christifideles iniuncta pro illarum consecutione rite adimpleant, auctoritate, et tenore paribus de novo concedimus, et impertimur. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis *ad instar,* aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque: Praesentibus, perpetuis temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum ex Arce Gandulfi die XX. Iunii MDCCCXVII Pontificatus Nostri Anno XVIII.»

missiones, ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncupatas in ecclesiis existentibus in Galliarum Regnis, quaeque a Fratribus dicti Ordinis primitus regebantur; imo ad maiorem Christifidelium utilitatem idem Pontifex per aliud Breve *Alias nos* sub die 4 Maii 1819 (1) praedictam Indulgentiam de Portiuncula nuncupatam in eisdem ecclesiis ad Dominicam immediate post diem secundam Augusti, nisi haec dies in Dominicam incidit, transtulit.

Cum autem hodie nonnullae ecclesiae in Gallia sub regimine Fratrum Ordinis S. Francisci iterum existant, quaeque ideo potiuntur hac Indulgentia diei 2 Augusti, sequentia enata sunt dubia proposita a Parocho S. Francisci in Civitate Foroiuliensi Curiae Episcopali, et ab hac, Sacrae Congregationi ut declarentur. »

(1) Pius Papa VII. Ad Perpetuam Rei Memoriam. « Alias Nos per Apostolicas in simili forma Brevis sub die XX. Iunii An. MDCCCXVII. expeditas Litteras omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, et sacra communione refectis, aliquam ex ecclesiis, quae in Regnis Galliarum Regulari Ordini S. Francisci Assisiensis iam antea pertinebant, die secunda mensis Augusti rite visitantibus, ut indulgentias omnes et singulas peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncup. lucrifacere et consequi possent, prout in memoratis Nostris Litteris, quarum tenorem pro expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur, in Domino concessimus. Expositum autem nobis nuper fuit, quod Christifideles tunc cum dies huiusmodi in diem feriatam incidat, indulgentias praedictas minus commode lucrari valent, illaeque propterea magis pro spirituali animarum utilitate proficuae essent, si per Nos ut infra, transferantur. Nos igitur ad augendam fidelium Religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, de Omnipotentis Dei Misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, memoratas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ut praefertur largitas, ad Dominicam immediate sequentem, nisi dies secunda mensis Augusti in Dominicam incidat, servata tamen in reliquis Litterarum Nostrarum desuper expeditarum forma et dispositione, Auctoritate Apostolica tenore praesentium transferimus, et translatas declaramus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praedictis Nostris Litteris voluimus non obstare, coeterisque contrariis quibuscumque, Praesentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. » Datum apud Sanctam Mariam Maiorem die IV. Maii MDCCCXIX. Pontificatus Nostri Anno XX.

I. « Utrum Brevia *Exponi nobis* 20 Iunii 1817. et *Alias nos* » 4 Maii 1919 si sint authentica, adhuc vigeant pro Gallia, » quamvis in quibusdam locis nunc extent Conventuales Fran- » ciscanorum ecclesiae, in quibus Fideles die 2 Augusti Indul- » gentias de Portiuncula nuncupatas consequi possunt (1).»

II. « Utrum firmo remanente Brevi *Alias nos* de translatione » Indulgentiarum de Portiuncula ad Dominicam, vetus Franci- » scana Ecclesia, nunc Parochialis, indulto speciali indigeat, » ut in ea Fideles Indulgentias die 2 Augusti lucrentur. »

« Sacra igitur Congregatio in generalibus Comitiis habitis » apud Vaticanas aedes 29 Augusti 1864 auditis Consultorum » votis, et re mature perpensa respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Indigere.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis Die 29 Augusti 1864.

Ex iis colliges :

Indulgentias rite visitantibus Regularium ecclesias concessas intuitu Regularis familiae a qua ecclesiae reguntur, cessante Regulari familia, easdem pariter Indulgentias cessare (2).

(1) Forsan ratio dubitandi quam habuit Orator, erat Resolutio S. Congregationis I. in *Placentina* diei 29 Maii 1841, in hac enim propositum fuit sequens dubium: «Fratres Ordinis Minorum » Reformatorum Civitatis Placentinae, » quaerunt a S. Congregatione - Utrum » in Ecclesiis Seraphici Ordinis, quae » tempore gallicae suppressionis ablatae » fuerunt a praefati Ordinis subiectione, » quaeque sub cura modo tenentur a » Presbyteris saecularibus,quin Regulares » ullo modo suis iuribus renuntiaverint, » Indulgentiae vulgo Portiunculae, atque » aliae vigore praefati Ordinis conces- » sae, adhuc a fidelibus lucrari possint, » eo magis quod s. m. Pium PP. VII. » hac super re aliquid declarasse affir- » matur.»

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis respondit: *Non constare de Summi Pontificis Pii VII. s. m. declaratione ac proinde* « negative.» *Pro iis vero locis ubi affirmativa sententia tenetur, ne scandalum in fideles oriatur, recurrendum erit ad Sanctam Apostolicam Sedem pro ipsius Indulgentiae vulgo Portiunculae concessione, exposita tamen causa in allato dubio citata.*

Verum in praesenti *Placentinae* Resolutione non agebatur de Galliarum regnis.

(2) Vid. etiam quae diximus pag. 239 §. *Ex quibus erues.*

VALLIS-GUIDONIS.

Die 29 *Augusti* 1864.

« Cum pluries declaratum fuerit a S. Sede, Sorores Monasteriorum Galliae lucrari posse indulgentias omnes quae Religiosis, seu Instituto Monialium solemnia vota emittentium secundum Regulam respectivam, concessae fuerunt; hinc quoad familiam Carmelitanam dubium exortum est: an scilicet sororibus huius Instituti in Gallia Benedictio Apostolica quater in anno impertienda cum Indulgentia plenaria, a Benedicto XIV. Ordini Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo concessa, impertiri a Confessario aut Cappellano pro tempore licite et valide possit. Et quatenus negative, supplicationes suas offerunt Sorores Carmelitae Vallis-Guidonis pro gratia, earum nempe Confessario aut Cappellano pro tempore, benedictionem Apostolicam impertiendi cum indulgentia plenaria.»

« Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis, respondit: *ad primam partem, negative; ad secundam, non expedire.*»

Votum Consultoris.

Consultor, qui in scriptis votum emisit, breviter adnotabat, facultatem impertiendi Populo fideli quater in anno Pontificiam Benedictionem ab antiquo Patribus Carmelitis a Sancta Sede indultam, fuisse infirmatam a Benedicto XIII, vi rescripti S. Congregationis 26 Martii 1729; eamdem fuisse deinde iterum concessam per Brevem a Benedicto XIV die 18 Augusti 1743. Eiusmodi autem facultatem aiebat Consultor solis competere Fratribus, ita ut nec Sanctimonialibus Carmelitici Instituti esset communicabilis. Namque dumtaxat a Priore Conventus dari potest, et in ecclesia eiusdem, vel a Fratre per Priorem delegando; quae conditio a Summo Pontifice apposita satis clare demonstrare Consultori videbatur, eiusdem Pontificis mentem fuisse, laudatum Privilegium ad solos Fratres coarctari. Quod probe adnotatum legitur in opusculis a Carmelitis editis in Belgio et in Italia, in quibus enumerantur et declarantur indulgentiae, et privilegia Ordini concessa. Nec unquam Moniales Carmelitici Ordinis quae in Italia sunt, quamvis solemnia vota emittentes, in suis ecclesiis permiserunt usum praedictae facultatis. Quare etc.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

PIA SODALITAS ECCLESIIS INSERVIENTIUM.

P. Vincentius Basile e Societate Iesu, Missionarius Apostolicus Slavorum Meridionalium SSmo humiliter supplicavit, ut adprobare et aliquo spirituali thesauro ditare dignaretur Piam Societatem eorum omnium, qui ecclesiarum servitio dant operam (1), sub protectione Beati Ioannis Berchmans Societatis Iesu Confessoris institutam, quae eo consilio dirigitur, ut tam praeclaro officio, ea qua par est devotione, et religione fungantur.

Pro eadem igitur societate Missionarius Orator sequentia postulavit:

I. « Indulgentiam plenariam, quae Defunctorum animabus » possit applicari die cooptationis in ipsam societatem, et die » anniversaria Festi Beati Ioannis Berchmans (2).»

II. « Indulgentiam plenariam, quae item applicari Defunctis » possit quinque illis Dominicis diebus, qui Festum B. Ioannis » Berchmans praecedunt, in memoriam annorum quinque, qui- » bus in religioso Ordine vixit. »

III. « Indulgentiam centum dierum item Defunctis etiam ap- » plicabilem, quotiescumque sodales vel devote sacro inserviunt, » vel qua par est reverentia genua flectunt, vel in templo mo- » deste se gerunt. »

IV. « Indulgentiam septem annorum quae applicari defunctis » ut supra possit, iis sodalibus, qui quinque preces (3) eidem » B. Ioanni obsecrando conscriptas recitaverint. »

(1) Non tantum in hanc piam sodalitatem cooptari possunt, qui templis ministrandis ex officio addicti sunt, ut sacristae, et clerici ministri; sed etiam extranei sive clerici sive laici, qui eamdem operam in ecclesiarum servitio sponte conferunt. Claritatis gratia videsis Appendicem XXV.

(2) Videsis pag. 492 in nota.

(3) Harum precum latinam versionem damus in appendice XXV. quarum italicum exemplar approbatum fuit ab Illmo et Rmo Assessore S. R. C. Laurentio Salvati iuxta iniunctionem in Rescripto appositam. Videsis quae diximus pag. 321 in nota.

V. « Ut haec pia sodalitas, cum assensu Ordinarii, erigi ubi-» cumque possit, et a quocumque Sacerdote saeculari vel re-» gulari. »

Ex audientia SS̃mi habita die 21 Septembris 1865.

SS̃mus Dñus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, referente me infrascripto S. Congr. de Propaganda Fide Card. Praefecto benigne probavit piam sodalitatem, de qua in precibus, instituendam tamen de consensu Ordinariorum; et quoad 1^am^ *et secundam petitionem annuit pro gratia iuxta petita, servatis de iure servandis; quoad vero* 3^am^ *et* 5^am^ *pariter annuit pro gratia iuxta preces; et ad* 4^am^ *iuxta petita, dummodo per authenticam auctoritatem probata fuerint: praesenti valituro in perpetuum absque ulla Brevis expeditione, exhibendo tamen in actis S. Congr. Indulgentiarum.*

Datum Romae ex Aedibus S. Congr. de Propaganda Fide die et anno ut supra.

Al. Card. Barnabò Praef.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit in Secretaria S. Congr. Indulgentiarum die 30 Septembris 1865 ad formam decreti eiusdem S. Congr. diei 14 Aprilis 1856.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die anno et supra.

Philippus Can. Cossa Substitutus.

APPENDIX XXIV.

CIRCA SEMINARIORUM DEPUTATOS.

Ad ostendendum in causa supra adducta *Deputatorum Seminarii,* pag.657quanta constantia S.Congregatio Concilii institerit, pro observantia Decreti Concilii Tridentini *sess.* 23, *cap.* 18 circa Seminarii Deputatos, plures afferebantur resolutiones, tum antiquae, quas Auctores referunt, tum recentiores. Eae autem occasionem nobis exhibent, ut paullo fusiori calamo de his Seminariorum Deputatis agamus.

Prima vero quaestiuncula, quae sua sponte sese offert versatur circa varias Deputatorum species. Concilium Tridentinum *loc. cit.* pro duplici distincto officio, duplicem Deputatorum eligendorum speciem constituit. Prima species est eorum, quorum consilio uti debet Episcopus in iis, quae spectant ad christianam et ecclesiasticam alumnorum educationem et regimen. Hi esse debent duo Canonici ab Episcopo electi prout eidem Spiritus Sanctus suggesserit, § *Quae omnia.* Altera vero Deputatorum species praescribitur, quorum consilio uti debet Episcopus in iis, quae concernunt portiones detrahendas ex singulis beneficiis pro sustentatione Seminarii, et uniones beneficiorum illi faciendas. Hi autem quatuor esse debent, duo ex Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a Capitulo eligendus; et duo e Clero, quorum pariter unus ab Episcopo, alter a Clero eligendus est, §. *Et quia.*

Verum cum Sacrum Concilium in fine dicti capitis loquens de rationum redditione, iterum mentionem faciat de Seminarii Deputatis his verbis: *Rationes autem reddituum huius Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo, et totidem a Clero civitatis Deputatis;* dubitatum est, an his verbis tertia Deputatorum species statuatur, distincta ab ea, quae secundo loco praescribitur. Quamvis autem tum ex contextu dicti capitis, tum etiam ex analogis declarationibus S. C. C. iamdiu datis, facile colligi possit, Sacrum Concilium heic non praescribere tertiam quandam Deputatorum speciem a secunda distinctam; nihilominus habemus recentem Resolutionem, in causa *Arboren. Deputatorum Seminarii* die 31 Martii 1855 emissam, quae dubietatem quamlibet removet. In hac siquidem causa contendebant Canonici allegatis Tridentini verbis tertiam speciem Deputatorum constitui cum superioribus non confundendam, qui ad reddituum rationes

excipiendas, peculiariter addicti, independenter ab Ordinario eligendi essent sive a Capitulo, sive a Clero: Archiepiscopus e contra contendebat Deputatos, quorum hic mentio fit, illos eosdem omnino esse, de quibus agitur in dicti Capitis paragrapho *Et quia*, quorum electio tum ad Episcopum, tum ad Capitulum, et Clerum civitatis respective pertinet.

Canonici suae sententiae adsertorem et vindicem, unum inter Canonistas adducebant Monacellium, qui in *tom.* 2, *tit.* 16, *form.* 10, *num.* 22, de his Deputatis ad rationes reddituum excipiendas agens, eos a quatuor supradictis diversos esse asserit. Verum *ex officio* in hac causa observabatur, Auctores omnes, si Monacellius excipiatur, de hac nova Deputatorum specie nullam mentionem facere; ac in iis omnibus, quae ad Seminarii administrationem pertinent, et ideo etiam ad rationum redditionem, quae cum administratione connectitur et in eaque natura sua continetur, quatuor dumtaxat recensere Deputatos, eo modo eligendos, qui praescribitur §. *Et quia*. Cui Auctorum doctrinae consonae adducebantur S. C. C. Resolutiones, quae quatuor tantum Deputatos, in re de qua agimus, memorant.

Proposito itaque dubio: « An et » quomodo eligendi sint Deputati » ad excipiendas rationum redditio- » nem Seminarii in casu: » S. Congregatio respondit: *Affirmative, et redditionem rationum excipiendam esse per quatuor Deputatos, quorum duo ex Capitulo, unus electus ab Episcopo, alter a Capitulo; et duo ex Clero unus electus ab Episcopo, alter a Clero.*

Quaeri secundo loco potest, quibus in rebus singillatim uti debet Episcopus consilio Deputatorum utriusque speciei. Hac in re plures suppetunt antiquiores Resolutiones S. C. C. quae ab Auctoribus referri solent; videlicet in *Salernitana lib.* 6, *decret. pag.* 22 *et seq.* quaesitum inter alia fuerat: II. « An eorum (*Deputatorum primae speciei*) consi- » lium adhibendum in constituendis » Regulis universalibus Seminarii, » electione singulorum puerorum » introducendorum, electione Ma- » gistrorum, librorum legendorum, » Confessoris, punitione discolo- » rum, expulsione, visitatione, et » similibus. » III. « An alii quatuor » sint deputandi, et deputati adhi- » bendi sint in consilio tantummodo » in taxatione, contributione fru- » ctuum ex unione Beneficiorum, » et in aliis difficultatibus ob quas » Seminarii instructio, vel conser- » vatio impediretur, aut pertuba- » retur, an etiam in exactione et » temporalium administratione, tam » dicti Seminarii, ut puta, depu- » tatione, vel expulsione Ministro- » rum, et famulorum temporalium » expensis quotidianis, provisionis » bladorum, quam etiam bono- » rum quorumcumque et redditum » ipsius Seminarii, etiam ex Bene-

» ficiis unitis, ut puta locationibus, » concessionibus aliisque contracti- » bus, litibus.»

Ad duo enunciata dubia S. Congregatio respondit: Ad II. *In omnibus his esse adhibendos.* Ad III. *teneri Episcopum adhibere Deputatorum consilium, tam circa institutionem, disciplinam, et mores, quam temporalium rerum administrationem.*

A Pignatellio *tom.* 9, *Consult.* 81 refertur quaedam Resolutio S. C. C., in qua enucleatius haec omnia declarantur; his porro verbis hic Auctor inter plures Resolutiones, sequentem refert: « *In Mediolanensi.* Canonici electi ab Episcopo ad constituendam educationem puerorum, mutari non debent, nisi ut supra, et eorum consilium Episcopi tenentur adhibere, sed non tenentur sequi, et adhibendum est in omnibus infrascriptis:

« In constituendis Regulis universalibus Seminarii.

» In electione singulorum puerorum introducendorum.

» In electione librorum legendorum.

» In punitione discolorum.

» In visitationibus.

» In electione loci.

» In electione Magistrorum.

» In electione Confessoris.

» In eorumdem expulsione.

» Alii quatuor adhibendi sunt Deputati, in consilio circa taxationem fructuum, contributionis.

» Circa unionem Beneficiorum.

» In difficultatibus, ob quas Seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur.

» In omni temporali administratione Seminarii.

» In expulsione, et deputatione ministrorum Seminarii.

» In expensis quotidianis.

» In provisionibus bladorum.

» In administratione bonorum quorumcumque ac reddituum ipsius. Non autem etiam in iis, Episcopus tenetur sequi eorumdem consilium, sed ut supra, solummodo adhibere.»

Quamvis autem Episcopus ex Tridentina lege teneatur consilium exquirere quatuor Deputatorum, quos secundae speciei appellavimus, cum de temporali Seminarii administratione agitur, non tamen tenetur consilium exquirere cum agitur de exactione, seu compulsatione facienda ad portionem Seminario debitam recipiendam. Ita declaratum fuit in *Curien.* anno 1594, *lib.* 8, *Decret. pag.* 65, « *Sacra Congregatio censuit, omnes quatuor Deputatos adhibendos esse in consilio in tota temporali administratione Seminarii, praeterquam in exactione,* quae ad solum Episcopum spectat.»

Item *in Nullius* anni 1595 *L.* 8 *Decret. pag.* 97, « *Sacra Congregatio censuit, omnes quatuor Deputatos de quibus agitur* in cap. 18 sess. 23 vers. Et quia, *adhibendos esse in consilio in administratione rerum ipsius Seminarii, praeterquam in compulsione ad portionem Seminario debitam, cuius facultas ad solum Episcopum spectat.*

Item *in Tricaricen. Administrationis Seminarii,* 24 Martii 1736 Episcopus deprehenderat Deputatos de quibus agimus concredito munere minus recte perfungi, adeo ut comperti fuerint Seminarii debitores in summa ducatorum 1195; ideoque Episcopus ulteriorem ipsius Seminarii administrationem eis interdixit; ac propositis S.C. dubiis resolvendis: I. « An administratio oeconomica » Seminarii exerceri debeat per Epi- » scopum, vel potius per deputa- » tos. » II. « An constet de suffi- » cienti redditione rationis admini- » strationis exercitae per Deputatos » Seminarii: » S. Congregatio re- pondit: ad I. *Administrationem competere Episcopo, cum consilio Deputatorum, praeter quam in exactione, quae spectat ad solum Episcopum.* Ad *II. Negative, et Episcopus procedat prout de iure contra debitores.*

Multae suppetunt insuper Resolutiones, quibus declaratur, Episcopum teneri quidem consilium Deputatorum exquirere in iis, in quibus iuxta Tridentinum exquirendum est; non tamen teneri eorumdem consilium sequi. In *Fundana Officialium Seminarii* die 26 Martii 1689, *Lib.* 39 *Decret. pag.* 129 *et seq.*, inter caetera fuerunt discussa duo haec dubia: I. « An Episcopus potuerit » et possit deputare Rectorem, alios- » que Officiales Seminarii absque » consilio Deputatorum a Capitulo. » II « An Episcopus in revisione et » solidatione computorum dicti Re- » ctoris debuerit sequi consilium eo- » rumdem Deputatorum: » et respon- sum prodiit: ad I. *negative.* Ad II. *teneri adhibere consilium, sed non sequi.* Eiusmodi declarationem iam emiserat S. Congregatio, ut habetur in *Oscen.* anni 1585 *Lib.* 4 *Decret. pag.* 84., in qua legitur: « *Alias Sacra Congregatio ad interpretationem Decreti* cap. 18 sess. 23, *censuit Episcopum Oscen. cum consilio Deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam, et mores Clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere; sufficere tamen, quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse Episcopum statuere, et deliberare, quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit... »*

Quamvis autem non teneatur Deputatorum consilium Episcopus sequi: habent enim Deputati votum tantum consultivum, non vero decisivum; tamen, his inconsultis, si uniones Beneficiorum Seminario fiant, irritae sunt, prout refert Pignatellius *tom.* 9 *consult.* 81 *n.* 99 fuisse resolutum a S. Congregatione Concilii die 13 Ianuarii 1594, nimirum: « Uniones factae absque » consilio quatuor Deputatorum non » valent. » in qua re conveniunt Auctores: Pitonius *tom.* 3 *discept. eccl.* 77 *n.* 4 *et* 5.

Benedictus XIV. in opere *de Syn. Dioec.* docet eiusmodi Deputatorum consilium in unionibus Beneficiorum Seminario faciendis censeri veluti *formam,* extrinsecam quidem, sine qua unio irrita est; idque fir-

mat auctoritate Sacrae Congregationis: scribit enim loco citato *L.* 9 *Cap.* 7. §. 2. » Necessarium quidem non est ut beneficiorum Seminario uniones in Synodo fiant (1): quin imo satius videtur, ut, si faciendae sint, extra Synodum expleantur cum consilio quatuor Deputatorum...quorum quidem consilium a Tridentina Synodo in unionibus huiusmodi *pro forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterius *de re Beneficiaria L.* 1 *quaest.* 29 *n.* 60, et ut resolutum fuit a Congregatione eiusdem Concilii interprete in causa *Giennen.* 14 Februarii 1544 *Lib.* 8. *Decret. pag.* 14 « *Sacra etc. censuit uniones factas Seminario absque consilio eorum quatuor, quos iubet Concilium adhiberi, minime valere:* » et in alia *Ferrarien.* 3 Martii eiusdem anni, eodem *Lib.* 8 *Decret. pag.* 16 *a tergo. Sacra etc.* « *censuit in unionibus Beneficiorum faciendis Seminario, satis esse servare formam traditam a Concilio* c. 18 sess. 23 de Reform. *neque requiri consilium Capituli.*»

Quaeri insuper potest, an eiusmodi Deputati semel electi possint pro arbitrio amoveri; cui quaestioni Sacra Congregatio non semel respondit: eiusmodi Deputatos esse perpetuos, neque posse amoveri, nisi ex legitima causa. Ita in *Papien.* 7 Iulii 1591 *Lib.* 7 *Decret. pag.* 14 « *Canonicos ab Episcopo electos ad Seminarii administrationem ad praescriptum* cap. 18 sess. 23 vers. Quae omnia, *esse perpetuos, nec posse amoveri nisi ex iusta et legitima causa.*» Item in *Sarzanen.* 25 Iunii 1639 *Lib.* 16 *Decret. pag.* 221, S. Congregatio rescripsit: « *Oratorem ab Episcopo electum ad Seminarii administrationem, iuxta praescriptum Sacri Concilii* Cap. 18 sess. 23, vers. Quae omnia, *non posse amoveri nisi ex iusta et legitima causa.*» Item in iam citata *Salernitana* respondit ad I. et IV. dubium, quae his fuerunt concepta verbis:

I. « An duo Canonici electi ab » Archiepiscopo ad constituendam » educationem puerorum Seminarii, » possint pro libito Archiepiscopi » mutari.» IV. « An hi quatuor De- » putati (*Constituendi iuxta* §. Et » Quia) sint perpetui, vel etiam amo- » vibiles, servata tam ratione Con-

(1) Barbosa *de Offic. et Potest. Episcopi, part.* 3 *alleg.* 93 *n.* 2, scripsit: « Rationes reddituum Seminarii in synodo audiendae sunt per quatuor Deputatos, » quorum duo ex Capitulo, unus electus a Capitulo, alter ab Episcopo, duo alteri » ex Clero, similiter unus electus ab ipso Clero, alter ab Episcopo esse debent.» Verum non apparet undenam hic Auctor eiusmodi obligationem deducat. Concilium enim Tridentinum *loc. cit.* non iniungit Episcopis ut in synodo dioecesana rationes reddituum accipiant, sed solummodo praescribit: « *Rationes autem reddituum huius Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a Capitulo, et totidem a Clero civitatis Deputatis.*» Quare exigit tantum Deputatorum praesentiam. Quin imo ut hic notat Benedictus XIV., neque est necessarium, ut Beneficiorum uniones Seminario faciendae in synodo fiant.

» cilii in eorum electione, et dicta » electio spectet ad Capitulum. » S. Congregatio respondit: ad I. *Non posse amoveri nisi ex legitima causa.* Ad IV. *Esse perpetuos.*

In citata *Tricaricen.* diei 24 Martii 1736, quemdam Canonicum Filiucci, unum ex Deputatis, quibus Episcopus commiserat Seminarii administrationem, cum ob plures quos in eadem administratione patraverat excessus, Episcopus ex Deputati officio removere contenderet, sequens S. C. C. propositum fuit resolvendum tertio loco dubium: III. « An » sit locus remotioni Canonici Fi- » liucci Deputati Seminarii in casu: » et responsum prodiit: *affirmative.* Censuit nimirum S. C. administrationem Deputato commissam, male gestam, causam esse legitimam eum e suo officio removendi.

Dari insuper casus potest, quo vel Canonici non adsint, qui eligi possint ad Deputatorum officium, vel, semel electi, impediantur aliquo tempore suo officio fungi; quaeritur itaque hoc in casu, an alii substitui debeant. Hac in re duas referam Resolutiones, quae quaestionem dirimunt. In *Pinhelen. Erectionis Seminarii* 15 Ianuarii 1791, cum nova erigenda esset dioecesis, ex duabus abscissis dioecesibus, cumque Capitulum constitutum non esset, Episcopus nihilominus Pinhelensis manus apposuit ad Seminarium erigendum: cum vero dubitaretur, an Deputati tantum de Clero sufficerent, vel in locum Canonicorum addendi essent alii, propositum fuit S. Congregationi dubium: « An et quo- » modo sit providendum Seminarii » directioni et administrationi in » casu: » et responsum prodiit: *esse providendum pro nunc, per Deputationem graviorum, et seniorum de Clero, loco deficientium capitularium, ad formam in reliquis S. Concilii Tridentini.*

Item in citata *Arboren. Deputatorum Seminarii* diei 31 Martii 1855, ex eo quod perpetui esse debeant Deputati, dubitatum est, an in casu absentiae, vel temporanei impedimenti alicuius ex Deputatis, sive ad educationem, sive ad administrationem constitutis, possit aut debeat Archiepiscopus hoc in casu, ad consilium, alium vocare, et a quonam eligi debeat si electio requiratur, an scilicet eligi debeat ab Archiepiscopo, vel Capitulo, vel a Clero. Quare S. Congregationi propositum fuit dubium his verbis: II. « An » et quomodo sit locus subroga- » tioni Deputatorum absentium, vel » impeditorum in casu: » et responsum prodiit: ad II. *Affirmative et subrogationem faciendam esse ab iis, a quibus facta est electio Deputati absentis, vel impediti.*

Itaque Sacra Congregatio Concilii adeo firmiter adhaesit Concilii Tridentini Statuto pro recto Seminariorum gubernio, ut eamdem praescriptam formam servandam esse, quoad fieri possit, declaraverit, etiam in casu in quo Deputati Canonici haberi, vel suo officio fungi non possint.

Ex dictis itaque patet, quam longe aberat a tramite Concilii Tridentini illa deputata congregatio, quae constituta fuerat a munifico Episcopo in causa supra exposita; quae congregatio constabat, ut diximus, Decano, Sacrista, duobus Cappellanis, Rectore pro tempore Seminarii, quinque Lectoribus, qui semel in hebdomada congregati, sine officiorum distinctione, sine perpetuitate personarum, sine idoneitate perspecta, fere ab Episcopo independenter, tractare debebant de rebus tum spiritualibus, tum oeconomicis ad Seminarium ipsum pertinentibus.

Concilium enim Tridentinum, quamvis plures constituerit deputatos, unam tamen voluit esse personam, quae Seminario prospiceret, videlicet Episcopum. Deputati enim consilio Episcopum adiuvant. Neque insuper sine gravi causa, statuit Sacrum Consilium, deputatos eligendos esse de Clero, et de Capituli gremio: cum enim de Seminario agitur, de communi causa agitur totius dioecesis; congruum proinde est ut ad consilium advocentur tum qui ad Clerum, tum qui ad Capitulum pertinent.

Deputatos insuper Sacra Synodus eligendos esse de Clericorum et Canonicorum coetu constituit, ut quantum fieri possit, idoneitati personarum prospiceretur.

S. autem Congregatio authentica Tridentini interpres censuit, praescriptos Deputatos perpetuos esse debere, ne scilicet unquam deficeret plena cognitio disciplinae, et rerum ad seminarium pertinentium, qua deficiente, Seminarium ipsum detrimentum pateretur; iique semper adessent, qui perpetuitate officii sui, suaque experientia melius et impensius officio imposito fungerentur.

Ipsis autem Deputatis non quidem iurisdictionem commisit Sacra Tridentina Synodus, sed consilium. Agitur enim de re quae maxime cordi esse debet Episcopis, qui consilio adhibito, sua vigilantia et prudentia, res ita dirigere ac constituere debent, *ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit*, quemadmodum inquit eadem Tridentina Synodus.

Itaque omnis iurisdictio, regimen gubernatio, et administratio Seminariorum ad Episcopos spectat, qui in his muneribus iuvari debent Deputatorum consilio, quo audito, ipsis liberum est ea facere quae pro sua prudentia et pietate meliora existimaverint.

Cum autem ex recta Seminariorum institutione et gubernio, maxime pendeat dioecesis cuiuslibet bonum, causa Seminariorum favorem iuris quammaximum obtinet; et ex eo etiam patet, quod, iure Tridentino inspecto, in nulla alia re tam ampla conceditur facultas Episcopis super dispositione bonorum ecclesiasticorum, in taxa scilicet

imponenda, in beneficiis uniendis, quam cum de Seminariis agitur (1).

Recens habetur causa in S. Congregatione Concilii agitata, in *Terlitien. Pensionis* die 26 Novembris 1764, quae favorem Seminariorum de quo agimus ostendere etiam videtur. Episcopus Terlitiensis petierat, atque obtinuerat ab Apostolica Sede facultatem disiungendi nonnulla bona ex Capituli praebendis, ut ea Seminario uniret. Cum autem res Seminarii ita deinde prospere cesserint, ut redditus e summa Ducatorum 1000 ad Ducatos 1500 excreverint; Praebendati, ex quibus dicta bona decerpta fuerant, SSmo supplicarunt, ut in suis bonis redintegrarentur, maxime cum ob aucta vectigalia non amplius ad honestam sustentationem dictae praebendae sufficientes viderentur.

Quamvis in praesenti casu ageretur de vera dismembratione auctoritate Apostolica peracta, non tamen omittebatur *ex officio* adnotare id quod statuit Concilium Tridentinum in *cit. cap.* 18, *sess.* 23, videlicet: « *Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra detracta, et incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur.* » Nihilominus, proposito dubio: « An » et quomodo annuendum sit Ora» torum precibus in casu: » responsum prodiit: *negative in omnibus.*

(1) Circa eiusmodi Episcopi facultatem legi possunt ea quae scripsit Pignatellius *tom.* 9 *Consult.* 81, et Benedictus XIV. in opere *de synod dioec.* l. 9 *cap.* 7.

APPENDIX XXV.

PIA SODALITAS EORUM QUI TEMPLIS MINISTRANDIS OPERAM CONFERUNT QUAM SUB AUSPICIIS B. IOANNIS BERCHMANS INSTITUTAM, SANCTISSIMUS INDULGENTIIS AUXIT.

Quam apte sodalitas ista B. Ioannem Berchmans sibi patronum delegerit, liquido patet ex his quae sequuntur, excerpta ex eius vita, quam Ceparius descripsit.

« Iste, iam ab ineunte aetate, libentissimo animo concionibus interérat et sacrificio ministrabat, tonsuramque capitis gestabat, quod caeteri clerici praestare non solebant (1).

» In Sacerdotum conspectu nudato capite stabat: et cum religiosus quidam vir, sub cuius imperiis degebat, tum mensae, tum foco adesset semper, idcirco numquam ille intecto capite non erat: superiore vero rogante ut, in summa hyeme, caput tegeret, vix obtineri potuit ut faceret, licet contubernales suo pileo semper uterentur: usque adeo sacerdotalem dignitatem reverebatur (ibi).

» In Virginis honorem tum singulis sabbatis, tum in pervigiliis ante eius festa ieiunabat: quotidie vero psalterium solvebat, quod S. Bonaventura B. Virgini accomodavit (ibi).

» Romam contendens, Lauretum venit eo die qui diem Christi natalem praecedit. Natalitia igitur nocte, nihil pensi habens vel longum iter, vel teneras corporis gracilesque vires, adesse voluit Matutino, quod in eo templo solemni pompa et devote admodum celebratur. Flexis semper genibus usque perstitit, dum ea officia peragerentur, quin vel oculos attolleret umquam, vel tantulum dimoveretur: ea pietatis, internaeque recollectionis specie, ut omnium in se oculos converteret, qui alter alteri illum demirantes indigitabant. (ibi. P. 2.)

» Romae, lectiones auditurus, Dominicis aliisque festis diebus, templum adibat cui nomen a Iesu factum est: quo cum perveniret, genua flectere ad angulum templi, demissis oculis, solebat; ibique usque eo orando immorabatur, dum vespertina officia solverentur. Itaque genuensis quidam vir (qui saepius id observarat) eum tuendo delectari solebat. Olim Patri cuidam concivi suo, - Qua de causa (inquit) hic me adesse arbitraris? Cui Pater - Enimvero (ait) non alia de causa, quam ut officia vespertina persolvas: - Tum ille - Ego vero ut videam potius, atque adeo animad-

(1) Cepar. in vita B. Ioan. P. 1.

vertam adolescentem istum, qui festis quibusque diebus huc rediens, pronis genibus multa quiete, modestiaque precatur, quin oculos attollat unquam: nimirum sic existimo, eum esse sanctitate spectandum. Multos per templum video, qui symphoniis aures patefaciant, alios qui alternis collocutionibus oblectentur: hunc vero unum adolescentem video, modesto, immotoque corporis habitu orationi indulgere: quare est mea opinione sanctus (ibi).

» Demandata ei fuerat cura ministrandi cuipiam Sacerdoti, qui longo admodum tempore sacra persolvebat: idque ea hora, quae studiis perincommoda esset: suo tamen munere pluribus mensibus perfunctus est, quin hisceret unquam. Alia vice iussus fuit id officium cuidam Patri praestare, qui valetudinis causa, sacris operari certa hora non posset, sed modo maturius, modo serius: cumque aedituus hoc eius incommodum cum eo alloquens, doleret, illi comiter reposuit: Sacris ministrare nihil unquam incommodi mihi affert. Si quando ad templum Domus professae mitteretur, ut in sacris vel solemnibus, vel privatis ministri partes ageret, sacrarium ingressus, genibus nitebatur, paulisper deprecaturus, idemque recessurus praestabat. Si vero expectando terendum tempus esset, in angulum secedebat, ut Virginis rosarium decurreret, vel libellum lectitaret, silentium religiosissime servans (ibi).

» Praecipuo spectabatur amore, reverentia ac pietate in SSmã Eucharistiae mysteria: quae per singulos dies septem aut sex vicibus, minimum quinque invisebat (ibi).

» Sacram Eucharistiam magno liguribat opere: et quando per annum festum aliquod imperatum in dominicum diem incidisset, dolentis in morem aiebat: Unius Comunionis hac hebdomada iacturam facimus (ibi).

» Cum festis et ferialibus diebus deambulare iuberetur ad corporis exercitium, eum semper sibi scopum praestituebat, ut unum vel plura templa inviseret: ibique ante altaris Sacramentum plerumque orabat adeo enixe, ut surrexisse socium et abscessisse non sentiret: et saepius opus fuit, ut e templi foribus ad eum monendum socius rediret: cumque ita exemptum sensibus, erectaque in Deum mente reperiret, nihil ut cerneret aut sentiret; cogebatur proprio illum nomine, elataque voce compellare, ut excire posset, et apud se revocare (ibi).

» Singularis illi amor et religio erga S. Aloisium Gonzaga (qui tum inter Beatos censebatur); et quotiescumque templum adibat Eucharistiam visitaturus, sacello etiam S. Aloisii accedere postea solebat;... deque eo suavi quodam animi sensu colloquebatur, eiusque vitam brevibus verbis descriptam in plagula habebat;... quodque pluris habeas, id sedulo curavit, ut eum imitando assequeretur, eiusque vitam et vir-

tutes referret. Quamobrem plerique tum externi, tum religiosi viri non immerito aiebant, esse eum quamdam S. Aloisii effigiem, seque illum contuentes arbitrari, alterum sibi Aloisium prae oculis habere. Eoque die, quo sanctissimi iuvenis exuviae e sacello B. Virginis in novum, sibique dedicatum sacellum translatae fuere, dum cuncti Patres, fratresque gemino pompae agmine templum lustrarent, et Ioannes unus ex illis esset qui candelabra tollebant, P. Iacobus Croce, Italicae provinciae assessor, iuvenem conspicatus, haec ait Patri Theodoro Buseo, provinciae germanicae assessori: Iste alter Aloisius mihi esse videtur.

REGULAE HUIUS PIAE SODALITATIS (1).

1. Huius sodalitatis fratres curare imprimis debent, ut in templis reverentia ac modestia maxime laudentur. Itaque e futilibus sermocinationibus maximopere abstineant; genua devote submittant, dum Eucharistiae sacramentum praetereunt; coeremonias vel in Missa, vel in ceteris sacris religiose servent; illud etiam vitent, ne caput hac, illac circumvolvant, praesertim dum sanctis altaribus ministrant.

2. Curent probe addiscere verba et versiculos, quos vicissim cum Sacerdote efferre debent inter sacrificium, aliaque sacra; et dum, verba proferunt, illa, qua par est, gravitate ac religione utantur.

3. Dum delata sibi ministeria in templis subeunt, id prae oculis saepe habeant, se in terris angelica ministeria exercere, dum Maiestati divinae coram deserviunt: cumque sibi scopum etiam praefigant, ut, quidquid offensarum Christo inferunt iniqui, suis obsequiis propulsent.

4. In Sacrario a sermonibus vel tantulum inhonestis praeprimis abhorreant: si vero illas serere auderent alii, eos debito animo reprehendant, moneantque ea de re Superiores, ut e sanctissimo loco quaelibet foeditas amandetur.

5. Sacra de altari libent post quindecim minimum dies: eoque die, quo B. Ioannis festum peragitur, ne a suscipienda Eucharistia abstineant. Quinimo novendiales preces huic festo praemittere par esset.

6. Singulis mensibus, eo die, ea hora quae accomodatior censeatur, adeant suum Parochum, vel alium quempiam a Parocho praestitutum, ut de aliquo christiani moris capite doceantur, vel de ceremoniis quae in ecclesiasticis sacris adhibendae sunt.

(1) Eiusmodi regulae post obtentum Apostolicum rescriptum quod supra retulimus pag. 690 fuerunt ab eodem Missionario oratore italice concinnatae et typis traditae cum reliquis quae sequuntur, et approbatione Emi Urbis Vicarii communitae. Quinque autem preces iuxta iniunctionem in Rescripto expressam, approbatae fuerunt ab Illmo et Rmo Laurentio Salvati S. R. S. Assessore, easque in latinum idioma vertimus.

7. Quotidie haec recitetur

ORATIO

B. Ioannes, qui puritate et modestia, qui reverentia in templis et religione erga Eucharistica mysteria, et B. Virginem et S. Aloisium adeo enituisti, obtine nobis gratiam tui in his virtutibus imitandi, ut qui nos in templo conspiciant, te conspicere arbitrentur, et Deo referant et tibi meritos honores... *Pater*, *Ave et Gloria.*

QUINQUE PRECES AD B. IOANNEM BERCHMANS, AD RECOLENDOS QUINQUE EOS ANNOS QUIBUS RELIGIOSAM VITAM PROFESSUS EST.

I. Innocentissime B. Ioannes, te precor, ob singularem cordis puritatem, ut gratiam mihi impetres te imitandi in hac praeclara virtute, numquam permittendo ut eam ego amittam, extremumque mihi odium insinuas in eas culpas, quae maculare illam quocumque modo possint. *Pater*, *Ave*, *Gloria.*

II. Modestissime B. Ioannes, ob eam sensuum tuorum solertissimam custodiam, quae te adeo mirabilem mundo effecit, te precor, ut gratiam mihi obtineas cohibendi ita sensus meos, ut numquam per eos maledicti venena peccati in cor meum insinuentur. *Pater*, *Ave*, *Gloria.*

III. Religiosissime B. Ioannes, ob diligentissimam eam curam in Regulis Ordinis tui servandis, te precor, ut gratiam mihi impetres, qua sancta Dei mandata perfecte exsequar, evangelica vero consilia saltem magni faciam, et multum reverear. *Pater*, *Ave*, *Gloria.*

IV. Devotissime B. Ioannes, ob eum amorem, quo S. Aloisium Gonzagam, ut fratrem amasti, SSmam vero Virginem ut matrem, te precor, ut efficias me quoque habere Aloisium singularis patroni atque exemplaris loco, Virginem vero tam devoto colere affectu, ut tecum mihi clamandum semper sit: numquam quiescam donec obtinuero tenerum amorem erga matrem meam Mariam. *Pater*, *Ave*, *Gloria.*

V. Ferventissime B. Ioannes, ob mirabilem pietatem tuam erga adorabile altaris mysterium et Christum crucifixum, te demum precor, ut magnum erga Iesum amorem ac reverentiam mihi impetres, nullo ut loco, praesertim vero in templis, deficiam a reverentia in Sacramentum Amoris sui; et semper et ubique glorier in Cruce illius, ut, postquam eum secutus sum in terris fidelis discipulus, merear eo tecum aeternaliter frui in coelis. *Pater*, *Ave*, *Gloria.*

ORATIO

Beatissime Ioannes, qui moriens voluisti Crucifixum et Rosarium et tuas Regulas in manibus tuis versari, dicens: Haec tria carissima tibi semper fuisse, ea tibi esse in hostem validissima arma, et, illa obtrectantem, te libenter mori; a te per Iesu Christi sanguinem peto, ut impetres mihi tantam reverentiam erga sancta Evangelii mandata, tantam in SSmam Virginem pietatem,

tantumque amorem erga Iesum amore mei crucifixum; ut tres isti affectus, futura sint mihi arma, quibus omnem diaboli impetum devincam: ita ut in illa extrema hora, ipse quoque, compunctione simul et fiducia plenus, iterare tuo exemplo possim, haec tria in vita carissima semper mihi fuere; cum ipsis, in corde libenter moriar. Amen.

℣. Ora pro nobis B. Ioannes.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui mirabilem B. Ioannis Confessoris tui sanctitatem in perfecta regularis disciplinae custodia et vitae innocentia constituisti; eius meritis et precibus concede, ut legis tuae mandata fideliter exsequentes, puritatem mentis et corporis assequamur. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

MONITA AD INSTITUENDAM IN PAROECIIS ISTAM PIAM SODALITATEM.

1. Director aut Parochus sit, aut alius a Parocho approbatus Sacerdos, aut ab eo qui templi curam gerit.

2. Habeat director catalogum in quo nomen, cognomen aetas et domus sodalium omnium designata sint: et optimi consilii esset, si B. Ioannis Berchmans prostaret in sacrario effigies, addito indulgentiarum syllabo, quas S. P. Pius IX concessit, et nomine, cognomineque omnium sodalium.

3. Subscribat etiam pagellas sive Aggregationis libellos, adiecto sub finem adscripti nomine ac cognomine, et die, annoque aggregationis, cum templi sigillo.

4. Si, qui cooptantur, ex illis sunt qui in suo templo ministrant, animadvertat qua cura cunctas pii sodalitii regulas observent: ita tamen, ut quae monenda erunt (nisi necessitas urgeat) ad mensiles adhortationes reiiciat.

5. Si vero alibi ministrant, vel in eorum sunt numero qui, devotionis causa, sacrificiis inservire libere solent, sive in suo, sive in alieno templo, tum pagellam vel libellum tantum signabit, adiecto templi sigillo.

6. Singulis mensibus convocabit et illos qui in suo templo ministrant, et quoscumque alios sodales. Spirituali lectione peracta, recitet *Actiones nostras, etc.* cumque regulas pii sodalitii et indulgentias legendas curarit, precemque illam subiecerit: « *B. Ioannes, qui puritate, etc.* » cum adiectis *Pater, Ave et Gloria,* brevem habeat sermonem, quo vel aliquam e Regulis explanet, vel monita tradet, vel aliquid pertractet sive de christianis moribus, sive de coeremoniis, quae in ecclesiasticis sacris servandae sunt, praecipue vero in Missa: in iisque eos identidem exerceat, spectantibus omnibus. Peracta autem adhortatione, finis imponetur per Preces ad B. Ioannem et Litanias lauretanas. Ista omnia horae unius spatium non excedant.

7. Quo vero convenire possint omnes eo die, quo id exercitium

habebitur, septem diebus antequam conveniant, publice ante fores Sacrarii diem et horam conventus praescribat; curetque de coetus frequentia. Invitatio huiusmodi esse queat: «*Pia sodalitas B. Ioannis Berchmans. Conventus habebitur die... hora... ante merid: - post merid.*»

8. Moneat quando quinque dominicae dies initium habebunt ut cuncti, illas concelebrantes, indulgentias sibi comparare possint: item admoneat de initio dierum novendialium aut tridui ante festum eius. Porro triduum commune esse possit, considerationem quotidie proponendo, sacramque synaxim celebrando in die festo.

9. Si quis vero, agendo de iis qui in suo templo ministrant, aliquid aliud, quod utile ad finem piae Sodalitatis esse videretur, adiicere velit, nil per haec monita prohibetur. Hoc igitur pacto omnia ordine suo procedent, ad gloriam Dei D. N. et servi eius B. Ioannis Berchmans.

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

EMORUM S. R. E. CARDINALIUM CREATIONES, ET EPISCOPORUM ELECTIONES.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. habito secreto Consistorio die 22 Iunii in Apostolicis Aedibus Vaticanis post brevem adlocutionem, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales creavit:

In Ordine Presbyterorum

Antistitem Paulum Cullen, Archiepiscopum Dublinensem, eadem in urbe natum die 27. April. Ann. D. MDCCCIII (1).

Antistitem Gustavum Adulphum de Hohenlohe, Archiepiscopum Edessen. *in Partibus,* ab Eleemosynis secretis Rom. Pontificis, natum Schillingsfurst die 26 Febr. ann. D. MDCCCXXIII.

Rmum P. D. Aloisium Bilio ex Clericis Regularibus Congregationis S. Pauli, S. R. et U. Inquisitionis, et Congregationis Indicis Consultorem, natum Alexandriae in Sabaudia die 25 Mart. ann. D. MDCCCXXVI.

In Ordine Diaconorum

Antistitem Antonium Matteucci, Pro-Camerarium S. R. E. natum Firmi die 15 Mart. ann. D. MDCCCII.

Antistitem Dominicum Consolini, Pro-Praesidem Consilii Statûs; natum Senogalliae die 7 Iun. ann. D. MDCCCVI.

(1) Emus Paulus Cullen Archiepiscopus Dublinensis, et Hiberniae Primas, primus est qui splendore Cardinalitiae dignitatis, saltem ab exorto schismate Anglicano, electam illam catholicae Ecclesiae insulam, illustrare meritus est. Eam inquam insulam, quae penes antiquos, *Insula Sanctorum, et Doctorum,* est appellata, quaeque in saevissima persecutione catholici nominis sub Cromwell et Puritanis, adeo fidei firmitate excelluit, ut pro distinctis epochis, triplici insigni nomine merito decoretur: est enim insula Sanctorum, Doctorum et Martyrum.

Tum sequentes Ecclesias designavit:

Ecclesiam Archiepiscopalem Melitenen. *in Partibus Infidelium* Antistiti Francisco Xaverio Mariae Friderico de Merode, Sacerdoti Bruxellen. Archidioecesecos Mechlinien. Praesuli Domestico, Prothonotario Apostolico Supranumerario, et Canonico Patriarchalis Basilicae Vaticanae.

Ecclesias Cathedrales coniunctas Viterbien. et Tuscanen. in Pontificia Ditione, Antistiti Matthaeo Eustachio Gonnella, translato ab Ecclesia Archiepiscopali Neocaesarien. *in Partibus Infidelium.*

Ecclesiam Cathedralem Marsilien. in Gallia Antistiti Carolo Philippo Place, Sacerdoti Parisien. Praesuli Domestico Rom. Pontificis, Auditori Tribunalis Sacrae Rotae Romanae, et in utroque iure Doctori.

Ecclesiam Cathedralem Atrebaten. in Gallia Rev. D. Ioanni Baptistae Iosepho Lequette, Sacerdoti Dioecesano Atrebaten, Sacrae Theologiae in magno illius Urbis Seminario Professori, et eiusdem Urbis et Diocceseos Vicario Capitulari.

Ecclesiam Cathedralem Veneten. in Gallia Rev. D. Ioanni Mariae Bécel, Sacerdoti Dioecesano Veneten. et Canonico-Archipresbytero-Curato in eius Urbis Cathedrali templo.

Ecclesiam Cathedralem Cadurcen. in Gallia Rev. D. Petro Alfredo Grimardias, Sacerdoti Dioecesano Claromonten. Canonico-Archipresbytero-Curato in eius Urbis Cathedrali Templo, et eiusdem Urbis et Dioeceseos Vicario Generali.

Ecclesiam Cathedralem Osnabrugen. in Annover Antistiti Ioanni Henrico Beckmann, Sacerdoti Dioecesano Osnabrugen. supranumerario ab intimo cubiculo Rom. Pontificis: illius Capituli Decano; eiusdem Urbis et Dioecesecos Vicario Generali, et in S. Theologia Doctori.

Ecclesiam Riobamben. in Republica Aequatoris, in Cathedralem a Rom. Pontifice nuper erectam, Antistiti Ignatio Ordinaz, Sacerdoti Dioecesano Conchen. Prothonotario Apostolico Supranumerario, illius Cathedralis Archidiacono, eiusdem Urbis et Dioeceseos Vicario Generali, et in utraque Lege Doctori.

Post haec SS$\tilde{\text{m}}$us Pater notam fecit sequentium Ecclesiarum electionem, quibus ab ultimo ad hodiernum Consistorium per

Sacram Congregationem de Propaganda Fide provisum fuit. Hae autem sunt:

Ecclesia Archiepiscopalis Martianopolitan. *in Partibus Infidelium* proposita ac designata Antistiti Nicolao a Barcinone, Ordinis Minorum Capucinorum S. Francisci, Delegato Apostolico in Mesopotamia.

Ecclesia Episcopalis Rhodiopolitan. *in Partibus Infidelium* Antisti Roberto Guillelmo Willson, Episcopo renunciatario Hobartonien.

Ecclesia Cathedralis Dubuquen. in Statibus Foedere iunctis Americae, Rev. D. Ioanni Kennessy, Sacerdoti Hibernensi.

Ecclesia Cathedralis Petriculan. in Statibus foedere iunctis Americae, Rev. D. Eduardo Fitzgerald, Sacerdoti Hibernensi.

Ecclesia Cathedralis Erzerumien. Armenorum, Armenii ritûs, Rev. D. Stephano Milchisedechian.

Ecclesia Episcopalis Charlopolitan. *in Partibus Infidelium*, Rev. D. Abrahamo Bsciai, Vicario Apostolico in Aegypto pro Cophtis.

Ecclesia Episcopalis Myriophitan. *in Partibus infidelium*, Rev. D. Bernardo Petitgean, Vicario Apostolico in Iaponia.

Ecclesia Episcopalis Magidan. *in Partibus Infidelium*, Rev. D. Vincentio Bracco, Antistitis Iosephi Valerga Patriarchae Ierosolymitan. Deputato Auxiliario.

Demum B̃mo Patri preces admotae sunt pro S. Pallio Ecclesiae SS̃mae Trinitatis De Buenos-Ayres, in Metropolitanam a SS̃mo Domino nostro nuper evectae, concedendo, favore atque honore prosequendi gratia novum illum Archiepiscopum, Antistitem Marianum Escalada: item et Ecclesiae Marsiliensi, Brevi « *Romani Pontificis* » dato die 1 April. anno MDCCCLI. eo privilegio ornatae.

EX PARTICULARI CONGREGATIONE EPISCOP. ET REG.

AMERICANA VOTORUM.

Die 1 *Septembris* 1864.

Amplissimam causam referimus, in qua ita a doctis Consultoribus disputatum est super facultate erigendi monasteria, super Monialium clausura ad effectum emittendi vota solemnia, ut in hac re vix aliquid desiderari amplius posse videatur. Exposito itaque facti compendio, praecipua Consultorum dissentientium adducta argumenta synoptice de more adducemus (1).

Compendium facti. Anno 1800 antequam ad Archiepiscopatum Baltimorensem Illmus et Revmus Leonardus Neale, in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis eligeretur, congregaverat Georgiopoli quasdam pias mulieres sub Regula S. Francisci Salesii, ad finem educandi catholicas puellas, quas etiam ad convictum recipiebant. Ob utilitatem autem, quam piae istae mulieres Religioni afferebant, easdem laudatus vir direxit tamquam veras Religiosas, ita ut inter eas eligeretur Praeposita, haberetur Novitiatus, emitterentur tria vota, quae ab initio obligarent per spatium unius anni, et deinceps singulis annis renovarentur cum venia Archiepiscopi Baltimorensis.

Ad Archiepiscopatum Baltimorensem promotus Praesul laudatus, aucto numero piarum mulierum, anno 1816 Apostolicae

(1) Selectus fuit ex Consultoribus Illmus et Rmus L. Chaillot, qui primum votum exaravit eruditione plenum, quod potius amplus tractatus appellari mereretur constans paginis 160 in folio.

Alter ex Consultoribus selectus fuit Illmus et Rmus Ioseph Cardoni, tunc Episcopus Carystensis *in partibus infidelium,* nunc Episcopus Lauretanus et Recinetensis, qui alterum votum conscripsit, quod est scientificus tractatus, constans paginis 63 in folio. Cum autem laudati Consultores in diversas abirent sententias, ex duobus suis votis hauriemus synopticam disceptationem, in qua sub oculis Lectorum exponemus, quid utrinque fuerit disputatum, et rationes utrinque adductas. Brevitatis gratia in tractu Synopticae disceptationis appellabimus primum Consultorem, qui primum votum conscripsit, secundum Consultorem, qui alterum.

Sedi hisce verbis supplicavit : « ut Sanctitas Sua velit gratiose » mihi conferre potestatem admittendi eas ad vota solemnia » Religionis , et efficiendi dictam communitatem vere Reli- » giosam , stricte subditam omnibus Regulis praescriptis ab » Instituto Ordinis Visitationis B. M. V. et gaudentem omnibus » privilegiis concessis eidem Ordini. » Pius VII. fe. rec. in audientia diei 14 Iulii 1816 supplicationi annuit « *eidem facultatem benigne concedendo admittendi, servatis servandis, ad solemnem votorum professionem in eius dioecesi nonnullas virgines, quae sub Instituto S. Francisci Salesii se sponte etc... congregarunt, illisque singulas indulgentias, et privilegia, quibus gaudent Moniales Visitationis B. M. V., benigne extendit* »

Anno 1823 Archiepiscopus Baltimorensis Apostolicae Sedi exposuit: Georgiopolis puellas catholicas cogi adire Protestantes mulieres , ut artem legendi , et scribendi addiscant , ideoque summo in discrimine versari suam fidem amittendi; ac animadvertebat, quod si Monialibus Visitationis eiusdem civitatis potestas fieret duas ex Sororibus Conversis , vulgo *Sœurs-fourieres* nuncupatis, destinandi educationi pauperum puellarum extra septa monasterii; quemadmodum in Polonia olim factum fuerat, (quae tamen caeteras omnes regulas de paupertate, modestia, et pietate ipsis praescriptas , aut ab earum Superioribus praescribendas observare tenerentur) dicto incommodo opportune consuleretur. Hisce precibus perpensis SS̃mus indulsit ut quatenus in Domino expedire iudicaverit , pro suo arbitrio et prudentia, Archiepiscopus petitam facultatem dictis Monialibus concedere possit. Nova deinde petitione idem Archiepiscopus postulavit, ut non tantum duas praedictas conversas, sed *tot ex illis, quot ad effectum opus esse in Domino iudicaverit, occupare valeret;* quibus precibus Rescripto 1 Februarii 1824 SS̃mus pariter annuit.

Nonnullis aliis Indultis Apostolicis petitis et obtentis ratione circumstantiarum locorum et civilium legum , denique anno 1840 Archiepiscopus Baltimorensis Gregorio XVI. fe. rec. exposuit: Moniales praedictas alia monasteria erexisse; ac petiit, « ut omnia , et singula privilegia , iura et indulgentiae , quas » Summi Pontifices, hucusque Monialibus Visitationis Georgio- » politanis concesserunt, benigna etiam concessione respective

» extendantur ad omnia et singula Monasteria, quae a praefa-
» tis Monialibus Visitationis iam erecta fuerunt, et in posterum
» sunt erigenda. Quoniam vero plures piae foeminae tria nu-
» per fundata monasteria, nempe Mobilense, Kaskakiense, et Bal-
» timorense, iam ingressae sunt, in iisque ad professionem ad-
» missae fuerunt, et solemnia vota emiserunt, quia concessio-
» nes Pontificiae supramemoratae ad solum Georgiopolitanum
» Monasterium pertinere videntur; ideo dubitari potest, an va-
» lidae sint professiones in hisce tribus Monasteriis factae. »
Quapropter Orator postulabat, ut Summus Pontifex pro su-
prema potestate sua, quatenus vota nulla essent, revalidaret et
confirmaret; dummodo illae consensum renovarent, et professio-
nem suam votis saltem privatim iterum emissis ratam haberent.
Die 22 Novem. 1840 rescriptum prodiit: *SSmus referente Secre-
tario mature perpensis expositis benigne annuit pro gratia in omni-
bus iuxta petita.*

His non obstantibus Apostolicis Rescriptis, anno 1843 mota
fuerunt quaedam dubia et difficultates adversus Votorum sole-
mnitatem, quae Moniales praedictae emiserunt, maxime ex eo,
quod monasteria sine Apostolica auctoritate erecta fuerint, et
quod ratione locorum, et civilium legum, Papalis Clausura ne-
que sevaretur, neque servari posset. Verum gravior evasit quae-
stio anno 1857 ex facto *unius* ex Monialibus, quae matrimonium
cum viro acatholico contrahere cupiebat: nec non ob Monaste-
ria aliarum diversi nominis Monialium professionem emittentium
in Americanis regionibus, sine Clausura et sine Apostolica au-
ctoritate erecta.

Itaque S. Congregatio de Propaganda Fide, rei gravitate
perspecta, ad Archiepiscopos, et Episcopos earum regionum
rescripsit, ut suas opiniones manifestarent circa exortas quae-
stiones. In duplici provinciali Synodo Episcopi in examen rem
revocarunt, scilicet in Synodo Baltimorensi, et Cincinnatensi.
Ad vota Monialium Visitationis quod attinet, licet solemnia esse
plerique iudicarent, attamen in reliquis in diversas abierunt
sententias, et a SSmo instructiones postularunt. Expedit referre
venerandam Epistolam, quam Patres Synodi Baltimorensis die 9
Maii 1858 ad Romanum Pontificem miserunt, scilicet: « Neces-
» sarium duximus a Sanctitate Tua petere, ut in re quadam

» gravioris momenti, quae quaestiones, et dubia apud nos su-
» scitavit, consilio, et auctoritate Tua nobis opitulari dignetur.
» Habemus in pluribus huius provinciae dioecesibus Moniales
» quasdam de quarum votis saepe dubitatur, sint ne simplicia,
» an solemnia. Aliquae communitates videntur facultatem sole-
» mnia vota emittendi, a Sancta Sede concessam, certo possidere.
» De aliis non ita clare constat. Nonnulla sunt quae pro certo habent
» sua vota esse solemnia; iure tamen timeri potest ne fallantur,
» cum conditiones omnes ad hoc requisitas non adimpleverint.
» Nata hinc sunt plurima dubia, quae non solum difficillimis
» quaestionibus ansam dederunt, sed et conscientias ipsarum
» Monialium, eorumque, quorum spirituali curae concreditae
» sunt, saepe turbarunt. Nos igitur pro Dei et Ecclesiae honore,
» bonoque animarum nobis commissarum sollicite rem hanc in
» praesenti Concilio Baltimorensi sedulo, quantum licuit, ad
» examen revocavimus, quaerentes quanam potissimum ratione
» hisce dubiis occurri et conscientiarum tranquillitati consuli
» posset. Eodem tempore aliam quoque quaestionem a priori
» inter disputandum enatam, scilicet: utrum et quatenus expe-
» diat vota solemnia a Religiosis mulieribus in hac provincia
» in posterum emitti, diu multumque perpendimus. Quid spe-
» ciatim hac de re Patres censuerint, ex actis Concilii Sancti-
» tas Tua perspectum habebit. Nos hic breviter et summatim
» quid nobis visum fuerit indicamus.

» Primo loco lectis et perpensis literis, et Rescriptis, aliis-
» que documentis, quae Summi Pontifices Pius VII. sa. me.
» eiusque successores ad Baltimorensem Archiepiscopum in causa
» Monialium Visitationis, sive ad ipsas Moniales conscripserunt....
» omnes uno consensu iudicavimus, vota a Monialibus Visitatio-
» nis in hac provincia emissa esse procul dubio vota so-
» lemnia.

» Nihil obstare arbitramur Monasteriis in hac regione eri-
» gendis, in quibus vota solemnia emitti possint, modo condi-
» tiones omnes, quas Concilium Tridentinum et Romanarum
» Congregationum praxis requirere solet, quoad substantiam
» adimpletae fuerint.

» Verum quidem est vota solemnia non rata haberi nec agno-
» sci quidem a legibus civilibus huius regionis: sed in hoc nul-

» lam causam videmus, quare vota huiusmodi emittenda non » sint.

» Denique, Bm̃e Pater, enixe petimus a Sanctitate Tua, ut » instructionem quamdam parandam, et nobis transmittendam » curet, in qua clare, et plene exponantur conditiones omnes, » quas pro hac regione necessarias Sancta Sedes iudicat, ut » Monasteria, in quibus vota sint solemnia, constitui possint, et » alia si quae sunt circa hanc materiam, quae Sanctitas Tua ob » specialem nostrae regionis conditionem opportuna crediderit etc.»

Archiepiscopus Cincinnatensis die 26 Decembris 1857 inter alia ad Em̃um Praefectum S. C. de Propaganda Fide haec scripsit: « Si ad solemnitatem votorum tria requiruntur, videlicet » permissio Summi Pontificis; sufficiens dotatio ut Religiosae » vivere possint, sine labore manuum vel capitum; et Clausura » Pontificia; censendum est in nullo conventuum nostrorum » vota solemnia esse, cum in nullo eorum, cuiuscumque Ordi- » nis haec tria, praesertim vero secundum, inveniantur.

» Exoptant multi Ecclesiastici, multaeque Moniales ut vota » Sororum Visitationis, Sanctae Ursulae, Boni Pastoris, et San- » ctae Theresiae sive Carmelitae, declarentur et habeantur so- » lemnia.

» Immutationes, et perturbationes politicae, non magis hic » timendae sunt, quam in Europa. Et si fiant, sperandum est » statum religiosum non ideo impossibilem evasurum. »

Archiepiscopus Baltimorensis die 4 Octobris 1858 inter alia ad eumdem Em̃um Praefectum scripsit: « Praeiudicia contra Mo- » nasteria adeo vigent apud acatholicos, ut saepius propositum » sit legem ferre, qua pateat accessus, ut examen instituatur, » ne aliqua *(Monialis)* invita detineatur, et si contigerit rumo- » rem percrebrescere aliquam *(Monialem)* detineri, ruunt cives » incendium minitantes, nisi in libertatem restituatur. Hae gra- » vissimae rationes obstant ne Clausura exactior habeatur: qua- » propter haerent plures Praesules, Sacerdotesque, utrum expe- » diat vota solemnia in posterum emittere, *quae tamen Monia- » les ipsae plurimi faciunt, utpote decus et praesidium suum* (1).»

(1) Praetereundum non est, in variis documentis, quae prae oculis habemus in quibus variae Praesulum opiniones referuntur, nunquam dici expedire, ut vota solemnia non emittantur, quia ex defectu Clausurae Virgines Deo Sacrae

Disceptatio synoptica.

PRIMI CONSULTORIS VOTUM IN COMPENDIUM REDACTUM. — Primus Consultor votum, quod exaravit in quatuor dividebat partes, in quarum prima, sequens sibi dubium discutiendum proposuit.

facile transeant ad saeculum fidem Deo datam violantes. Quin imo Moniales ipsae, quaestiones hasce agitatas male ferentes, tanta firmitate sua vota defendunt, qua firmitate carnales homines ea quae sunt Spiritus Dei non percipientes, suam licentiam, quam libertatem vocant, sibi vindicare conantur.

Explicent acatholici eiusmodi facta, vel exempla nobis exhibeant e suis Sectis deprompta, quae similitudinem saltem aliquam habeant cum huiusmodi factis, quae apud catholicos semper et ubique terrarum tanquam consueti fructus verae fidei, quae per charitatem operatur, sine ulla admiratione progignuntur. Audiatur praeclara epistola ex anglico idiomate in latinum versa, quam Moniales decem Monasteriorum Visitationis hisce subortis quaestionibus ad Romanum Pontificem miserunt die 13 Iunii 1857. « Bme Pater. Moniales Visitationis B. M. V. nunc degentes in decem Monasteriis, quae hucusque in foederatis Americae Septentrionalis Statibus fundata sunt, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutae pro sequenti gratia suppliciter orant. *(Mentionem deinde faciunt de Rescriptis Apostolicis et deinde prosequuntur.)*

» Quapropter Moniales Visitationis, nunc in his Provinciis existentes, persuasum semper habuerant, se virtute Apostolicarum concessionum, ad Religionem proprie dictam pertinere, proindeque quando professionem emittunt, tum imprimis hac mente et firma voluntate sunt, ut sese ad Dei servitium tribus solemnibus votis perpetuae obedientiae, paupertatis, et castitatis adstringant. Licet enim fieri non possint dominii incapaces vi civilium legum in hac regione vigentium, revera tamen sic votum paupertatis edunt, ut velint se prorsus dominio rerum suarum abdicare, nec ullam utendi, fruendi, aut disponendi intentionem retineant, nisi pro Superiorum arbitratu et voluntate.

» Leges quidem civiles hic non paterentur, ut ulla ex Monialibus in Monasterio invita detineretur; minime tamen obstant quominus Moniales debitam Clausuram et ea omnia servent, quae ad observantiae regularis disciplinam spectant: salvis tamen illis immutationibus quas, ut supra dictum est, necesse fuit inducere propter puellarum instructionem, cui Moniales Visitationis sedulo incumbunt.

» Quo firmius igitur elucidentur, et submoveantur dubitationes omnes quae circa rem tanti momenti oriri possent, Oratrices, cum nihil antiquius habeant, quam ut Deo perfecte in statu Religioso serviant, isque sit earum omnium animus, in sancto proposito constanter permanere, ac ea omnia ad mortem usque Deo bene iuvante, observare, quae solemnem professionem comitantur, Sanctitati Vestrae humillime et enixe supplicant, ut Apostolica sua auctoritate, non obstante legum civilium in istis Provinciis dispositione, quoad religiosam paupertatem, benigne dignetur earum omnium professionem religiosam ratificare ac confirmare, et solemnia declarare vota perpetuae obedientiae, paupertatis, et castitatis, quae hactenus emissa fuerunt, et deinceps emittentur in omnibus et singulis Monasteriis Monialium Visitationis B. M. V. sub instituto S. Fran-

AN MONIALIUM MONASTERIA FUNDATA IN FOEDERATIS AMERICAE SEPTEMTRIONALIS STATIBUS ABSQUE BENEPLACITO ET CONCESSIONE APOSTOLICAE SEDIS, GAUDEANT VOTIS SOLEMNIBUS.

Animadvertebat initio Consultor adesse Auctores, qui in hac re tres docent diversas sententias, doctrinae oppositas, quam docuit Benedictus XIV. in aureo opere *de Synodo dioecesana lib. IX. c.* 1 *n.* 9. Harum sententiarum prima ea est, quae docet post Tridentinum Concilium, Apostolicum Beneplacitum necessarium amplius non esse, et sufficere Episcopi veniam. Schmier *Iurispr. can. l.* 3 *trac* 1 *par.* 2 *c.* 2 *sect.* 1 §. 3., Wiestner *Instit. can. l.* 5 *tit.* 31; Laurenius *Forum eccles. l.* 3 *tit.* 48 *c.* 1 *quaes.* 997 *n.* 2.

Altera opinio ea est, quae docet legem Apostolici Beneplaciti obligare tantum Mendicantium Ordines, non vero caeteros Ordines non mendicantium, qui extra Italiam degunt.

Tertia opinio ea est quae docet, Moniales posse Monasteria erigere sola Episcoporum licentia, sive in Italia sive extra Italiam. Hisce enunciatis Auctorum opinionibus, Consultor ostendere contendebat, Ecclesiae praxi inspecta, longe ante epocham Bonifacii VIII. usque ad Tridentinum Concilium, necessarium existimatum fuisse Apostolicum Beneplacitum pro canonica erectione Monasteriorum omnium Regularium, sive virorum sive mulierum. Et a primis Ecclesiae saeculis incipiens, adnotabat, concessa fuisse monasticis Institutis plura privilegia a Romanis Pontificibus ad quos confugiebant Monachi, sive pro erectione Monasteriorum, sive pro electione canonica Abbatum, sive pro bonorum possessione, sive pro receptione Monachorum etc. Ad haec autem ostendenda innumera prorsus adducebat documenta,

cisci Salesii, tam nunc existentibus, quam in posterum erigendis in Foederatis Septemtrionalis Americae Provinciis.

» Vehementer etiam optant ut Sanctitas Vestra statuat ac declaret facultatem praefatas Moniales super votis post professionem emissam dispensandi, vel ab eisdem votis adimplendis relaxandi, nemini alii praeter quam Romano Pontifici competere, proindeque Sedi Apostolicae reservata esse.

» Superiorissae omnium Monasteriorum nunc in istis Provinciis existentium, agnoscunt et testantur res ita prorsus esse, uti in hac petitione enarrantur, omnesque et singulas eiusdem Instituti Moniales hac mente professas fuisse, ut vota solemnia edant. In quorum fidem, Superiorissa ipsa, et altera ex Monialibus uniuscuiuscumque Monasterii, caeterarum nomine agentes, huic petitioni *(anglico idiomate conscriptae)* subscripserunt.»

deprompta praesertim ex annalibus Monachorum. Ordinibus autem Mendicantium deinde institutis, RR. Pontifices facultatem iisdem indulserunt, Monasteria erigendi; eiusmodi autem facultatem indultam non fuisse Consultor affirmabat Monialibus, et plurima indicabat Pontificia documenta, quibus Monialium fundationes approbatae fuerunt, tum in Italia tum extra Italiam, ante epocham Bonifacii VIII. Hinc mirum esse non debere Consultor aiebat si in Constitutione Bonifacii VIII. *Cum ex eo.* De *excess. Praelat. in* 6. qua revocata sunt dicta privilegia Regularium, mentio non fiat de Monialibus; maxime cum lege Clausurae a Bonifacio VIII statuta in Const. *Periculoso*, Moniales cogebantur a Romano Pontifice Beneplacitum Apostolicum exquirere.

Adducebat deinde Consultor Bonifacii VIII. Constitutionem citatam, *Cum ex eo*, cuius sequens est tenor: « Cum ex eo, » quod Praedicatores, Minores, et Religiosi alii Mendicantes, in » civitatibus, castris, villis, aut aliis locis ad habitandum domos, » vel loca de novo suscipiunt, seu olim suscepta dimittunt, se » ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque pro» veniant, et frequentes clamores ad Sedem Apostolicam per» ferantur; Nos super hoc providere volentes, hoc perpetuo pro» hibemus edicto, ne deinceps aliquis vel aliqui de praedictis » quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, (quae » ipsis contra tenorem constitutionis praesentis nullatenus volu» mus suffragari) in aliqua civitate, castro, villa seu loco quo» cumque ad habitandum domos, vel loca quaecumque de novo » recipere, seu hactenus recepta mutare... absque Sedis Aposto» licae licentia speciali, plenam et expressam faciente de pro» hibitione huiusmodi mentionem: si secus egerint irritum de» cernentes... » Quae Constitutio confirmata fuit in Clementina *Cupientes*, poenis etiam adiectis.

Hinc adducebat Consultor innumeras posteriores concessiones a R. Pontifice factas erigendi Conventus in variis Orbis partibus, tum Ordini S. Dominici, tum Ordini Fratrum Minorum, nec non Ordini Carmelitico.

Ad Moniales autem Ordinum Mendicantium quod attinet, quae ex vetusto more ante Bonifacii Constitutionem, Apostolicam veniam implorare solebant, item affirmabat Consultor, pro eadem

venia post dictam Constitutionem ad S. Sedem Moniales ipsas confugere debuisse. Hoc autem ostendere studuit eadem ratione, indicans plures Apostolicas Bullas concessas pro fundatione Monasteriorum Monialium in variis Orbis partibus, tum Dominicani, tum Franciscalis Ordinis. Et in huiusmodi concessionum Bullis, identidem inserebantur clausulae: *Bonifaciana et quacumque Constitutione contraria non obstante: – Constitutionibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus – Non obstantibus Constitutionibus contrariis.–*

Haec quidem ad saeculum usque XIV. Eadem ratione prosequebatur Consultor ostendere sine numero propemodum esse Bullas pro fundatione Conventuum Ordinum Mendicantium concessas seeculo XV. et sequenti, ut videre est in Bullario Ordinis S. Dominici *tom.* 2, 3, 4, et Wadding. a *tom.* 9 *usque ad* 15 *inclusive,* nec non in Bullario Carmelitico a *pagina* 155 *ad pag.* 404. Idem etiam evenit de fundatione Monasteriorum Monialium, Ordinum mendicantium; atque in erectionis Bullis derogatio fiebat sive in genere *Apostolicis Constitutionibus,* sive in specie, *Bonifacii VIII. Constitutioni.*

Saeculo vero XVI. ante Tridentinum Concilium, Consultor animadvertebat, RR. Pontifices facultatem fecisse Clericis Regularibus Theatinis, Barnabitis, Societati Iesu, aliisque, erigendi domus Religiosas absque Apostolicae Sedis auctoritate.

Ex adductis hactenus documentis colligi posse Consultor censebat id quod scripsit Benedictus, XIV. in opere *de Synod. dioeces. l.* 9 *c.* 1 *n.* 9 videlicet, quod « iampridem ante Triden- » tinum Concilium Regularibus interdicta fuerit novorum Mo- » nasteriorum acquisitio, sine expressa licentia Sedis Aposto- » licae. »

Post Concilium Tridentinum Ordines Monasticos non desiisse aiebat Apostolicam petere facultatem pro Monasteriis erigendis. Atque ad id ostendendum prae caeteris adducebat Breve Urbani VIII. diei 19 Aprilis, quod Muttarellius in suo opere inseruit, quo Brevi Summus Pontifex, ad instantiam Ludovici Francorum Regis XIII. erectiones Congregationis Camaldulensium in Regno Franciae factas, eorumdemque professiones, absque Sedis Apostolicae emissas, auctoritate confirmavit.

Adducto autem Concilii Tridentini Decreto *sess.* 25 *de Regul. c.* 3 in quo statuitur: « *Nec de caetero similia loca* (Mona-

steria virorum et mulierum) *erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta:* » observabat Consultor, eiusmodi Decretum expresse non revocare Constitutionem Bonifacii VIII., nec derogare praeexistenti disciplinae. Quod ut ostenderet, multa adducebat documenta deprompta ex Bullario Ordinis Praedicatorum, quibus RR. Pontifices post Tridentinum Concilium facultatem concedentes erigendi virorum Monasteria, derogarunt, ut antea, Constitutioni Bonifacii VIII.; item ex annalibus Wadding et ex Bullario Capucinorum similia documenta indicabat Ordinem S. Francisci respicientia. Item ex Bullario Carmelitico inter alias concessas licentias, *Tom. 2 pag.* 257 legitur, Sistum V. facultatem concesisse Conventum erigendi hac clausula: « *non obstantibus quibusvis prohibitionibus Ordinibus » mendicantibus factis de non recipiendis novis locis ad inhabi- » tandum.* »

His vero animadversis circa vivorum Monasteria, adiungebat Consultor plura exempla respicientia Monialium Monasteria Ordinis S. Francisci erecta Brevibus Apostolicis.

Huic vero disciplinae non modo Consultor aiebat, RR. Pontifices subsequenti tempore non derogasse; sed imo eamdem disciplinam confirmasse, quod ostendere curabat allata Constitutione Clementis VIII. *Quoniam ad institutam*, anno 1603 edita, cuius Constituitionis scopum eum esse censebat, ut Ordinarii licentiam dare non possent erigendi novos Conventus « *nisi* (sunt verba Constitutionis) *vocatis aliorum in eisdem Civitatibus et locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse.* » Eiusmodi Constitutio extensa fuit ad omnes Ordines vel Instituta Mendicantium et non Mendicantium, Decreto. *Cum alias*, S. Congregationis Epis. et Reg. die 17 Augusti 1622 ex mandato Gregorii XV. emisso.

Eiusmodi autem Constitutiones non tantum in Italia, sed etiam extra Italiam vim suam exerere declaravit S. Congregatio Concilii, prout refert Tamburinius *De iure Abbatum tom.* 3 *dub.* 5 *q.* 1 *n.* 13. Cum vero in dictis Constitutionibus non fiat mentio de Constitutione Bonifacii VIII. eidem non fuisse derogatum,

sed aliquid insuper additum, Consultor opinabatur. Quod ut magis magisque firmaret, plura adducebat posteriora exempla concessi Beneplaciti Apostolici pro Monasteriis erigendis Ordinum Mendicantium, facta interim derogatione Constitutioni Bonifacii VIII; vel etiam Clementis VIII. Ex exemplis adductis referimus Rescriptum S. Congregationis de Propaganda Fide anno 1636 emissum, quo declaratum fuit: « Domunculas, quas Capucini » in Hibernia accipiunt, ut melius vacare possint conversioni » haereticorum ibi degentium, non comprehendi in Constitutione » SSmi D. N. de novis Monasteriis vel Conventibus non con- » struendis sine Religiosorum numero; quia Missionum statio- » nes, non sunt Conventus, aut Monasteria. »

Post alia innumera huius generis documenta; nec non post adductas RR. Pontificum Constitutiones, de quibus infra sermo redibit, plura adducebat Consultor Decreta et Resolutiones ex regestis. S. Congregationis Episcop. et Regul. desumpta, quae recentiorem praxim Apostolicae Sedis in hisce negotiis gerendis ostendunt. Sic in *Rhegien.* domus Monialium a S. Francisco Salesio anno 1839 a S. Congregatione petiit Canonicam erectionem: Sacra autem Congregatio, cum reperiisset earum dotem insufficientem esse die 12 Februarii rescripsit: *firma remanente professione votorum simplicium, annuendum esse pro gratia impositionis Clausurae Papalis.* Anno 1843 iterum Moniales supplicarunt: et die 13 Ianuarii propositis dubiis I. « An et quo- » modo expediat domum Monialium a S. Francisco Salesio eri- » gere in Monasterium cum professione Votorum solemnium. » Et quatenus *affirmative.*

II. « An praescribenda sit Clausura Papalis cum restrictio- » nibus statutis in Constitutionibus et Decretis Pontificiis: » S. Congregatio respondit: ad I. *Affirmative, statuta dote ducatorum septingentorum, persolvenda in numerata pecunia, et cauto de utili investimento.* Ad II. *affirmative.*

In *Ferrarien.* anno 1844 concessa fuit facultas erigendi Monasterium pro Monialibus Carmelitis excalceatis, et quamvis Monasterii Fundator optaret in eo exerceri a Monialibus perpetuam adorationem SSmi Cordis: exiit tamen Rescriptum quo concessa est facultas erigendi Monasterium sub regula *dumtaxat S. Theresiae, postquam a Benefactore, in forma iuris valida*

facta fuerit pro dote donatio scut. 14000, *et aedes Monasterii recte constitutae fuerint. In reliquis non expedire.*

Quaedam Communitas Monialium S. Clarae erecta anno 1630 cum votis simplicibus, decreto S. C. anno 1847 admittitur ad profitenda vota solemnia. Item decreto diei 31 Ianuarii 1854 Episcopo N. committitur erectio Monasterii pro Monialibus Carmelitis excalceatis, quae interim emittere non possint nisi vota simplicia, et dilatum est iudicium quoad professionem votorum solemnium.

In *Caenomanen*, ex audientia SSmi die 31 Iuliii 1818 Episcopo committitur, *ut Monasterium perpetuo cum inviolabili Clausura erigat, et easdem Moniales, ad receptionem habitus religiosi admittat, et professionem Regulae S. Benedicti congregationis Cistercensis strictioris observantiae etc.* Item ex audientia SSmi in *Gandevanen.* Sorores Charitatis Iesu et Mariae implorarunt facultatem emittendi vota solemnia, quibus tamen die 24 Septembris 1816 inter alia rescriptum fuit: *neque enim S. Sedes a tempore praesertim Concilii Triden. permittit, aut indulget, quod in Societatibus, seu Communitatibus mulierum solemnia vota emittantur, nisi eae sub inviolabili Clausura degant, vivantque perpetuo etc.*

Decreto 13 Februarii 1832, legitur: *S. C. visis precibus Episcopi Vicensis, eidem commisit, ut formalem erectionem praefati Monasterii Instituti Beatissimae Virginis, iam a S. Sede approbati, cum legitima Clausura executioni demandet... ibique nonnullas introducat, et suo tempore ad professionem, et respective ad habitum admittat etc.*

In *Aesina Votorum* diei 16 Decembris 1863 agebatur de Communitate tertii Ordinis S. Dominici multis abhinc annis constituta, et Moniales in persuasione erant se emittere vota solemnia. Exortis deinde dubiis, super solemnitate Votorum, S. Congregatio iudicavit: *esse vota simplicia, et pro nunc non expedire ut solemnia emittantur.* Item in *Spoletana Votorum* 16 Martii 1838. In quibus casibus opinabatur Consultor simplicia iudicata fuisse vota ob defectum canonicae erectionis et Clausurae Papalis (1).

(1) Expedit heic breviter utriusque causae *Aesinae*, et *Spoletanae* facti speciem exponere, ut iudicium accurate ferri possit. In *Aesina* agebatur de Monasterio Monialium Purificationis tertii Ordinis S. Dominici, quod antiquitus non aliud

Praeterea caeteris omissis eruditus Consultor plura adducebat petita ac obtenta Rescripta S. Sedis pro erigendis Monialium Monasteriis votorum solemnium, nedum extra Italiam; sed etiam extra Europam, et nominatim in Americae regionibus, in quibus Rescriptis S. Sedes inter alias leges, Clausuram Papalem et

erat, quam parvum Conservatorium piarum virginum, in quo sub voluntaria Clausura vota simplicia nuncupabant. Recentiori tempore Episcopus N. voluit ut piae istae virgines habitum religiosum induerent, et apposita formula coram ipso Episcopo vota solemnia emitterent. In professionis formula inter alia haec habentur: *Promitto... me servaturam Regulas statutas in hoc Monasterio, approbatas et declaratas ab Episcopis praedecessoribus.* Post ordinum suppressionem in pristinum ab Ordinario redactae fuerunt, renovata etiam professione, et Moniales in ea erant persuasione, scilicet sua vota solemnia esse. Exortum deinde est dubium, ex eo quod Episcopus, qui hanc immutationem induxit, nullam obtinuerat a S. Sede licentiam convertendi Conservatorium votorum simplicium in verum Monasterium. Quare causa in S. Congregatione Ep. et Reg. discussa sub dubiis: I. « an vota, quae » emittuntur a Religiosis tertii Ordinis » S. Dominici in Monasterio Purificatio- » nis in Aesina civitate, haberi debeant » ut solemnia: » et quatenus *negative:* II. « an supplicandum sit SSmo pro Apo- » stolica approbatione eiusdem Monasterii » sub Regula tertii Ordinis S. Dominici, » et pro innovatione votorum emissorum » a Religiosis viventibus, ut. solemnia » evadant: » S. C. censuit ad I. respondere: *esse vota simplicia:* et ad II. *pro nunc non expedire: et ad mentem.*

In citata *Spoletana*, agebatur de Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti, quod auctoritate Apostolica fuit suppressum, eique subrogatum Conservatorium pro virginibus pereclitantibus, in eo tamen manentibus nonnullis Monialibus S. Benedicti. Conservatorium itaque eidem Monasterio subrogatum ex aliqua parte retinuit Regulam S. Benedicti, veluti quamdam vitae normam, et habitum Conversarum dicti Ordinis; nunquam autem habuit Superiorissam canonice electam, neque horas canonicas recitavit, neque Clausuram habuit: attamen professionem Virgines emittebant coram Episcopo, et quidem ea formula, quae in usu erat in Monasteriis votorum solemnium. Eiusmodi autem professae in persuasione erant, votum tantum castitatis solemne esse. Animadvertens vero Episcopus ex enarratis, dictum Conservatorium considerari non posse ut partem religiosae familiae Ordinis S. Benedicti; et e contra cum *solemnitas voti sola Ecclesiae institutione est inventa,* ut ait Bonifacius VIII., vota quae emittuntur in Religione aliqua, quae approbata non sit ad haec solemnia vota nuncupanda, non posse naturam excedere votorum simplicium; ea vota dicti Conservatorii non posse haberi ut solemnia opinabatur. Quare proposita fuerunt S. Congregationi dubia: I. « An vota quae » emittuntur a Virginibus Conservatorii » S. Ioannis Spoleti sint solemnia: » et quatenus vota sint *simplicia:* II. « an » expediat ut deinceps profiteantur iuxta » professionis formam hactenus adhibi- » tam. » S. Congregatio respondit: *non constare de solemnitate votorum, et Archiepiscopus novam professionis formam praescribat, quae Oblatis conveniat.*

reliqua cum eadem Clausura connexa, enucleate constanter inculcat ac omnino observanda praescribit. Adducta autem auctoritate Solarzani *de Iure Indiarum l.* 3 *c.* 23 *n.* 18 *et seqq.* ad suam sententiam confirmandam, proposito sibi dubio respondendum esse *negative* opinabatur; atque ita viam sibi Consultor aperuerat ad alia resolvenda dubia, quae cum potius in facto, quam in iure consistant, brevitatis causa omittere cogimur, atque gradum facimus ad referendum synoptice secundi Consultoris votum.

VOTUM SECUNDI CONSULTORIS IN COMPENDIUM REDACTUM. — In tres partes dividens sui voti materiem alter Consultor, sibi proponebat ad normam canonici iuris disquirere tria dubia analoga illis a primo Consultore propositis. Primum autem dubium sequentibus verbis afferebat. AN SIT CONDITIO ESSENTIALIS SOLEMNITATI VOTORUM MONIALIUM PERTINENTIUM AD INSTITUTA CUM VOTIS SOLEMNIBUS IAM APPROBATA, UT MONASTERIUM AUCTORITATE APOSTOLICA ERIGATUR, AC IN EA OBSERVETUR RIGOROSE PAPALIS CLAUSURA.

Proposito autem hoc dubio sic Consultor disputabat: inspecto antiquo communi iure pro erectione novorum Monasteriorum Regularium, sufficiens reputabatur Episcopi dioecesani permissio, ut ex variis SS. Canonibus apparet.

Sic in *can. de Monachis caus.* 18 *quaest.* 2 legitur: « *Monasterium novum (nisi Episcopo aut permittente, aut probante) nullus incipere, aut fundare praesumat.* » Item in *can. Cellulas caus.* 18 *q.* 2 legitur: « *Cellulas novas aut congregatiunculas Monachorum, absque Episcopi notitia prohibemus institui.* » In Concilio oecumenico Chalcedonensi *actione sexta*, haec statuta sunt: « *Qui vere et sincere singularem sectantur vitam, competenter honorentur; quoniam vero quidam utentes habitu Monachi, ecclesiastica negotia, civiliaque conturbant, circumeuntes indifferenter Urbes, nec non et Monasteria sibi instituere tentantes, placuit nullum quidem usquam aedificare, aut construere Monasterium, vel orationis domum praeter conscientiam civitatis Episcopi.* »

Primam autem legem, quae potestatem hanc circumscripsit Consultor inquiebat fuisse Decretalem Bonifacii VIII. emissam anno 1298, quaeque refertur in *tit. de Excess. Prael. c. un. in* 6 (1).

(1) Expedit heic eiusmodi Decretalem integre referre. « Cum ex eo quod Praedicatores, Minores, et Religiosi alii mendicantes in civitatibus, castris, villis, aut aliis locis ad habitandum domos, vel loca de novo suscipiunt, seu olim susce-

In hac Decretali adnotabat Consultor cum Fagnano in *cap. Non amplius de Inst. n.* 61 facultatem Episcopis ademptam fuisse dumtaxat quoad Ordines Mendicantes, illisque praeservatam tamen esse facultatem quoad loca eremitica, et Ordines non Mendicantes.

Gregorius X. in Concilio oecumenico Lugdunensi *cap unic. de Relig. domib. in* 6.° Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, vetavit. Ac circa Ordines Mendicantes confirmatos per Sedem Apostolicam, post idem tamen Concilium institutos, quibus per quaestum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, inter alia praescripsit, ut Professoribus eorumdem Ordinum, *nec de novo domum, vel aliquem locum acquirant, nec domus, seu loca, quae habent, alienare valeant sine Sedis eiusdem licentia speciali.*

Clemens V. in *Clem. unic. de poenis* ad refraenandos Mendicantes transgressores Constitutionis Bonifacii VIII. poenas adiecit.

A Clemente V. usque ad Concilium Tridentinum nulla alia intervenit Constitutio circa Monasteriorum erectionem. Sacrum autem Concilium *Sess.* 25 *c.* 3 *de Regul.* praescribens ut in omnibus Monasteriis tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari: subiungit: *nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.*

pta dimittunt, se ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque proveniant, et frequentes clamores ad Sedem Apostolicam perferantur: nos super hoc providere volentes, perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de praedictis, quibuscumque super hoc privilegiis muniti, existant, (quae ipsis contra tenorem Constitutionis praesentis nullatenus volumus suffragari) in aliqua civitate, castro, villa, seu loco quocumque ad habitandum domos, vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare vel ea venditionis, aut cuiusvis alienationis titulo quocumque in alios transferre praesumant absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem: si secus egerint, irritum decernentes. Per hoc tamen eis qui vitam duxerint eremiticam seu solitariam eligendam de Maiorum suorum licentia (quia cellas, mansiones seu habitacula in eremo, sive locis ubi non sit hominum habitatio de propinquo, possint acquirere, ac mutare), non intelligimus interdictum.»

Clemens VIII. in Const. *Quoniam ad institutam* 23 Iulii 1603 etiam modum praescripsit quo licentiam a Tridentino praescriptam Episcopi dare deberent: *locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cuiuscumque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus et locis eorum..... ordinariae iurisdictionis subiectis erigendos impertiri, nisi, vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, et locis novos huiusmodi erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse.*

Gregorius XV. in Decreto *Cum alias* 17 Augusti 1622, declaravit non esse concedendam a locorum Ordinariis dictam licentiam cuilibet Ordini nisi obtentus fuerit consensus Superiorum aliorum Conventuum vel Monasteriorum existentium intra spatium quatuor passuum millium, et nisi prius probetur ex redditibus aut eleemosynis posse saltem duodecim Religiosos sustentari.

Urbanus VIII. in Constit. *Romanus Pontifex* diei 28 Augusti 1624, ad removendos abusus et lites quae, ob privilegia quibusdam Ordinibus vel Institutis concessa, non observandi praescriptas formas obveniebant, revocavit eiusmodi privilegia vel concessiones, ac edixit: *Praeterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et aliorum Institutorum Regularium Superioribus... interdicimus et prohibemus ne licentiarum seu facultatum per Nos ut praefertur revocatarum, et annullatarum, sive alio quovis praetextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, et alia loca Regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, et per omnia Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, nec non Constit. fel. rec. Clementis VIII. quae incipit:* Quoniam ad Institutam, *ac Decretorum de mandato eiusdem Clementis, nec non sanct. mem. Gregorii XV. Rom. Pont. Praedec. desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incoepta finire et absolvere audeant, et praesumant.*»

Denique Innocentius X. in Constitutione *Instaurandae.*, postquam suppresserit in tota Italia, et insulis adiacentibus Conven-

tus cuiusque Ordinis, in quibus ob deficientem Religiosorum numerum regularis disciplina custodiri non poterat, sic prosequitur, §. 5: « *Verum quia parum est mala praecidere, nisi etiam malorum causa et radix evellatur, Constitutiones fel. rec. Bonifacii VIII., quae incipit:* Quoniam ad institutam, *aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum super erectione novorum Conventuum editas, earumque tenores innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularis Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationum, Societatum, et cuiusvis alterius Instituti, etiam Societatis Iesu, in aliqua Civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum, Domos, vel loca quaecumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus vel Collegia incipere, vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis, et gratis concedenda, praevia examinatione Congregationis negotiis Episcoporum, et Regularium praepositae; si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis inhabilitatis etc. Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et Insulas adiacentes, prout expedire viderimus providere.* »

Hisce expositis documentis exponebat Consultor varias Theologorum et Canonistarum sententias, ac eas in tres ordines dividebat. Prima eorum est qui docent, sufficientem fuisse post Tridentinum Concilium, Episcopi licentiam: ita sensit Navarr. Bordon. Passerin. Fagnan. Reiffest. aliique ab hoc citati. Ratio praecipua quam adducunt est, quod Concilium in *cit. capit.* 3, cum prohibuerit ne novi erigerentur Conventus sine Episcopi licentia, implicite derogavit Decretali Bonifacii VIII. Quam Rationem sic illustrat subsequentibus adductis Constitutionibus Fagnanus in *cit. c. Non amplius de Instit. n.* 66 « Quam Constitutionem *(Clementis VIII.)* » postea innovavit Urbanus VIII. praevia revocatione facultatum » Regularibus concessarum erigendi Conventus ubique locorum de » sola Ordinarii licentia, ut in eius Constit. *Romanus Pontifex.* » Ergo a contrario sensu, servata forma in Const. Clementis » praescripta, Conventus Mendicantium erigi poterunt de licen- » tia Ordinarii, nec opus erit licentia Sedis Apostolicae, et hunc » intellectum iampridem probavit Sacra Congregatio Concilii, » dum censuit pro erectione Monasterii, ne dum requiri licentiam

» Ordinarii, sed servandum esse Decretum Clementis VIII., nisi » erigatur de licentia Sedis Apostolicae, quia tunc erigi potest » sine Ordinarii licentia. Patet igitur non esse admittendum » intellectum eorum, qui dixerunt Concilium, in *dicto cap.* 3 *in* » *fin.* non sustulisse Constitutionem Bonifacii VIII., sed praeter » licentiam Sedis Apostolicae, voluisse, ut adhiberetur etiam » licentia Ordinarii: imo enim ex sententia Sacrae Congregatio- » nis, ubi erectio fit de licentia Papae, Ordinarii licentia non » est necessaria; et ubi fit de licentia Ordinarii, non est neces- » saria licentia Papae; sed tantummodo servari debet solemni- » tas Constitutionis Clementis, et ita multoties vidi observa- » tum (1): nam eadem S. Congregatio, tam me Secretario, quam » anteactis temporibus, multas Monasteriorum erectiones proba- » vit ab Ordinariis factas absque licentia Sedis Apostolicae.... Et » alias censuit Episcopum non prohiberi de Capituli et quorum » interest consensu, et absque Rectoris praeiudicio, ecclesiam » saecularem ordinaria auctoritate in monasterium erigere. »

Altera sententia est eorum qui distinguentes Ordines Mendicantes a non Mendicantibus, docent Concilium non abrogavisse Constitutionem *Cum ex eo.* Bonifacii VIII. sed eidem adiecisse novam formam, ita ut pro erectione Monasteriorum Mendicantium, post Concilium, necessaria sit Apostolicae Sedis et Episcopi licentia. Hoc autem confirmant Constitutione Urbani VIII. *Romanus Pontifex.*, in qua prohibetur Monasteriorum erectio sine expressa Episcopi licentia, et sine observantia *formae a SS. Canonibus praescriptae.* Sacri autem Canones exigunt pro Mendicantibus dumtaxat licentiam Apostolicam. Ad Ordines autem non Mendicantes quod attinet, iidem Auctores ostendunt, hos

(1) Auctoritas Prosperi Fagnani dum loquitur de praxi SS. Congregationum pluris facienda est, qui in hac re erat maxime versatus. Etenim Paulus V. loco celebris Ioannis Francisci Fagnani eius Patrui, illum Sacrae Tridentini Concilii Congregationi a Secretis anno aetatis suae secundo supra vigesimum suffecit; a subsequentibus insuper Summis Pontificibus Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium; suffectus est; deinde Apostolicae visitationis; alteriusque super statu et reformatione Regularium; Indulgentiarum etc. demandata quoque illi fuit explicandorum Canonum in summo S. Poenitentiariae Tribunali provincia; postea vero eiusdem Tribunalis sigillo eidem collato, pluribus sacris consessibus, quamvis caecitatis infortunio affectus, eodem tempore inservivit, ac decessit anno aetatis suae nonagesimo primo.

Ordines extra Italiam posse sola Episcopi licentia erigere Monasteria: Sacri enim Canones, seu *Cap. Cum ex eo; cap. un. de Religiosis dom. in* 6; *Clement. Cupientes de Poenis*, supra allegati, expresse loquuntur de Ordinibus Mendicantibus; proindeque sub hac lege non comprehenduntur Ordines non mendicantes, quibus solummodo ex Constit. Innocentii X. interdicitur, sine licentia Apostolicae Sedis, erectio Monasteriorum in Italia. Ad huiusmodi sententiam confirmandam allegatur S. Rotae *decisio* 745 *par.* 2 *Recent.*

Ad removendam autem difficultatem quae peti potest ex opere Benedicti XIV. *de synod. dioeces. lib.* 9 *cap.* 1 *n.* 9. Adducto textu (1) observabatur, Benedictum XIV. non *ex professo*, sed obiter et perfunctorie de hac quaestione loquutum fuisse; consideratis autem rationibus, quas adducit, quae respiciunt tantum Ordines Mendicantes, Benedictus XIV. dicendus est eiusmodi dumtaxat Ordines prae oculis habuisse cum affirmavit, non licere extra Italiam Regularibus nova erigere Monasteria sola Episcopi localis auctoritate; et in Decisionibus S. Rotae quas adducit, agebatur de quodam Mendicantium Conventu.

Tertia demum sententia, quae communior esse videtur, sustinet, omnes Regulares cuiuslibet Ordinis etiam extra Italiam, non posse erigere Monasteria, nisi Apostolica, et Episcopali licentia. Rationes autem praecipuae quae adducuntur sunt eiusmodi: primo Concilium Tridentinum non derogavit ss. Canonibus, seu Constitutionibus antecedentibus, quae praescribunt licentiam Apostolicam: namque cohaerere bene possunt simul

(1) Loco citato sic legitur: « Cum iampridem ante Tridentinum Concilium Regularibus interdicta fuerit novorum monasteriorum acquisitio sine expressa licentia Apostolicae Sedis, ut videre est in *cap. Religionum* §. *Confirmatos de Relig. domibus in* 6; et in *cap. Cum ex eo* de excess. *Prael. in* 6; satis patet, nihil a Tridentina synodo detractum fuisse eiusdem Apostolicae Sedis auctoritati, praecedenter stabilitae: sed illud dumtaxat statutum fuisse, ut, praeter eam, Episcopalis quoque auctoritas, et licentia in iisdem erectionibus interveniret. Quare communis hodie, et in Tribunalibus recepta est opinio, non licere Regularibus tam intra, quam extra Italiam, nova Monasteria, aut Conventus, sive Collegia fundare, sola Episcopi localis auctoritate, sed Apostolicae Sedis licentiam praeterea necessariam esse..... Quae omnia mature discussa, et definita fuerunt occasione eiusdem causae *Eystetten. fundationis Hospitii*, in qua tres decisiones Auditorii Rotae emanarunt, una die 10 Maii 1726, altera die 28 Aprilis 1728 coram Gamachaeo, ac tertia demum coram Ratto.»

Episcopi et S. Sedis licentia; una enim alteram non excludit. Secundo, Urbanus VIII. in Const. *Romanus Pontifex*, supra adducta, verbis: *etiam Mendicantium*, comprehendit quoque non Mendicantes: particula enim *etiam*, est ampliativa; quod confirmatur verbis immediate sequentibus; *Congregationum, Societatum et aliorum Institutorum Regularium* Porro his omnibus prohibet ne Monasteria et Conventus erigant, nisi *de expressa Ordinariorum licentia ac servata in omnibus, et per omnia Sacrorum Canonum..... forma.* Verum SS. Canones exigunt Apostolicam licentiam; ergo etc. Tertio, Innocentius X. in Const. *Instaurandae*, omnibus Regularibus prohibet Conventuum erectionem sine praevia S. Sedis licentia. Neque dicas eiusmodi Constitutionem respicere Italiam dumtaxat, et Insulas adiacentes. Haec enim limitatio locum habet tantum in prima Constitutionis parte, qua supprimuntur in his locis Conventus, non autem in parte altera, in qua prohibetur erectio novorum Conventuum.

His tribus sententiis breviter expositis, Consultor animadvertebat, consideratis rationibus utrinque adductis, sibi videri secundam sententiam graviori fundamento inniti. Namque Urbanus VIII. in Const. *Romanus Pontifex*, praescribens observantiam formae SS. Canonum, et Tridentini Concilii, satis declaravit, Concilium illis non derogasse: sacri autem Canones de quibus est sermo, respiciunt Ordines dumtaxat Mendicantes: ergo etc. Declarabat autem Consultor quinam Regulares comprehendi debeant, sub nomine Mendicantium: atque cum Sanchez *de Praeceptis l.* 6 *c.* 7 *n.* 115 aiebat: « comprehenduntur Mendicantium nomine ii, quibus ex Regula, vel Constitutionibus a Sede Apostolica approbatis interdictum est redditus, et possessiones in communi habere, quamvis illicite contra prohibitionem illa habeant, vel licite ex Pontificis dispensatione, sicut hodie in *Trident. sess.* 26 *de Regul. cap.* 3, dispensatur cum omnibus Mendicantibus praeter Minores de observantia et Capucinos. Quare ad Ordines Mendicantium pertinent quatuor antiquiores Ordines S. Dominici, Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum de quibus fit mentio in *cap. unic.* §. *sane de Relig. domibus in* 6; ac praeterea Ordines Servorum Mariae, Minimorum S. Francisci a Paola, S. Hieronymi, ut decla-

ravit s. Pius V. in Const. 35 *Romanus Pontifex,* et 48 *Apostolicae Sedis;* Societas Iesu, ex Bulla *Dum indefessae.*

Ad caeteros autem Ordines non mendicantes quod spectat, Consultor testabatur non haberi legem clare expressam, quae extra Italiam obligationem de qua agimus imponat. Cum autem agatur de forma observanda ad validitatem actus, necessaria est lex certa, et clara; secus etiam in dubio standum esset pro validitate actus. Reiiciebat vero rationes tertiae sententiae. Namque in adductis Constitutionibus, vel praescribitur modus, quo Episcopi dare licentiam debent, vel privilegia revocantur, et ad antiquam formam concessae facultates reducuntur: nova autem lex non est in hac re statuta. Circa Constitutionem autem Innocentii X. inter alia Consultor adnotabat, Fagnanum *loc. cit. n.* 71 testari dictam Constitutionem se Secretario compilatam fuisse in S. Congregatione super Statu Regularium. Quare prae caeteris eiusdem sensum noscere potuisse. Porro Fagnanus adducta Constitutione ait, eamdem *egressam nondum esse Italiae fines, et insulas adiacentes.* Et reapse ultima verba illius Constitutionis: *Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam, et Insulas adiacentes prout expedire viderimus providere,* sese referunt ad futuram faciendam dispositionem.

Inspecta autem praxi supremorum Tribunalium, observabat Consultor, eiusmodi Tribunalia non semper videri sequuta fuisse in causis iudicandis eamdem sententiam; ex quo arguebat legem claram non adfuisse, quae omnibus Regularibus extra Italiam obligationem de qua loquimur imponat. Quod si Regulares omnes soleant eiusmodi licentiam petere ab Apostolica Sede, id necessitatem licentiae non ostendit. Optime tamen se gerunt Regulares sic agentes, in quaestione praesertim admodum implexa, ut Monasteriorum erectiones inconcussam firmitatem obtineant.

His omnibus praemissis, gradum sibi fecit doctus Consultor, ad ea pertractanda, quae propius quaestionem nostram attingunt. Hinc secum ipse quaerebat: an in Monialium Monasteriis erigendis, necessaria sit S. Sedis licentia praeter licentiam Episcopi; ac initio observabat duas esse etiam in hac re Auctorum sententias. Alii enim cum Gavanto *Manual. verb. Monialium Monasteria;* Tamburino *de iure Abatissarum;* Barbosa *de Potestate Episcopi,* contendunt necessariam esse S. Sedis licentiam pro

erigendis Monialium Monasteriis, quia Moniales comprehendi ipsi sustinent sub iisdem dispositionibus canonicis hactenus pro Regularibus adductis. Argumentum praecipuum huius sententiae petitur ex duplici declaratione SS. Congr. altera quae a Lezana citatur dici 12 Aprilis 1615 et a Gavanto refertur *loc. cit.* in qua dicitur erigi non debere Monialium Monasteria absque speciali S. Sedis licentia; altera S. C. C. in *Ulixboren.* 17 Iulii eiusdem anni quae a Barbosa allegatur *Apost. Decis. collect.* 62 *n.* 3, ibi « Moniales transferri non possunt in monasteria noviter » erecta, nisi eadem Monasteria auctoritate Apostolica extructa » fuisse prius constiterit, ipsaque, praevia visitatione earumdem » Monialium, capacia, eisque accommodata, atque ita absoluta » reperta fuerint, ut caementariis, aliisque fabris nulla aedificationis causa in ipsa ingrediendi necessitas relinquatur. »

Altera sententia, quam docent Rebuff. *in praxi tit. de erect. in Colleg.* n. 1. Fusch. *de Visit. l.* 7 *c.* 1 *n.* 6. Gambar. *de Offic. et potest. legat. de later. l.* 5 *c.* 3 *n.* 3. Garzia *de Benef. p.* 12 *c.* 5 *n.* 4. Pignatel. *t.* 1 *consul.* 179 *in fine*, innititur *Can. Quidam, et Can. Qui religiosis foeminis, et seq.* 18 *q.* 2., quibus non derogarunt neque Tridentinum, neque pontificiae Constitutiones. Moniales enim sub nomine Mendicantium non veniunt, Sanchez *De praeceptis Decal.* l. 6 *c.* 7 *n.* 116; *quia ut bene aiunt Angel et Sylvester, Moniales non habent ex privilegio, sed ex sua Regula, posse habere redditus in communi.* Neque Moniales veniunt *in odiosis* sub nomine Regularium. Hinc Concilium Trid., et Constitutiones Pontificiae cum sub dispositionibus Moniales comprehendere voluerunt, id expresse declararunt, sic ex. gr., Concil. Trid. *sess.* 25 *de Regul. c.* 1: *Regulares, tam viri, quam mulieres.* cap. 2 *Regularium tam virorum, quam mulierum.* cap. 5 *Omnibus Monasteriis, et domibus, tam virorum, quam mulierum.* item Cap. 11 et 15; sic pariter Clemens VIII. in Const. *De largitione munerum,* aliique. Rationes insuper reddit Pignatell. *loc. cit.* cur Moniales non comprehendantur sub dispositione Constitutionum, quas supra adduximus, scilicet tum quia dispositio, quae versatur circa aliquam materiam qualificatam, non habet locum, nisi inveniat in materia qualitatem expressam a Disponente. Tum quia intentio non fertur extra eos, pro quibus intenditur finis; et in casu, cum finis fundationum Monasteriorum

sit succurrere necessitatibus Regularium, non fertur intentio extra eos, qui non subiiciuntur eiusmodi necessitatibus, quales sunt Moniales, quae habent suas dotes, etc. Quam sententiam probavisse dicitur S. Congregatio Concilii; Fagnanus *loc. cit. n.* 69. Hac autem posita diversitate sententiarum inter Auctores tanti nominis, Consultor inferebat legem saltem certam non haberi, quae exigat pro iam approbatis a S. Sede Monialium Institutis Apostolicum beneplacitum in novorum Monasteriorum erectione.

Hinc respondebat Consultor difficultati desumptae ex S. Sedis praxi, qua nova monasteria Monialium non eriguntur, sine Apostolica licentia. Adnotabat enim Consultor ob alias rationes, quam ex directa lege, eiusmodi praxis inducta est, prout declarat Fagnanus in *Cap. Grave de officio Ordinarii n.* 53 « Consue- » vit quandoque dubitari, an Episcopis liceat ordinaria auctori- » tate Monasterium Monialium erigere in vim dicti *cap.* 3 *sess.* 25 » *de Reg.* Practica est, ut erectiones fiant a Sede Apostolica, » tum *propter gratias, indulgentias, privilegia, et exemptiones,* » quae ab illa *impetrantur; tum propter facultatem educendi* » *Abatissam ex aliis Monasteriis pro novi Monasterii institu-* » *tione.* Cum enim haec facultas fuerit Episcopis adempta per » Constitutionem Pii V., super Clausura Monialium, ut idemmet » Pius V. declaravit; illa non consuevit concedi nisi pro Monasteriis » erigendis Auctoritate Apostolica. Supplicationes autem remit- » tuntur a SSmo ad Congreg. Ep. et Reg. in qua examinantur » conditiones, et qualitates ad id requisitae, nempe ut erectio » non fiat pro pauciori numero, quam duodecim Monialium Cho- » ristarum: ut dos constituatur non in censibus, sed in bonis » stabilibus frugiferis, ac liberis ab omni onere, et fidei-com- » misso purificato, aut purificando; et non minoris redditus pro » dicto numero duodecim, quam 300 Ducat. aureor., et maioris » pro locorum qualitate, ultra dotes ordinarias a puellis deferen- » das: ut Monasterium erigatur intra moenia in loco salubri, ac » libero a prospectu: ut fabrica, clausura, ecclesia interiori et » exteriori, loco pro Novitiis distincto, atque omnibus officinis, » sit sufficienter instructum, et alia id genus. » Quare obligatio obtinendi S. Sedis veniam pro monasteriorum Monialium erectione derivat non quidem ex directa lege, quae hanc licentiam

praescribat, sed *indirecte* ex lege Clausurae aliisque connexis. Ex qua animadversione concludebat Consultor, si ex aliqua circumstantia Monasterium Monialium alicuius Ordinis iam a S. Sede approbati, erectum fuerit sola Episcopi licentia iuxta Tridentinum Concilium, non inde sequi, Monialium Professiones esse nullas: *Multa enim fieri prohibentur, quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.* Maxime cum agatur de actu solemnissimo, ex quo graves effectus derivant; inter quos ille recensetur, quo nullum deinde redditur Matrimonium. Quare ut huiusmodi solemnis professionis actus irritus dicatur, lex omnino clara et certa haberi debet, sicut reapse in similibus habetur, cum agitur de aetate profitendi etc.

Adducebat autem Consultor ad rem documentum a Pignatell. relatum *tom. IV. Consul.* 74 *n.* 5, quod omni exceptione maius esse videtur. Hoc enim documento ostenditur S. Sedem valida retinuisse solemnia Monialium vota, emissa in Instituto iam a S. Sede approbato, licet Monasteria quaedam sola Episcopi auctoritate fuissent erecta (1), et Clausuram servarent tantum quoad egressum, non verum quoad ingressum propter quartum

(1) Huius tenoris est documentum prout a Pignatellio refertur « Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam etc. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Moniales reformatae Monasterii, seu Hospitii Dei, nuncupatae Misericordiae Iesu, Ordinis S. Augustini, Oppidi nuncupati Dieppe, rothomagensis dioecesis, quod ipsae etc. ac tria Religionis vota solemnia, paupertatis, scilicet, castitatis, et obedientiae, nec non hospitalitatis erga pauperes infirmas exercendae, quartum votum emittere solitae fuerunt, etc. clausuram servarunt, Superiorissam ad triennium etc. alia loca, et domos regulares sub eisdem Regula et Instituto *de licentia Ordinarii* fundarunt etc. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, his non obstantibus, nonnullae Religiosae dictarum exponentium quieti, earumque progressui, et incremento forsan invidentes, asserant easdem exponentes non esse veras Professas et Regulares, unde earum status convelli, multaeque perturbationes, et inconvenientia exoriri possent, nobis propterea eaedem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de opportunae declarationis gratia in praemissis providere de benignite Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsas exponentes, specialibus favoribus et gratiis etc. huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, attentis narratis, Moniales in praefato Monasterio iuxta ipsius Regulam, et vota professionem emittentes, *esse vere Religiosas auctoritate Apostolica* tenore praesentium *declaramus ac decernimus* etc. Die 19 Iulii 1661. Pontificatus nostri anno nono.»

hospitalitatis votum. Eas enim Moniales S. Sedes declaravit, *esse vere Religiosas;* quemadmodum e contrario S. Sedes respondet non *esse vere Religiosas* Moniales votorum tantum simplicium.

Post haec Consultor disquisitionem instituebat super altera dubii parte, an Clausurae Papalis defectus in aliquo Monasterio irritas reddat Religiosas professiones; ac statim adnotabat Religiosam Clausuram duplici parte constare: alia enim est *observatio claustri non egrediendo extra illud: alia est eiusdem claustri observatio, non admittendo personas extraneas saeculares, vel laicas intra illud.* Observabat autem essentialem non esse *natura sua* clausurae legem Religiosae Professioni; ea enim oritur vel *ex voto* aliis adiecto, iuxta formulam ab Urbano IV. approbatam, quam refert Tamburinus *de iure Abbatissarum Disp.* 18 *q.* 7, vel ex ecclesiastico praecepto. Bonifacius VIII. universali Constitutione primus Clausurae legem edixit, *cap. Periculoso de statu Regularium in* 6. « Praesenti Constitutione perpetuo irrefragabi- » liter valitura sancimus, universas et singulas Moniales prae- » sentes, atque futuras, cuiuscumque Religionis sint, vel Ordi- » nis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua » in suis Monasteriis debere de caetero permanere Clausura: ita » quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae, sit » vel esse valeat, quacumque ratione, vel causa (nisi forte tanto » et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, » quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo » commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas... » Haec autem Constitutio innovata fuit in Conc. Trid. *Sess.* 25 *de Regul. cap.* 5, quod universis Episcopis sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae praecepit: *ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent.* » Post huiusmodi gravia verba ipsum Concilium satis declarat in quo eiusmodi Clausura sita sit: « *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire a Monasterio etiam per breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus.* »

Haec duo Decreta in examen revocans Consultor inter caetera animadvertebat in eo convenire, ut Clausurae legem imponant Monialibus *professis*, quemadmodum S. Congregatio Concilii declaravit circa Moniales Tertiarias, sive de Poenitentia, quae si professae sint, ab Episcopis debent ad Clausuram cogi; si vero professae non sint, observanda est Constitutio S. Pii V. *Circa pastoralis officii*. Quare tantum Moniales professae his duobus Decretis lege Clausurae obstringuntur; non caeterae quae tria substantialia vota non emittunt. Discrepant insuper duo dicta Decreta maxime in eo, quod Tridentinum *privilegiis quibuscumque* derogavit, ac insuper facultatem fecit Episcopis ex legitima causa concedendi Sanctimonialibus exeundi licentiam.

S. Pius V. in Constit. *Circa Pastoralis* renovans utrumque Decretum statuit: « Quod si aliquae Moniales forsan reperiantur, » quae consuetudine etiam immemorabili, aut Instituto, vel » fundatione, Regulae suae fretae, animo obstinato huic Clau- » surae resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarii una » cum superioribus earum omnibus iuris et facti remediis com- » pellant easdem, tamquam rebelles, et incorrigibiles ad eam » praecise subeundam. Mulieres quoque, quae Tertiariae, seu de » Poenitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis, in Con- » gregatione viventes, si et ipsae professae fuerint, ita ut so- » lemne votum emiserint, ad Clausuram praecise, ut praemit- » titur, et ipsae teneantur. Quod si votum solemne non emi- » serint, Ordinarii una cum Superioribus earum, hortentur et » persuadere studeant, ut illud emittant, et profiteantur, ac » post emissionem, et professionem eidem Clausurae se subii- » ciant; quod si recusaverint, et aliquae ex eis inventae fue- » rint scandalose vivere, severissime puniantur. Caeteris autem » omnibus, sic absque emissione professionis et Clausura omnino » vivere volentibus interdicimus, et perpetuo prohibemus, ne in » futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, » Congregationemque recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc » nostram prohibitionem, et Decretum aliquas receperint, eas ad » sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quasli- » bet professiones, et receptiones irritas decernimus, et nullas, » prout etiam praesenti Decreto irritas sancimus, et annulla- » mus. » Praeterea idem Pontifex alia Constitutione *Decori*,

quodammodo coarctans facultatem a Tridentino Episcopis concessam praescripsit: « De caetero etiam infirmitatis, seu aliorum » Monasteriorum occasione et praetextu, nisi ex causa magni » incendii, aut infirmitatis leprae, aut epidemiae a Monasteriis » praefatis exire, sed neque in praedictis casibus extra illa, nisi » ad necessarium tempus, stare licebit. » Quae Constitutiones confirmatae subinde fuerunt a Gregorio XIII. in Constit. *Deo Sacris.* et a Benedicto XIV. Const. *Salutare.* et in altera *Regularis disciplinae.*

His expositis, quae ad legem Clausurae spectant, sibi quaerebat Consultor, an eiusmodi Clausura, quae Papalis dici solet, sit conditio essentialis solemnitati Votorum, ita ut ubi talis Clausura non vigeat, eo ipso Sanctimonialium vota dicenda sint simplicia. Et ante omnia investigabat, quodnam reale discrimen intercedat inter illam vocum distinctionem vulgari usu invectam, qua alia dicitur Clausura Papalis, alia Clausura episcopalis; ac animadvertebat in iure eiusmodi distinctionem non haberi. Ex iure enim Moniales ad Clausuram tenentur, et Ordinarii vigilare debent super huiusmodi Clausurae observantia. Inspecta autem hac loquendi ratione nomine Clausurae Papalis, ea intelligitur, super qua Episcopi dispensare non possunt, nisi in casibus in Pontificiis Constitutionibus contemplatis, vel iisdem similibus iuxta probabiliorem Theologorum sententiam. Clausura autem episcopalis ea dicitur, super qua Episcopus libere dispensat.

Animadvertebat insuper Consuetudinem rationabilem et legitime introductam, iuxta communem sententiam, posse legum rigorem Clausuram imponentium moderari, ceu inter alios docet Reiffenstuel *L.* 3 *tit.* 35 §. 2 *n.* 66; quod etiam facto in quibusdam Monasteriis contigisse comperimus.

His animadversis sic ad rem nostram ratiocinabatur Consultor. Absque dubio Ecclesia tanquam essentialem conditionem statuere potest, ut in actu professionis intentio saltem implicita a Vovente habeatur, ut sese obliget ad Clausuram observandam. Etenim professione religiosa constituitur Monialis in publico solemni Ecclesiae statu, et speciali ratione persona evadit ecclesiastici status, cuius institutio, et regimen eis subiicitur, quos Deus posuit ad ecclesiam gubernandam. Quae dici non possunt de iis qui vota simplicia emittunt, quae in pri-

vata actione consistunt inter Deum et Voventem, independenter ab Ecclesiae acceptatione, quamvis et eiusmodi simplicia vota, ut convenienter observentur, si publice emissa fuerint, ad Ecclesiae Praesules curare pertineat. Ecclesia itaque conditionem praedictam adiicere potest, ut Monialis vovens in tali ecclesiae statu collocetur. Videndum itaque superest an Ecclesia id fecerit. In citata Constitutione S. Pii V. haec clausula adiicitur: *Caeteris autem omnibus sic absque emissione professionis et Clausura omnino vivere volentibus interdicimus etc.* Interdicit itaque S. Pontifex ac irritas praeterea declarat admissiones et professiones a Monialibus emittendas, quae sub Clausurae lege vivere absolute recusant. Hinc Theologi docent irritas esse professiones Monialium sub conditione emissas sese ad Clausuram non obligandi. Miranda *de sacris Monialib. q.* 1 *art.* 4 Lezzana t. 1 *summae c.* 25 *n.* 17 Emmanuel Rodriguez *t.* 1 *quaes. Regul. q.* 4 *art.* 1 aliique.

Cum autem Clausurae essentia in eo sita sit ut Moniales exire e Monasterio non possint sine legitima dispensatione; neque extraneos in Monasterio admittere sine licentia legitima; exinde opinabatur Consultor posse concludi sub hac S. Pii V. poena non comprehendi Moniales illas, quae in Monasteriis vivunt Clausurae legi subiectis, quamvis Clausura Papalis rigorose in iisdem non observetur, dummodo Moniales paratae sint ad eam rigorose observandam. Quocumque enim nomine Clausura appelletur, sive dicatur Papalis, sive Episcopalis, seu ea Clausura sit, cuius rigor per praescriptam consuetudinem quadamtenus temperatus fuerit, vel etiam per abusum; dummodo Moniales dispositae sint sese subiicere S. Sedi vel Episcopo Clausuram in pristinum rigorem revocaturo, si id opportunum iudicetur; cum eiusmodi Moniales illae non sint, quae *absque Clausura omnino vivere volunt,* sub praedicta poena, quae a S. Pio V. comminata est, non comprehenduntur.

Post haec Consultor difficultates sequentes sibi resolvendas proponebat, S. Sedes in concedenda licentia erigendi Sanctimonialium Monasteria votorum solemnium, obligationem imponit statuendi Papalem Clausuram: quare non observata hac Rescripti clausula, Monasterii erectio illegitima erit; hinc irritae professiones. Etenim quando concessio fit sub aliqua forma, ir-

ritus est actus, si ea negligatur. *Cap. Cum dilecta de Rescrip. et cap. Venerabilis, de Offic. deleg.* Insuper ex constanti S. Congregationis Epis. et Reg. praxi, qua non conceditur Monasteriorum erectio, quin in eo constituatur Clausura Papalis, videtur posse concludi S. Sedem non recognoscere solemnia vota quando emittantur in Monasteriis, in quibus constituta et observata non sit Papalis Clausura.

Primae difficultati respondebat Consultor, S. Sedem constanter quidem in eiusmodi licentiis concedendis institisse pro exacta observantia huius sanctae legis, tam utilis et necessariae ad implementum votorum solemnium, et consecutionem religiosae perfectionis; verum ex dicta clausula in Rescriptis apposita, Consultori inferri non posse videbatur, quod si Episcopus ex legitimis causis, habita ratione loci, in Monasterii erectione statuat quidem Clausurae legem, sibi facultatem tamen reservans concedendi aliquas dispensationes, quas opportunas prudenter existimaverit, dici idcirco debeat illegitima Monasterii fundatio, irritaeque professiones emissae. Namque ut haec affirmari tuto possent, ostendere necesse esset, eiusmodi clausula praescribi substantialem formam ad validitatem actus: ut puta si in Rescripto adiiceretur Clausula: *sic, nec alio modo; si secus fiat irritum sit et inane,* vel alia sive *explicite* sive *implicite* huic aequivalens. Quod si in Rescripto lex adiiciatur, quae iam a communi iure praescribitur, non tamen sit validitati actus substantialis, hac clausula non nova inducitur substantialis forma, sed ad instar instructionis ea apponitur; namque, *expressio conditionis, quae de iure inest, nihil operatur, Argum. Legis* 3 *ff. de Legatis* 1. Quare Sanchez *lib.* 3 *de Matr. disp.* 33 inter alia scribit: « quoties ex» primitur in commissione forma iuris communis eo modo quo » iure inest, non est intentio committentis inducere novam for» mam, et conditionem; sed est admonitio quaedam ut servetur » forma iuris communis; quare ea praetermissa non irritatur » actus, qui alias validus esset, nisi in commissione ea forma » exprimeretur, ut optime docent Glossa *Clement.* 1 *de Officio Delegati.* Quin imo idem Auctor adiungit *loc. cit. n.* 6, quod si forma adiiciatur, quae non sit iuris communis, non reputanda est essentialis validitati actus, *nisi ex aliis coniecturis clare deprehendatur oppositum.*

Porro in re nostra, iure communi inspecto, cum Clausura non sit conditio actui substantialis, excepto casu Constitutionis S. Pii V. de Monialibus *absque Clausura omnino vivere volentibus*, prima proposita difficultas evanescere videbatur.

Alteri vero difficultati Consultor respondebat, affirmari non posse S. Sedem non habere ut solemnia, ea vota, quae emittuntur in Monasteriis, in quibus dumtaxat episcopalis Clausura servatur. Quin imo ex facto contrarium constare aiebat. In facto enim constat, quod in casibus, in quibus relaxata nimis est, ac fere obliterata Clausurae lex, Sancta Sedes non ideo declaravit irritas solemnes professiones, sed opportunis remediis ad Clausurae observantiam Moniales professas coegit; exemplo sit Constitutio Benedicti XIV. *Cum sacrarum*. In facto pariter compertum esse inquiebat, adesse Monasteria votorum solemnium cum Clausura dumtaxat episcopali: et ad instar exempli Consultor adducebat quatuor Monasteria, quae extant in Aesina civitate, quorum duo sunt S. Clarae, tertium Carmelitarum, et quartum S. Benedicti, in quibus Moniales solemnia vota nuncupant: eiusmodi quatuor Monasteria usque ad finem elapsi saeculi subiecta erant legi Clausurae Papalis; post Gallicam invasionem, sub Pio VII. in pristinum redactis, Clausuram ab eo tempore Episcopalem servant. Quamvis autem Episcopi subsequentes de hac re certiorem fecerint S. Sedem, nihilominus cum S. Sedes intelligeret ea Monasteria hac Clausura bene procedere, nullam innovationem faciendam esse existimavit. Ex quibus omnibus Consultor concludebat defectum Clausurae Papalis posse quidem causam exhibere, qua S. Sedes declaret in posterum vota emittenda, esse debere simplicia; huiusmodi tamen defectum per se professiones solemnes irritas non reddere, excepto casu Constitutionis S. Pii V.

Post haec gradiebatur Consultor ad secundum sibi propositum expendendum dubium.

AN VOTA MONIALIUM VISITATIONIS B. M. V. S. URSULAE, S. THERESIAE, S. BENEDICTI ET ALIARUM MONIALIUM IN STATIBUS FOEDERATIS SINT SOLEMNIA. Cum iuridica quaestio ample iam disceptata sit, dumtaxat indicabimus quid in hac re opinaretur Consultor. Attentis S. Sedis Rescriptis in *compendio facti* a nobis adductis absque dubio vota Monialium Visitationis renuncianda esse solemnia existimabat:

quoad caeteras vero Moniales, distinguebat Monasteria alicuius Ordinis vel Instituti cum votis solemnibus a S. Sede approbati a caeteris quae approbata non sint cum votis solemnibus. Si de his secundis agatur, certum esse inquiebat eorum vota esse simplicia; si vero de prioribus Institutis agatur, solemnia esse opinabatur, non obstantibus locorum circumstantiis; verum super hoc iudicio supersedendum esse sentiebat, cum notitiae, et opportuna documenta ad recte iudicandum Consultori deficerent. Hinc tertium sibi proponebat quaesitum.

Quomodo providendum in casu. — Consideratis loci adiunctis, considerata recentiori S. Sedis praxi in huiusmodi circumstantiis, opinio a Consultore expressa non multum discrepabat a sequenti providendi ratione, quam tum S. Congregatio, tum Sanctissimus oraculo vocis pronunciavit (1).

Responsio. — Re mature discussa in particulari Congregatione a SSmo super hac quaestione iudicanda specialiter constituta, die 1 Septembris 1864, responsum fuit: *Ad mentem: mens est* (2):

I. *Vota, quae emittuntur a Monialibus Visitationis in enunciatis Monasteriis, attentis Rescriptis a S. Sede impetratis, esse solemnia.*

II. *Ad Clausuram quod attinet, praedictae Moniales facultatibus iam eisdem concessis, in variis S. Sedis Rescriptis utantur.*

III. *Cum elementa necessaria non habeantur ut ferri iudicium possit super votorum natura, quae caeterae Moniales emittunt in monasteriis iam erectis, opportunum iudicatur pro nunc interloquendum super iisdem non esse.*

IV. *Quod attinet ad Monasteria de novo erigenda cum votis solemnibus recurrant ad S. Sedem pro approbatione, dummodo adimpleri possint, saltem quoad substantiam, conditiones praescriptae a Concilio Tridentino, a Constitutionibus Apostolicis et a Decretis SS. Congregationum.*

V. *Attentis locorum et temporum circumstantiis in posterum in omnibus Statibus foederatis in Monasteriis Religiosarum pertinentium ad Instituta votorum solemnium, comprehensis quoque*

(1) His omnibus quae ab Episcopo Consultore docte disputata sunt, quemlibet facile subscribere putamus.

(2) S. Congregationis mentem et ea quae sequuntur a SSmo pronunciata quibus specialibus circumstantiis loci provisum est, ex Italico exemplari ad verbum in latinum idioma vertimus.

Monialibus Visitationis, post Novitiatum vota simplicia emittantur, et, elapsis quinque annis a professione votorum simplicium, admitti possint ad nuncupanda vota solemnia, praeviis per spatium decem dierum spiritualibus exercitiis, et Professae votorum simplicium gaudeant omnibus gratiis, et favoribus spiritualibus, quemadmodum Professae votorum solemnium.

Et facta de praemissis relatione SSmo Dño Nostro Pio PP. IX, in audientia habita a R. P. D. Pro-Secretario die 2 Septembris 1864, Sanctitas sua Mentem S. Congregationis moderandam esse existimavit, ut sequitur:

I. *Vota quae emittuntur a Monialibus Visitationis in enunciatis Monasteriis, attentis Rescriptis a S. Sede impetratis sunt solemnia.*

II. *Ad Clausuram quod attinet, praedictae Moniales facultatibus iam eisdem concessis in variis S. Sedis Rescriptis utantur.*

III. *Attentis locorum et temporum circumstantiis in posterum ab iisdem Monialibus Visitationis, post Novitiatum vota simplicia emittantur, et, elapsis quinque annis a professione votorum simplicium, admitti possint ad nuncupanda vota solemnia, praeviis per spatium decem dierum spiritualibus exercitiis, et Professae votorum simplicium gaudeant gratiis et favoribus spiritualibus quemadmodum Professae votorum solemnium.*

IV. *Vota, quae emittuntur ab aliis Monialibus in Monasteriis iam erectis simplicia sint, excepto casu, quo obtinuerint a S. Sede Rescriptum ad emittenda vota solemnia.*

V. *In aliis Monasteriis, quae in posterum erigentur in omnibus Statibus foederatis, vota Religiosarum nuncupanda sint simplicia.*

Ex hac speciali provisione pro statibus Americae foedere iunctis inter alia colliges: eam esse Apostolicae sedis mentem, qua expedire non existimat ut vota solemnia Moniales emittant in iis regionibus, in quibus ratione circumstantiarum et civilium legum, praesertim Clausurae lex tantopere a SS. Canonibus inculcata, tantisque poenis sancita vel servari non possit, vel facile possit violari; quamvis Moniales ad eos Ordines pertineant, qui a S. Sede approbati sint ad vota solemnia Deo nuncupanda.

*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. Feria II. die 11 Iunii 1866.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

La vita di Gesù Cristo, pel Teologo Felice Cuniberti Parroco di S. Giovanni in Savigliano. Savigliano. Tipografia Racca e Brezza 1866. *Donec Corrigatur.*

Les Apôtres, par E. Renan. Paris 1866.

La Catholicisme Romain en Russie; Etudes Historiques par M. le Comte Dmitry Tolstoy. Paris 1864. *Opus praedamnatum ex Regula II. Indicis.*

La Pluralité des existences de l'âme, par André Pezzani, avocat à la Cour impériale de Lyon, 3 édition. Paris 1835 in 12.

Histoire de la Litérature Anglaise, par H. Taine. Paris 1863.

I. Michelet, Bible de l'Umanité. Paris 1863.

Etudes Historiques, et critiques sur les origines du Christianisme, par A. Stap. Paris 1865.

Freiherr J. Heinrich von Wessenberg, sein Leben und Wirken zugleich ein Beitrag zur Geschichte der neuern Zeit, auf der Grundlage handschriftlicher Auszeichnungen Wessenbergs, von D. Joseph Berk grossherzoglich badischen Geheimen Hofrath. Freiburg, Freidrich Wagner'sche Buchhandlung 1862 *Latine vero:* Baronis J. Henrici de Wessenberg vita et acta, praeterea Commentarium ad Historiam moderni temporis iuxta notas manuscriptas ab ipso Wessenbergio; opera D. Iosephi Beck Magni ducis Badensis Consiliarii aulici intimi. Friburgi per Fridericum Wagner librarium 1862.

J. Heinrich von Wessenberg, ein deutsches Lebensbild von D. Joseph Beck Grossherzoglich-badischen Hofrath. Freiburg, Fr. Wagner'sche Buchhandlung 1863. *Latine vero:* J Henricus de Wessenberg, vitae germanicae exemplar; opera D. Iosephi Beck Magni Ducis Badensis Consiliarii intimi aulici. Friburgi apud Bibliopolam Wagner 1863.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. C. a Secretis relatis,* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 16 *Iunii* 1866.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus.

FR. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.
Loco ✠ Sigilli. S. Ind. Congr. a Secretis.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

COLONIEN.

Die 29 *Augusti* 1864.

Cum SSmus Dominus Noster Pius PP. IX. per literas in forma Brevis datas sub die 19 Decembris an. 1856 benigne indulserit ut Virgines Congregationis de Aquisgrana, in Dioecesi Colonien. collegialiter viventes, et sub nomine Pauperum Sororum Regulam Tertii Ordinis S. Francisci profitentes omnibus et singulis indulgentiis perfruantur, quae Tertio Ordini S. Francisci a S. Sede

concessae sunt, ex tenore praefati Brevis (1) sequentia enata sunt dubia:

I. « Utrum istae indulgentiae sint personales tantum Tertiariis Beati Francisci concessae, an etiam locales in ecclesiis minoriticae familiae ab omnibus Christifidelibus lucrifaciendae ad ecclesias vel oratoria publica praefatarum Sororum accedentibus.»

II. « Utrum Sorores praefatae Tertio Ordini S. Francisci dein incorporentur per ipsam professionem Religiosam in una congregatione factam; quemadmodum de monialibus, quae Elisabethinae vocantur, contingere existimatur: an unaquaelibet soror, velut personae laicae, in Tertium Ordinem a Sacerdote facultatem habente, prius recipienda sit, donec ipsarum Congregatio eiusque statuta a S. Sede Apostolica particulariter approbentur. »

Resolutio. — Sacra Congregatio Indulgentiarum comitiis habitis ad Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864 respondere censuit:

Ad I. *Indulgentias censeri tantummodo personales in casu* (2).

(1) Tenor harum Literarum est qui sequitur: « Esponendum Nobis enraverunt dilectae in Christo filiae Sorores Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis de Aquisgrana Dioecesis Colonien. se propter ea charitatis officia, quae sibi proposuere, Clausurae monasticae legem observare non posse, ac iccirco in dubio esse, quin indulgentiis ab Apostolica Sede Tertio Ordini S. Francisci concessis perfruantur. Quamobrem supplices Nobis preces admoverunt, ut in praemissis opportune providere, ac infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos ergo quo tutius illis ad salutem aeternam praesidiis, quae numeravimus, frui in Domino possint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tenore praesentium eisdem, quatenus opus sit, concedimus, ut non obstant ibus quae nobis exposuerunt, dummodo quae servanda sunt rite praestiterint, omnes et singulas indulgentias Tertio Ordini S. Francisci ab hac S. Sede concessas consequi valeant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDCCCLVI.»

(2) S. Congregatio in resolutione primi dubii ad maiorem declarationem adiunxit verba illa: *in casu*. Notum siquidem est plura a S. Congregatione emissa fuisse decreta, quae adversari prima fronte allatae resolutioni videri possent. At vero haec decreta in praesenti casu locum non habuisse facile ex sequentibus patebit. Etenim die 18 Maii 1744 S. Congregatio declaravit: *Sanctimoniales quascumque Ordinariis locorum subiectas, gaudere indulgentiis suorum respective Ordinum, aut Congregationum, quarum ritum in officio recitando sequuntur, ac simul Institutum profiten-*

Ad II. *Recurrant ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.*

tur. Hoc decreto comprehenduntur quidem indulgentiae reales, quae scilicet adnexae sunt earumdem Monialium ecclesiis seu Oratoriis, ut declaravit eadem S. Congregatio die 19 Augusti 1747; sed, ut his indulgentiis fruantur, necesse est ut Moniales ritum sequantur in officio recitando, et simul Institutum profiteantur Ordinis aut Congregationis respectivae. Quare cum quaedam Moniales Elisabethinae nuncupatae Tertii Ordinis S. Francisci Viennae in Austria, post eiusmodi decretum, quamvis vota substantialia Ordinis S. Francisci profiterentur, dubitarent, an ipsae gauderent indulgentiis realibus, eo quod non divinum officium, sed illud B. M. V. recitarent, sequens dubium proposuerunt: « An ipsae, ea» rumque Ecclesiae praeinserto favora» bili decreto comprehendantur, ex eo » quod, licet consueta vota substantialia » Instituti et Ordinis S. Francisci pro » fiteantur; attamen non divinum vigore » praeallegati decreti 18 Maii 1744; sed » B. M. V. officium tantummodo reci» tant. » Sacra Congregatio respondit die 5 Februarii 1748: *consulendum SSmo pro benigna declaratione*. Facta autem relatione, SSmus benigne annuit, votum S. Congregationis approbans, ac eiusdem declarationem seu concessionem, quibuscumque, etiam reliquis Monialibus Instituti, aut Ordinis S. Francisci Assissinatis, eaumque ecclesiis suffragari voluit.

Porro in nostro casu agebatur de Virginibus collegialiter viventibus sub nomine Pauperum Sororum, Regulam Tertii Ordinis S. Francisci profitentium, quae sibi proponebant velut Instituti scopum, quaedam charitatis officia, neque Clausuram servabant, neque vota solemnia emittebant, neque ipsum Institutum eiusdemque statuta, peculiariter approbata erant ab Apostolica Sede. Proindeque sub dicto favorabili decreto non comprehendebantur: et ideo non alias indulgentias sibi vindicare laudatae Sorores poterant, quam illas quae ex Literis Apostolicis peculiariter concessae ostenderentur. Quibus Literis inspectis, Sacra Congregatio iudicavit concessas fuisse indulgentias tantum personales, eas nempe quas eaedem Sorores consequi possent si ea quae servanda sunt rite praestitissent.

EX SECRETARIA BREVIUM.

LITERAE APOSTOLICAE.

Quamvis iam Decretum retulerimus pag. 630, quo SS̃mus Dominus Noster electam Virginem S. Catharinam Senensem inter secundarios Almae Urbis coelestes Patronos recensendam declaravit; praetermittere tamen nolumus Apostolicas Literas in forma Brevis ad normam eiusdem Decreti expeditas. Haec enim Virgo, decus per-insignis Ordinis S. Dominici, favoribus quam maximis cumulata ab Eo de quo scriptum est: *cum simplicibus sermocinatio Eius;* sicut optime de Romana S. Petri Sede merita est, ita de catholica Ecclesia. Huius praeclarae Virginis cultus, qui semper floruit Romae auctus etiam est, cum anno 1855 templo B. Mariae supra Minervam instaurato, ac splendidissime exornato, corpus eiusdem Virginis per frequentiores Urbis vias Sacerdotum humeris solemni pompa delatum est, et sub ara maxima ipsius templi, publicae fidelium venerationi iterum compositum.

Literae autem Apostolicae sunt sequentis tenoris.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« *Quamvis Urbs Roma Beatissimos Apostolorum Principes tamquam praecipuos Patronos suos veneretur, et colat, quippe quae ipsorum labore ac sanguine magistra cum esset erroris, magistra effecta est veritatis, novumque adepta imperii genus multo latius dominetur religione divina, quam ditione terrena; trepidis tamen in rebus implorare consuevit aliorum etiam sanctorum Coelitum auxilium, qui hic in terris degentes Urbem ipsam et collustrarunt splendore virtutum et benefactis cumularunt. Horum numero accensenda profecto est sancta Catharina Senensis ex tertio Ordine*

s. Dominici, quae virginitatis decus cum eximia aliarum virtutum laude coniungens, Avenionem profecta ad Gregorium XI. Praedecessorem Nostrum, inibi cum Cardinalibus, aliisque Pontificiae aulae proceribus commorantem, votum de repetenda Urbe, quod is occulte Deo nuncupaverat, superno recreata lumine, eidem manifestavit, aperuit, atque adeo auctrix fuit, ut promissum reditum pro communi rei christianae bono, et faustitate maturaret. Quantum vero detrimenti Roma cepisset ex diuturna Summorum Pontificum absentia, satis loquuntur historiae. Videre erat fatiscentia, et squalore obsita sacra templa, domos, viasque cruentis factionum caedibus funestatas, longe imminutum incolarum numerum, denique quocumque incidissent oculi, vix ullum reperissent veteris amplitudinis, ac magnificentiae vestigium. Quae deterrima rerum facies immutata prorsus est, remigrante Summo Pontifice, et pristinus Urbi splendor restitutus, sic ut illa in posterum extiterit nedum verae fidei arx, et propugnaculum, sed artium etiam optimarum praecipua sedes, ac domicilium. Porro quum iniquissimo hoc tempore redintegratum contra Ecclesiam fuerit bellum tetrum sane, ac perfidiosum, hostesque Catholici nominis extorquere conentur Romanis Pontificibus civilem ditionem divinae Providentiae consilio illis comparatam ad liberius exequendum Apostolici muneris officium, idque etiam intendant, ut rursus desideretur in Urbe Petri Successorum praesentia, idcirco Senatus Romanus ad tantum propulsandum malum, eludendasque impiorum hominum fraudes implorare constituit s. Catharinae Senensis caeleste praesidium, humilesque Nobis preces exhibuit, ut illam inter secundarios Urbis Patronos adsciscamus. Nos proinde, qui in tantis difficultatibus rerum ac temporum ex caelitum Sanctorum interventu facilius expectamus a bonorum omnium datore Deo subsidium, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium legitimis ritibus tuendis praepositorum, porrectis eiusmodi precibus adnuendum censuimus. Itaque per praesentes Nostras Litteras s. Catharinam Senensem Virginem ex tertio Ordine s. Dominici Almae Urbis Nostrae Patronam secundariam Auctoritate Nostra Apostolica constituimus, declaramus, atque in eius festo die Missam, et Officium sub ritu duplici secundae classis ab utroque Clero, et Sanctimonialibus Urbis, eiusque districtus recitari mandamus. Decernentes has Literas firmas, va-

lidas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis speciali licet mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. Aprilis Anno MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Locus Sigilli.

SUMMA ACTORUM

QUAE HOC VOLUMINE PRIMO CONTINENTUR.

PROGRAMMA . . . . . pag. 3

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

Allocutio SSmi, qua iterum reprobantur et damnantur Massonicae sectae. 193
Electiones Pontificiae 197
Electiones Pontificiae 385
Emorum Cardinalium Creationes etc. 705

EX SECRETARIA BREVIUM.

Literae Apostolicae quibus tributis encomiis romanae ephemeridi cui titulus: *La Civiltà Cattolica*. SSmus perennitati eiusdem, et perpetuitati prospexit. 577
Literae Apostolicae, quibus inter secundarios Urbis Patronos relata est S. Catharina senensis. 744

EX S. CONGREG. S. R. U. INQUISIT.

Decreta super benedictione olei sancti 41
Encyclica adversus magnetismi abusus 177
Decretum quo ulterius declaratae sunt Pontificiae Constitutiones circa occultas sectas. 290

EX S. CONGREG. INDICIS.

Decreta diei 13 Martii et 13 Iunii 1865. 47
Decretum diei 26 Septem. 1865. . 250
Decretum diei 19 Decemb. 1865. . 433
Decretum diei 9 April. 1866. . . 632
Decretum diei 11 Iunii 1866. . . 740

EX S. APOSTOLICA POENITENTIARIA.

Declarationes seu nova indulta super Iubilaeo 174
Responsa super ieiunio et abstinentiis. 422
Dubia et responsa 557

EX S. CONGREG. CONCILII.

Visitationis SS. Liminum, seu dubia circa missarum iterationem, applicationem Missae pro populo, et receptionem eleemosynae 7
Instructio S. C. C. circa eamdem materiam 10
Eleemosynae Missarum 13
Matrimonii, circa nullitatem ratione raptus 15
Distributionum, seu dubia plura circa quotidianas distributiones respicientes chori servitium 65
Impedimenti sponsalium 75
Sponsalium quae contracta sunt sub conditione SI PONTIFEX DISPENSAVERIT. 79
Oratorii privati circa interpretationem Indulti 82
Iuris funerandi et restitutionis emolumentorum 85
Dispensationis super irregularitate ex defectu orto post ordines susceptos. 88
Dispensationis super irregularitate ex defectu habito ante ordines suscipiendos 89
Nullitatis Matrimonii ex defectu delegationis Parochi proprii 129
Servitii Choralis, circa Canonicum qui choro inservire detrectat . . . 139
Residentiae et privationis fructuum, circa punitionem Canonici a choro absentis. 143
Cappellae quoad sacra utensilia, circa modum quo obtineri potest iuspatronatus alicuius Cappellae, et eiusdem iuris onera 149

Paroeciae, circa modum quo se gerere potest Episcopus cum Parocho prodigo 151
Dubia Indultorum ex quorum solutione determinatur ordinaria praxis in indultis concedendis pro absentia a choro 200
Indulti, circa interpretationem consuetae indulti formulae pro absentia a choro 208
Separationis tori, et habitationis . 213
Translationis Paroeciae, et approbationis conventionis 217
Paroeciae, circa remotionem parochi. 220
Matrimonii contracti ex praesumpto errore personae, vel qualitatis in personam redundantis 257
Legati Pii, circa obligationem satisfaciendi pio legato, eiusdemque dubiam perpetuitatem 266
Absolutionis a censuris et dispensationis ab irregularitate presbytero concessae, qui nomen dederat Carbonariorum sectae, et ex triplici causa irregularis evaserat 273
Absolutionis a censuris et dispensationis presbytero concessae, qui nomen dederat praedictae sectae ante constitutionem Pii VII. eam sectam explicite damnantem 277
Sacrae Ordinationis, circa relaxationem onerum, quibus subiiciuntur, qui SS. ordinibus sunt initiati 328
Sponsalium, circa obligationem seducentis honestam puellam sub vaga promissione matrimonii. 336
Sacri Patrimonii, circa modum quo super censibus constitui possit S. patrimonium 344
Benedictionis mulieris post partum; ad quam ius non habent mulieres, quae non ex legitimo matrimonio peperererunt 347
Irregularitatis ex defectu natalium, quae locum non habet in casu, in quo vigeat principium: *Pater is est quem nuptiae demonstrant*. 350
Matrimonii circa nullitatem ex praesumpta coactione, et circa dispensationem super matrimonio tantum rato. . . 411
Restitutionis in integrum et nullitatis professionis seu dispensationis . 471
Theologalis, in qua agitur de obligatione Canonici theologi, et de emolumentis quae iure percipit dum ratione sui muneris choro non interest . . . 484
Parochialis, circa Parochi remotionem a sua paroecia ob gravia dissidia etc. 513
Dismembrationis Paroeciae abEpiscopo factae ob loci distantiam etc. . 520
Sponsalium circa eorumdem praesumptam existentiam, et nullitatem cuiusdam episcopalis legis 525
Unionis Beneficiorum Parochialium, quae in adducto casu locum habere non poterat 530
Iurium et privilegiorum, sed dubia circa ius Parochorum respectu confraternitatum, et vicissim 582
SS. Functionum, seu dubia circa ius Parochi respectu publici Oratorii extantis intra suae paroeciae fines. . . . 595
Servitii chori peragendi diebus illis festis qui suppressi dicuntur. . . 599
Officiorum parochialium, circa obligationem celebrandi Missam diebus festis in parochiali ecclesia, quando plures sunt Vicarii Parochi, qui curam unius paroeciae habent; et circa benedictionem domorum Sabbato Sancto peragendam 602
Commutationis voluntatis, circa pii testamenti derogationem 608
Praebendae poenitentialis, quae a poenitentiarii officio seiungi non potest. 610
Dispensationis ab irregularitate. . 612
Deputatorum Seminarii, qui constituti non fuerant ad normam Tridentinae legis 657
Iuris optandi et attentatorum, in qua disputatur super modo conferendi praebendam canonicalem, cui antiquitus adnexum erat scholastici officium, quod modo revixit 661

Alumnatus Seminarii, circa aetatem requisitam in pueris, qui inter alumnos admittuntur 671

EX S. CONGREG. EPISCOP. ET REG.

Restitutionis in integrum et nullitatis professionis 25
Minorum Observantium S. Francisci super itineratione in viis ferratis . 32
Minorum Observantium S. Francisci super calceamentis 36
Congregationis Presbyterorum SS. Redemptoris super privilegiis, nominatim super privilegio exemptionis ab Episcopali iurisdictione 91
Emphyteusis et redintegrationis, circa tempus praescribendi, cum ecclesia in contractu laesa non fuerit; circa intellectionem Constit. Urbani VIII *Romanus Pontifex*, circa contributiones reales, et ratam commodi. . . . 99
Super deliberatione capitulari ac nominatione, circa canonicum vocalem, qui inhibitus fuit ferre suffragium in coetu eligentium 153
Super iure funerandi, circa ius parochorum quoad funera in religiosos violentia dispersos 164
Iurispatronatus ecclesiastici, circa ius patroni ecclesiastici eligendi inter adprobatos per concursum, et praesentandi; et vicissim circa ius canonice instituendi quod competit Vicario capitulari, Sede vacante 169
Super nullitate testamenti favore ex-religiosi, et generatim circa factionem activam et passivam testamenti regularium 222
Emphyteusis, circa patroni consensum in alienatione bonorum ecclesiasticorum. 228
Renunciationis, quae veluti medium adhibita est ad parochum e sua parochia removendum 231
Super sanatione contractus seu concordia, circa Beneplacitum Apostolicum ex obreptione, et subreptione obtentum, et circa defectum subdelegationis in exequendo rescripto. . . . 279
Distributionum, quae debentur parocho, qui choralibus, aliisque officiis non interest, ob animarum curam . . . 285
Super ruptione testamenti vel commutatione voluntatis, seu super praesumpta revocatione testamenti facti ad causas pias, et super derogatione eiusdem per Apostolicam auctoritatem. 352
Dubia super Sacra Ordinatione, et aliis, seu circa facultatem concedendi dimissorias, et SS. Ordines conferendi alumnis Instituti presbyterorum votorum simplicium, quod speciali privilegio non gaudeat; nec non circa auctoritatem Ordinarii in casu translationis alumnorum in alteram dioecesim, vel in casu dimissionis etc. . . . 358
Dubium de Episcopo Regulari, cum voto consultoris in quo ample disceptatur de obligatione, qua tenentur Regulares ad Episcopatum evecti observandi regulam quam professi sunt in iis, quae cum suscepto munere episcopali congruunt 449
Stipulationis contractus, qui iuxta praxeos regulas, initus non fuerat . 466
Super extinctione debiti, aliisque negotiis contra formam SS. Canonum gestis, et super recursu ad laicam potestatem 533
Affrancationis per schedulas debiti publici pontificii 537
Dismembrationis paroeciae 543
Cappellaniae, in qua disceptatur super indole ecclesiastica vel laicali cuiusdam Cappellaniae 613
Decimarum, circa ius solvendi decimas a fundi domino, quando fundus redditur incultus, ac in alium usum convertitur 619
Ordinis Erem. S. Augustini super facultate eligendi confessarium. . . 672
Ordinis Praedicatorum, super facultate superiorum regularium, suspendendi

subditos ab excipiendis sacramentalibus confessionibus saecularium . 678

EX PARTICULARI CONGREG. EPISC. ET REGULARIUM.

Americana votorum Monialium. . 708

EX S. CONGREG. DE PROPAG. FIDE.

Decretum S. R. U. Inquisitionis, quo ulterius declaratae sunt pontificiae constitutiones, circa occultas sectas . 290
Super dubiis de applicatione Missae pro populo, cum voto Consultoris, in quo ample disceptatur de obligatione applicandi Missam pro populo, sive quoad occidentalem sive quoad orientalem ecclesiam, ac dubia resolvuntur, quae respiciunt Vicarios Apostolicos, ceterosque missionarios occidentis, et alia, quae ad parochos orientales spectant 389

EX S. CONGREG. SS. RITUUM.

Decretum plurium dioecesuum, super lampadum oleo ardentium ante SS. Sacramentum 38
Tolosana, seu decretum Canonizat. Beatae Germanae Cousin Virginis saecularis oppidi Pibrac 111
Formula Benedictionis Telegraphi pro dioec. Brundus. et Ostun . . . 113
Formula Benedictionis Viae Ferreae pro iisdem dioeces. 113
Neapolitana, seu decretum super validitate omnium processuum in causa V. S. D. Vincentii Romano. . . 235
Ordinis Eremit. S. Augustini, seu decretum super recognitione cultus ab immemorabili praestiti S. D. Cherubino Testa ab Aviliana. 236
Romana, seu Albanen., decretum super validitate omnium processuum in causa V. S. D. Gasparis Del Bufalo . . 237
Decretum Generale super festo S. Andreae Avellini 238
Corduben. super Kalendario servando in ecclesia Regularium, qui suppressi sunt . . . . . ib.
Ordinis Minorum S. Francisci circa litanias recitandas in publicis processionibus 240
Aesina, seu resolutiones dubiorum circa festorum occurrentiam etc. . . 294
Cathacen. seu resolutiones circa festorum translationes, et genuinitatem quorumdam decretorum. . . . 296
Resolutionis dubiorum, quorum unum recolitur, respiciens sacras fnnctiones maioris hebdomadae, ac praesertim Missae privatae celebrationem feria V. in Coena Domini 492
Romana, seu Mechlinien., decretum quo signata est commissio Reassumptionis causae B. Ioannis Berchmans. . 546
Romana, seu decretum circa genuflexiones faciendas a sacerdote ad altare redeunte post peractam fidelium communionem 547
Decretum Urbis, quo S. Catharina Senensis relata est inter secundarios Urbis Patronos. . . . . , 630
Brixien. seu causa Servae Dei Bartholomaeae Capitanio fundatricis primariae Instituti Sororum a charitate in oppido Luere, in qua breviter disceptatio refertur habita super nonnullis processus Ordinarii defectibus, ad effectum signandi, vel non signandi commissionem introductionis causae Beatif. et Canoniz 641
Amerina, seu decretum, quo signata est commissio introductionis causae Beatif. et Canoniz. P. Fr. Generosi Mariae a Praemosello sacerdotis professi Ord. Minorum S. Francisci de Observantia 652
Neapolitana, seu decretum de validitate processus Apostolici Romae constructi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Servae Dei Mariae Christinae a Sabaudiae regnis utriusque Siciliae Reginae. 653

Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae, seu decretum super confirmatione cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Ioanni Soreth Priori generali Carmelit. *beato* nuncupato 654
Rhedonen. seu decretum super confirmatione cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Convoioni Fundatori et primo Abbati monasterii Rotonensis *sancto* nuncupato. . 655
Bugellen. seu decretum super confirmatione cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Petro Levitae, *beato* nuncupato 656

EX S. CONGREG. INDULGENT.

Decretum Urbis et Orbis super Missis de Requie 42
Indulgentiae super pio exercitio in honorem S. Iosephi 46
Decretum congregationis S. Benedicti in Gallia, seu dubia circa modum acquirendi distinctas plenarias indulgentias eodem die. 116
Decretum Urbis et Orbis, quo indulgentiae conceduntur pro piis salutationibus ad invicem factis invocatione sacrosancti Nominis Iesu etc. . . 179
Mexican., circa modum quo fideles in Carmeliticam sodalitatem cooptari debent 241
Andegaven. circa longaevam venerationem Reliquiarum, quae legali authenticitate destituantur 248
Decretum Urbis et Orbis, circa irritas admissiones in Carmelitarum sodalitatem ex defectu Scapularis rite confecti 367
Cameracen. circa consuetudinem imponendi S. Scapulare neonatis . . 430
Monacen. circa legitimam formam duplicis Scapulari Carmelitici, et caerulei Immaculatae Conceptionis. . . 431
Congregationis S. Benedicti in Gallia, seu dubia circa indulgentias, quarum lucrum cum exteriori festi celebratione transfertur 489
Ordinis Capuccinorum, seu dubia super existentia indulgentiae pro corona septem Gaudiorum B. M. V. et pro corona D. N. I. C. et super necessitate iisdem coronis benedicendi . . 549
Galliarum, seu dubia super ratione benedicendi coronis Rosarii, et septem dolorum B. M. V 554
Andegaven., seu dubia circa applicationem privilegii altaris 626
Andegaven., seu dubia circa erectionem Confraternitatum 628
Tornacen., circa recitationem *Angelus Domini* ad sonum campanae non benedictae 629
Foroiulien., seu dubia super concessione in Gallia renovata, post Ordinum suppres., indulgentiae *de Portiuncula*. 685
Vallis-Guidonis, seu dubium super communicatione privilegii Ordinis Carmel. impertiendi Apost. Benedictionem. 688
Colonien. seu dubia super communicatione Indul. 742

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Piae sodalitates indulgentiis ditatae, quas quilibet sacerdos ubivis cum consensu Ordinarii loci instituere potest . 321
Pia puellarum sodalitas, quae a quolibet sacerdote ex consensu Ordinarii loci institui potest 387
Pia sodalitas ecclesiis inserventium sub protectione B. Ioannis Berchmans, quae erigi potest a quocumque sacerdote cum Ordinarii venia . . . 689

APPENDICES.

Appendix I. Circa normas prae oculis habendas in concedenda facultate iterandi Missas 50
II. — Circa raptum mulieris raptui consentientis 54
III. — Circa Sacram Poenitentiariam Apostolicam 63

IV. — Circa Sponsalia contracta sub conditione *si Pontifex dispensaverit*. 121
V. — Circa ius funerandi 124
VI. — Circa praxim Apostolicae Poenitentiariae, et speciatim circa modum supplicandi 126
VII. — Circa dispensationem in radice matrimonii 182
VIII. — Decretum de locationibus et alienationibus rerum ecclesiasticarum 251
IX. — Literae Apostolicae, quibus sectae occultae et clandestinae damnantur. 301
X. — Circa personae errorem in matrimoniali contractu intervenientem, vel qualitatis requisitae sub conditione positae 371
XI. — Circa testamentum, quod rumpitur per simplicem declarationem post decennium 378
XII. — Circa praxim S. Poenitentiariae Apostolicae. 382
XIII. — Regulae piae sodalitatis filiarum quae, a SS. Corde Iesu nuncupantur. 435
XIV. — Instructio edita a S. C. Concilii die 22 Aug. 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus. 439
XV. — Circa praxim S. Poenitentiariae Apostolicae, seu circa modum intelligendi clausulam: *interdicto quocumque tractu* 445
XVI. — Circa iudicium S. Sedis super operibus S. Alphonsi Mariae de Ligorio 497
XVII. — Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos 502
XVIII. — Instructio S. Poenitentiariae Apostolicae circa contractum quem civile matrimonium appellant. . 508
XIX. — Circa recursum ad laicum tribunal in causis ecclesiasticis. . . 567
XX. — Quae regulae servari debeant, quando dubitatur, an is qui aliquo pio onere gravatus est, fundis imminutis, vel plane deperditis, de bonis teneatur supplere, necne . . . 569
XXI. — Indulgentiae quas Sanctissimus Dominus Noster Pius Papae IX benedicendo coronas, rosaria, crucifixos, parvas statuas, numismata *medaglie* vulgo nuncupata, impertitur christifidelibus qui secum habentes vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, praescripta pia opera implebunt . 573
XXII. — De differentia inter capellanias ecclesiasticas et laicales . . . 634
XXIII. — Circa Seminariorum Deputatos. 691
XXIV. — Regulae, et reliqua ad piam sodalitatem pertinentia sub auspiciis B. Berchmans institutam . . . 699

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM, QUAE IN PLERISQUE ACTIS HOC VOLUMINE RELATIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN RESPECTIVIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Altare Privilegiatum.
Benedictio.
Beneplacitum Apostolicum.
Canonicus Theologus.
Canonicus Poenitentiarius.
Capitulum.
Cappellania.
Causae Matrimoniales.
Chorus.
Confessarius Regularis.
Contractus.
Cultus.
Decimae.
Derogatio Testamenti.
Dimissoriae.
Dismembratio Paroeciae.
Dispensatio super Matrimonio.
Divortium.
Domicilium.
Electio.
Episcopus Regularis.
Error.
Funus.
Indulgentiae.
Indultum.
Instituta Religiosa.
Investimentum.
Irregularitas Canonica,
Iuspatronatus.
Legatum Missarum.
Matrimonium.
Missae Eleemosina.
Missae Iteratio.
Missa Fer. V. Mai. hebd.
Missa pro Populo.
Oratorium privatum.
Ordines Regulares.
Parochus.
Pastorale officium.
Praescriptio.
Privatio Paroeciae.
Privilegia Regularium.
Professio Religiosa.
Raptus.
Resignatio Beneficii.
Sacra Ordinatio.
Sectae.
Sectarius Presbyter.
Sponsalia.
Testamentum.
Translatio Paroeciae.
Vota Monialium.

Altare privilegiatum.

Indulgentia altaris privilegiati, initio adnexa fuit tantummodo Missis de Requie, pag. 45.

Frequentioribus factis Missis Ritus duplicis, ea indulgentia his Missis quoque fuit adnexa, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento esset, ibid.

Haec Indulgentia illis diebus, quibus Missa de Requie celebrari potest, non suffragatur, si alio ritu celebretur, ibid.

Ea tamen indulgentia suffragatur si aliqua specialis rubrica vel solemnitas impediat, quominus Missa de Requie celebretur, ibid.

Vid. etiam pag. 626.

Benedictio.

In coronis aliisque pietatis obiectis benedicendis consueta Ecclesiae forma substantialiter consistit in signo Crucis super iisdem effor-

mando ab eo, qui ad effectum indulgentiarum facultatem benedicendi habet, pag. 557.

Eadem consueta benedicendi forma ad dictum effectum non sufficit, quando peculiaris forma est ex praescripto servanda, ibid.

Haec praescripta forma servanda est, sive obtineatur benedicendi facultas a R. Pontifice, sive ab eo qui potestate ordinaria benedicendi gaudet, quamvis in concessione facultatis mentio non fiat de forma in benedictione sequenda, ibidem.

Legi enim praestitutae non censetur derogatum nisi probetur. Et is, qui succedit in ius alterius, eo iure, quo ille utitur, uti debet, ibid.

Benedictio domorum Sabbato Sancto a Parocho facienda, peragi non debet ante fontis baptismalis benedictionem, ex quo aqua benedicta primo haurienda est, pag. 608.

Incommodo, ex amplitudine paroeciarum derivanti, potest occurri per alios sacerdotes, qui opem in hoc munere Parocho ferant, ibidem.

Ad benedictionem post partum ius tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt, pag. 349.

Beneplacitum Apostolicum.

Beneplacitum Apostolicum ex obreptione, et subreptione obtentum pro alienatione rerum Ecclesiae non suffragatur, pag. 285.

Obreptio et subreptio toties veriticatur, quoties falsitas exponitur, vel veritas tacetur, ibid.

Id etiam accidit si ex ignorantia cum bona fide processit, quando vitium in substantialibus versatur, ibid.

Beneplaciti exsecutio Episcopi *arbitrio* et *conscientiae* remissa, efficit ut gratia facta non dicatur, nisi accesserit exsecutio, ibid.

Ad eiusmodi exsecutionem procedere non potest Vicarius generalis, nisi huic specialis facultas ab ipso Episcopo delegato concedatur, ibidem.

In rebus enim ubi Episcopus ex facultate delegata procedit, Vicarius generalis procedere nequit sine speciali subdelegatione, ibid.

Transactiones super ecclesiarum bonis, seu iuribus, inter actus alienationis recensentur. Intervenit enim aliqua iurium cessio. Proindeque eaedem sine Apostolico Beneplacito firmae non sunt, pag. 537.

Conventiones non legitime confirmatae, quamvis, si antiquae sint, possint quosdam gignere iuridicos effectus, ut consuetudinis, praescriptionis, vel etiam exhibere possint causam cur a S. Sede confirmentur: attamen in se consideratae vim obligandi non habent, pag. 594.

Vid. Iuspatronatus.

Canonicus Theologus.

Non debet confundi Canonicus theologus, cum quovis Canonico, qui munus docendi suscipiat, quod Canonicatui adnexum non sit, pag. 488.

Praecipuum theologalis praebendae officium hoc est, rite docendi, quod in aliis Canonicis ratione praebendae locum non habet, ibid.

Vide etiam Chorus.

Canonicus Poenitentiarius.

Poenitentiarii officium non potest seiungi a Poenitentiarii praebenda, pag 611.

Quare qui Poenitentiarii officium ab alio dimissum iure obtinet, ille censendus est praebendam etiam poenitentiariam possidere, ibid. *Vid.* Chorus.

Capitulum.

Ad normam decreti Synodi Romanae anni 1725 *tit.* 2, *cap* 4 *et* 5 singula cathedralium et collegiatarum Capitula peculiares suas Constitutiones condere et Ordinario confirmandas repraesentare tenentur, pag 163.

Capitulum sine Apostolico Beneplacito debitum contrahere non potest in gravamen mensae capitularis: est enim quaedam alienationis species, pag. 537.

Cappellania.

Magnum ac substantiale discrimen est inter Cappellanias laicales et ecclesiasticas, pag. 119.

Cappellaniae ecclesiasticae, nomine dumtaxat a veris beneficiis discriminantur, ibid.

Canonicae erectionis decretum in fundatione, et bullae canonicae institutionis in collatione, duae sunt essentiales solemnitates, quae vero beneficio conveniunt, ideoque ecclesiasticae Cappellaniae, ibid.

Non idcirco, quod aliqua Cappellania iuripatronatus laicorum obnoxia sit, dici potest laicalis, ibid

Aliae conditiones praeter duas momoratas, ut sunt iurispatronatus reservatio, et alia id genus, Cappellaniae tam laicali, quam ecclesiasticae possunt convenire, ibid.

Causae matrimoniales.

Pro causarum matrimonialium gravitate, plures specialesque solemnitates in conficiendo processu praescribuntur tum a ss. Canonibus, tum nominatim a Constitutione Benedicti XIV, quae incipit: *Deimiseratione*, p. 420.

Irrita sunt acta processus, si non observentur saltem substantiales solemnitates praescriptae, ibid.

Inter eiusmodi substantiales solemnitates praecipuum obtinet locum interventus Defensoris matrimonii, acta iudicialia quodammodo dirigentis iuxta dictam Constitutionem, p. 421.

Quare acta sine huius Defensoris interventu confecta, non convalidantur per posteriorem simplicem ratihabitionem, seu recognitionem a testibus factam, praesente dicto Defensore, ibid.

Eiusmodi autem convalidatio interdum fit ab Apostolica Sede, si consideratis actis et rei veritate tantum inspecta, vitia processus ad extrinsecam formam solummodo referantur, ib.

Chorus.

Apprime inter se distinguuntur *fructus* beneficii choralis, et *distributiones quotidianae*, pag. 74.

Distributiones *regulariter* consistunt in tertia parte omnium beneficii choralis fructuum, quae iis diribenda est, qui choro intersunt, ib.

Dari possunt plures causae, ob quas, qui a choro abest, fructus faciat suos, neque in poenas incurrat contra absentes, a Tridentino Concilio sancitas, ibid.

Tamen non omnes causae, quae ab his poenis incurrendis excusant, facultatem tribuunt percipiendi distributiones, ibid.

Causae generatim quae eam facultatem tribuunt, sunt infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae choralis utilitas, ibid.

Sola consuetudo abessendi a choro, et distributiones percipiendi, quamvis decreto episcopali confirmata, non est legitimus titulus ad eam perceptionem cohonestandam, ibid.

Praebendatus cum onere adnexo curae animarum, praesens in choro censetur, sua onerata conscientia, dum incumbit in parochialia officia; proindeque ipsi debentur quotidianae distributiones, pag. 289.

Imo eidem debentur etiam distributiones extraordinariae, quae ob fixa anniversaria diribentur, si non obstet benefactorum voluntas, vel statutum, vel certa consuetudo, ibid.

Percipere tamen non potest ea emolumenta, quae ob adventitias ecclesiasticas functiones, iis qui inserviunt diribentur, ibid.

Canonicus theologus suo vacans muneri tanquam choro praesens censeri debet, ac si chorali officio satisfaciat, pag. 488.

Ius ideoque ipse habet, non solum ad praebendae fructus percipiendos, sed etiam ad distributiones quotidianas et extraordinarias, dummodo his postremis percipiendis, non resistat testatorum vel dantium voluntas, quae ut suprema lex servari debet, ibid.

Leges canonicae, quae pro Capitulis cathedralibus vel Collegiatis statutae sunt, facile protenduntur ad eos, qui collegialiter ad instar Canonicorum quaedam choralia officia exercere tenentur. Ubi enim viget eadem legis ratio, ibi eadem esse debet legis dispositio, pag. 289.

Canonicus absens ille dicitur qui chori servitio non intervenit sive in eadem choralis ecclesiae urbe resideat, sive longe absit, pag. 143.

Imo Canonicus censetur absens etiamsi interdum chori servitio satisfaciat, ibid.

Quare si ultra tres menses, sive continuos, sive intra annos interruptos, debito chori servitio non satisfaciat, nisi legitimam absentiae causam aperte demonstret, praeter distributionum amissionem pro rata portione absentiae privari successive potest per iudicis sententiam fructibus beneficii ad normam Tridentini decreti, ibid.

Elapso scilicet trium mensium spatio, si Canonicus ulterius a choro absit, citari a Curia idem potest, *ad allegandam in termino causam, quare non debeat fructibus privari etc.*

Neque est necessarium, ut Canonicus absens moneatur, vel citetur ad residendum, quasi vero non possit puniri, nisi constituatur in mora; probata enim absentia, militat adversus eum iuris praesumptio, qua censetur illegitime a choro abfuisse, ibid.

Quare onus in talem absentem incumbit, destruendi per allegationem, et probationem legitimae causae eam iuris praesumptionem, si nolit fructibus privari, ibid.

Vide etiam INDULTUM.

*

Confessarius Regularis.

Facultas confitendi peccata confessario extraneo, inspecta doctorum doctrina, potest concedi a Superioribus Regularibus localibus, suis subditis, pag. 677.

Haec doctrina limitationem accipit a constitutionibus et statutis cuiusvis Ordinis, utpote peculiarem legem constituentibus, p 678.

Nemo autem Regularium facultatem concedere potest suis subditis confitendi peccata saecularì Sacerdoti, qui ab Ordinario loci non sit adprobatus, idque si fiat, irrita inde erit absolutio, ibid.

Post Tridentinam legem *cap.* 15, *sess.* 23 quilibet Regularis non censetur *idoneus* ad excipiendas confessiones saecularium, nisi ad eas ab Episcopo loci approbationem accipiat, pag. 684.

Per eam adprobationem confertur necessaria iurisdictio ad confessiones valide excipiendas.

Quare eiusmodi iurisdictio a Superioribus Regularibus auferri suis subditis non potest, quamvis interdici iisdem possit, ne dictas sacramentales confessiones excipiant, ibid.

Hinc si Regularis inobediens, spreta suorum superiorum inhibitione, dictas confessiones exciperet, valide poenitentes absolveret, quamvis illicite, ibid.

Neque in irregularitatem incurreret, cum nullam spreverit canonicam censuram, ibid.

Contractus.

Contractus emptionis ac venditionis perficitur simul ac merx, pretium, et consensus una concurrerint, pag. 470.

Plures tamen requiruntur solemnitates ad contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos, ibid.

In serie actorum quae fieri debent antequam ad instrumentum deveniatur, si vitium aliquod vel defectus forte superveniat, S. Congregatio rata habet ea, quae rite facta sunt ante vitium vel defectum admissum; rescindit autem ea, quae in ipso vitio vel defectu nituntur, eaque alia, quae inde subsequuntur, ibid.

Neque ecclesiae datur poenitentiae locus, quando res integra esse desierit, ibid.

Quamvis ex *Motu Proprio* Benedicti XIV, primo deliberatario denunciatio novae oblationis per secundum oblatorem *personaliter* facienda esse dicatur; nihilominus S Congregatio eam denunciationem veluti *personaliter* factam habuisse, quae per comparitorem peracta est domi, in manibus uxoris simili exemplari oblationis relicto, ibid.

Sexta vitiose oblata in vigesimae augmentum interdum admittitur, ibid.

In ecclesiam incumbit onus comprobandi laesionem tempore initi contractus, pag. 110.

Locus est retentioni *ratae commodi* in omnibus intributionibus realibus, sive eae a Principe supremo, sive a provinciae Praeside, sive a Magistratu municipali indicantur, ibid.

Vide Praescriptio. Decimae.

Cultus.

Omnino convenit, etiam in illis materiis quae ad divinum cultum destinantur, venerandam antiquitatem servare, pag. 40.

Praesertim vero si eiusmodi materiae aliquam secumferant mystici signi rationem, ibid.

Quare quidquid novitatem in his rebus redolet, quamvis sub alio respectu, vel minoris momenti, vel utile esse videatur; induci tamen in ecclesiis non debet, nisi exigente necessitate, ibid.

Hinc pro lampada nutrienda ante SS. Sacramentum in solo casu deficientiae Olei olivarum Episcopi prudentiae remittitur usus aliorum oleorum, quantum fieri potest, vegetalium; eorum nempe quae aliquo modo minus distent ab oleo olivarum, ibid.

Indulta concessa favore christianae plebis, quibus nonnulli dies festi supprimi dicuntur, praeter obligationes quas auferunt, abstinendi scilicet ab operibus servilibus, vel etiam audiendi sacrum, nihil aliud operantur, pag. 601.

Quare in ecclesiastica ratione loquendi, dies festi appellantur et sunt; atque caetera omnia secumferunt, quae ad cultum divinum et sacra ministeria pertinere dignoscuntur, ibid.

Vid. Indulgentiae. Chorus.

Circa genuflexiones faciendas a Sacerdote S. Eucharistiam fidelibus distribuente, vide pag. 574 et seq.

Decimae.

Licet fundi domino ius insit, per se vel per alium, fundum decimis praedialibus gravatum in alium usum convertere, ac incultum reddere; non inde tamen cessat obligatio Decimatorem redintegrandi, pag. 624.

Equum enim non est ut ius Decimatoris ex integro pendeat a domino fundi: multoque minus equum est, ut quis alterius iactura dictior evadat, ibid.

Quare his in adiunctis locus conciliationi inter partes aperitur, qua, utriusque iura Decimatoris scilicet, et domini fundi sarta tectaque maneant, ibid.

Derogatio Testamenti.

Fundatorum piorum voluntas ut suprema lex est servanda, pag. 610.

Intervenientibus canonicis gravibusque causis, interdum a Romano Pontifice legislatore supremo eidem voluntati derogatur, pag. 610.

Non exhibet sufficientem derogandi causam Patronorum consensus, maxime si eorumdem successoribus ex derogatione praeiudicium inferretur, ibidem.

Testatoris voluntas, quae ostendatur disposita ad testamentum ad causas pias iam confectum renovandum favore alicuius, causam exhibere potest cur eidem quadantenus derogetur, pag. 358.

Vid. Testamentum.

Dimissoriae.

Facultas concedendi literas dimissorias ad SS. Ordines recipiendos, inter specialia privilegia recensetur; eaque facultas erui non potest ex auctoritate, quam superiores alicuius ex Institutis votorum simplicium exercent in suos alumnos independenter ab Ordinario originis seu domicilii, pag. 366.

Neque locorum Ordinarii ex unico titulo auctoritatis quam exercere possunt super iisdem alumnis, eosdem SS. Ordinibus initiare possunt, posthabita Constitutione Innocentii XII. *Speculatores.*

Dismembratio Paroeciae.

Ut ad paroeciarum dismembrationem legitime deveniri possit, duo requiruntur, iusta nempe causa, et extrinsecae solemnitates, pag. 524.

Iusta autem causa censetur accessus nimis difficilis ad parochialem ecclesiam, sive ex magna distantia, sive ex gravis itineris difficultate, ibid.

Quod ad solemnitates spectat, audiri debent interesse habentes, pag. 545.

Eorum tamen querimoniae posthabendae sunt, si minus rationabiles fuerint repertae, pag. 545.

Vid. etiam pag. 532.

Dispensatio super matrimonio.

Ad obtinendam dispensationem super matrimonio duo simul evidenter demonstrari debent: matrimonium scilicet permansisse ratum, et graves causas concurrere ut illud dissolvatur, pag. 421.

Inter graves causas recensetur coactio passa ad ineundum coniugium, quamvis ea coactio non demonstretur omnino sufficiens ad effectum declarandi irritum matrimonium, ibid.

Vid. Professio religiosa. Sacra ordinatio.

Divortium.

Graves requiruntur causae ad legitimam coniugum separationem quoad torum, et habitationem, pag. 217.

Domicilium.

Non contrahitur quasi-domicilium sola voluntate, sed praeter voluntatem ad longum tempus permanendi exigitur factum habitationis, pag. 138.

Quod habitationis factum, ad effectum matrimonii contrahendi, si per mensem perseveret, nihilque grave opponatur, eo ipso quasi-domicilium praesumitur acquisitum, ibid.

Immo etiamsi ad mensis spatium habitatio protracta non fuerit, si evinci possit vera et determinata voluntas novi domicilii contrahendi ex variis adiunctis quae novam habita-

tionem concomitantur, domicilium etiam censetur contractum, ibid.

Electio.

Solemnitates a iure canonico in electionibus accurate peragendis praestitutae, locum sibi vindicant in eligendis Praelatis sive saecularibus sive regularibus, pag. 163.

Earumdem autem omnium observantia non exigitur in iis electionibus, in quibus de Beneficiis minoribus agitur, maxime si ea simplicia sint, ibid.

Observari tamen debent eae conditiones, quae veluti ex rei natura profluunt, quaeque cuicumque electioni a certo personarum collegio peragendae per se inhaerent, ibid.

Inter huiusmodi conditiones observandas ea recensetur, ut nimirum electio *collegialiter* perficiatur, ibid.

Neque minus altera numeratur, ut nullus scilicet ex eligentibus contemnatur, idest, excludatur, sive directe, sive indirecte a suffragio ferendo, ibid.

Ex contemptu tamen alicuius de gremio eligentium, electio ex sese irrita non est; sed ea, sententia iudicis irritari debet, si ille, qui inhibitus iniuria fuit, de nullitate agat, ib.

Quare cum irrita talis electio ex sese non sit, si ille animum suum ita declaraverit, ut implicite, vel explicite electionem, seu nominationem, ipsum recognovisse constet, non est amplius audiendus, si electionis validitatem impugnet, ibid. et pag. 670.

Episcopus Regularis.

Regularis ad Episcopatum evectus, quamvis a Monasterio divulsus, Regularis esse non cessat, pag. 466.

Idem proinde non solvitur a votorum obligatione iuxta Regulam; quamvis termini relationis voti obedientiae mutentur, ibid.

Imo tenetur ad Regularum observantiam, quae cum persona a communitate seiuncta, et ad Episcopatum evecta congruunt, ibid.

Eiusmodi autem obligationes ita intelligi debent, ut in *collisione* status regularis cum dignitate et munere episcopali suscepto, vincat dignitas et episcopale munus, praeeunte, circa hanc collisionis existentiam, prudente eiusdem Regularis Episcopi iudicio, ibid.

Non enim decet ecclesiam desponsatam, quae libera est, subesse incommodis, et iacturis, ob singularia sui sponsi vota, singularesque leges, ibid.

Hinc Episcopus Regularis ad episcopatum assumptus, capere potest haereditates et legata post episcopatum sibi delata, pag. 228.

Id autem ita intelligitur, ut sibi liberum usumfructum, quoad vixerit, acquirat; proprietatem vero ecclesiae, cui desponsus est, ibidem.

Haec insuper facile possunt extendi ad Religiosos ex Instituto votorum simplicium ad episcopatum assumptos. Eadem enim obligationis ratio vigere videtur, pag. 466.

Error.

Errorem allegans debet illum concludenter probare, pag. 265.

In contrahendo matrimonio, errore personae interveniente, nihil inter contrahentes geritur, ibidem.

Hic personae error tum habetur, cum ipsum individuum cum quo contrahitur, aliud plane sit ab illo quod mente a contrahente concipitur, ibid.

Non est tamen personae error si individuum quoad nonnullas dumtaxat qualitates, diversum sit ab eo, quod mente concipitur, ibid.

Dari tamen possunt qualitates mente praeconceptae, et directe intentae, quae personam plane diversam faciant ab ea cum qua actu contrahitur, pag. 260.

Error circa eiusmodi qualitates recte dicitur refundi in errorem personae, ibid.

Error autem circa caeteras qualitates non infirmat coniugium, nisi qualitas sub conditione *sine qua non*, ponatur; ita ut matrimonio consentiatur unice sub expressa qualitatis optatae conditione, ibid.

Funus.

Per publica coemeteria recenter inducta causa publicae valetudinis, non auferuntur

iura proprii sepulchri: sed impedita solummodo remanet materialis depositio cadaveris in proprio seu gentilitio sepulchro, pag. 87.

Reliqua proinde quae cum proprietate sepulchri consociari solent, cuiusmodi esse possunt funebris cadaveris delatio in ecclesiam sepulchri; expositio eiusdem in eadem ecclesia; suffragia, et reliquae funerales functiones, illaesa omnino manent, ibidem.

Hinc reliqua iuris placita manent expedita: proinde in potestate fidelium est determinare sibi horum funerum ecclesiam, ibidem.

Si haec determinatio facta non sit, funera peragi debent ad normam iuris, nempe in ecclesia proprii sepulchri, vel in parochiali ecclesia: proindeque *regulariter* neque parentes neque haeredes aliter determinare possunt, ibidem.

Vid. PRIVILEGIA REGULARIUM.

Indulgentiae.

Plures distinctas plenarias Indulgentias potest quisque eodem die lucrari, sive eae sint personales, sive locales, dummodo pro singulis iniunctae conditiones serventur, pag. 119.

Quod si eaedem pro quavis indulgentia sint conditiones iniunctae, eae toties eodem die iterari debent, si iterabiles sint, quoties sunt indulgentiae lucrifaciendae, ibid.

Inter conditiones iterabiles recenseri debet visitatio ecclesiae, si visitatio praescripta sit, pag. 120.

Nomine autem visitationis intelligitur accessus ad locum sacrum ex fide et religione procedens cum intentione ibidem colendi Deum, vel in se ipso, vel in aliquo Sancto, ibid.

Quare aequiparari non possunt visitationes loci sacri repetitis in eodem sacro loco precibus, singulis visitationibus respondentibus, ibid.

Proindeque sicut ille non satisfaceret praescriptis visitationibus, qui tantum suam praesentiam iterato exhiberet in loco sacro, quin debitas funderet preces; ita e contra alter non satisfaceret, qui, uno ad sacrum locum accessu, pluribus accessibus respondentes preces persolveret.

Indulgentiae concessae recitantibus: *Angelus Domini etc.* adnexae fuerunt tantum precibus indicatis; non vero alteri rei sacrae, pag. 630.

Conditio autem apposita verbis: *Ad campanae sonum*, qui est ecclesiasticum consuetum signum, censetur adiecta ad determinandum tempus, quo fideles B. V. Mariam salutent, ibid.

Translata legitime solemni celebratione cuiusvis diei festi, censentur translatae indulgentiae, quae intuitu eorumdem festorum concessae sint, pag. 491.

Ad hunc tamen effectum, scilicet indulgentias transferendi, non censetur celebratio translata per simplicem officii cum Missa translationem, pag. 492.

Quare indulgentiae sequuntur tantum extrinsecum solemnitatis cultum, quo fidelis populus congaudere solet, ibid.

Exigente fidelium utilitate, translata ex venia Ordinarii in commodiorem diem externa alicuius diei festi celebratione, cum suis novendialibus, aliisque si quae fieri debeant publicis precibus, hac die etiam indulgentiarum lucrum translatum censetur, ibid.

Illi, qui sub vario respectu membra sunt diversarum communitatum distincto kalendario fruentium, indulgentias lucrari possunt in una ex pluribus repetiti festi celebrationibus, ibid.

Cum de vera existentia alicuius antiquae indulgentiae quaeritur, non facile fides accommodanda est uni alterique scriptori, qui de ea mentionem faciat, nisi adducatur idonea demonstratio, quae dubitationem removeat, p. 554.

Indultum.

In interpretatione indultorum, quae ordinarie conceduntur, invocari non potest regula iuris 15 in 6: *odia restringi, et favores convenit ampliari;* sed potius locum obtinet alia iuris regula 28 in 6; *quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda,* pag. 85.

Indulta servitii choralis pro varietate causarum concessa, diversas secumferunt clausulas, pag. 207.

Ad has clausulas rite exsequendas attendi debet ad beneficii fructus sive praebendam, quae stabilis est nec incertis praesentiae, vel absentiae eventibus subesse solet, pag. 208.

Attendi pariter debet ad distributiones ordinarias, sive quotidianas quae debentur praesentibus in consueto chorali servitio, quaeque punctaturis subiiciuntur, ibidem.

Nec minus attendi debet ad distributiones extraordinarias, quae *inter praesentes* dicuntur, quae ita dantur praesentibus ut neque ab illis absentibus ordinarie percipi possunt, qui aliunde ius haberent ad percipiendas quotidianas distributiones, ibid.

Imo etiamsi ad has distributiones in absentia percipiendas Indultum obtineatur, per hoc, non illae distributiones *inter praesentes* comprehenduntur, quibus percipiendis resistat Benefactorum voluntas, ibidem.

Qui vi ordinarii Indulti e choro absunt amittunt omnes distributiones quotidianas, et *inter praesentes*, pag. 213.

Si vero omnis praebendae redditus pro quotidianis distributionibus sit adsignatus, vi Indulti tertia tantummodo distributionum pars amittitur, ibidem.

Item si tenuis sit praebendae redditus in comparatione distributionum, ibidem.

Tenuis autem censetur, si unam ex tribus distributionum partibus non attingat, ibidem.

Vide CHORUS.

Instituta Religiosa.

Instituta religiosa votorum simplicium vindicare alia iura sibi non possunt, praeter ea, quae sibi specialiter concessa demonstrent, pag. 366.

Ordines regulares gaudent plena exemptione ab episcopali iurisdictione ad normam iuris, et pontificiarum Constitutionum: dum e contra Instituta religiosa cum votis simplicibus eam tantum exemptionem sibi vindicare possunt, quam sibi specialiter concessam demonstrent, pag. 98.

Non sufficit ad plenam exemptionem demonstrandam allegare *genericam communicationem* cum privilegiis alicuius Ordinis sic exempti concessam; sed demonstrari quoque debet R. Pontificem intendisse hanc extendere communicationem etiam ad odiosum exemptionis privilegium, ibid.

Inter varia Instituta religiosa cum votis simplicibus, quae ex speciali S. Sedis gratia gaudent dicta plena exemptione ab episcopali iurisdictione, visitatione, et correctione, exceptis casibus iure excipiendis, speciatim recensetur Institutum PP. excalceatorum SSmae Crucis et Passionis; nec non Institutum SSmi Redemptoris a S. Alphonso Maria de Ligorio fundatum, ibid.

Illa Instituta, quae huiusmodi exemptionem ab episcopali iurisdictione sibi vindicare nequeunt, exemptiones tamen sibi vindicant circa Institutum, et circa ea de quibus constitutiones respectivae loquuntur; eo ipso quod Apostolica Auctoritate sint peculiariter adprobatae pag. 99.

Per obedientiam, quam eorumdem Alumni promittunt Episcopo in actu S. Ordinationis, laedi non possunt iura Instituti, quae ex Apostolica Auctoritate eidem Instituto competant, pag. 366.

In casu egressus, quo deseritur Institutum, Alumni subiiciuntur illi Ordinario, cui subiecti erant, priusquam Institutum ipsum ingrederentur, ibid.

Vide etiam DIMISSORIAE.

Investimentum.

Census impositio investimento ordinarie aequiparatur, pag. 543.

Schedularum debiti publici acquisitio, investimento nunquam aequiparatur, ibid.

Vid. etiam pag, 534 *in nota, et pag*. 345.

Irregularitas Canonica.

Presbyter censura innodatus si sacra peragat irregularis evadit, pag. 276.

Irregularis non evadit Religiosus, si suspensus a suis Superioribus, Saecularium sacramentales confessiones excipiat, pag. 684.

Irregularis fieri potest Presbyter ex infamia facti, quamvis nec ab ipso iure expresse, nec per iudicis sententiam infamis declaretur, pag. 276.

Irregularis pariter ex defectu lenitatis evadit Presbyter, qui inter milites ad pugnandum propria manu procedat, quamvis ipse in pugnae conflictu neminem occiderit, vel mutilaverit, ibid.

Nemo tamen irregularis evadit per simplicem militiae adscriptionem, quamvis Presbyteris id a sacris Canonibus prohibeatur, ibid.

Irregularis ex defectu natalium ille non censetur, cuius favore militat principium: *Pater is est quem nuptiae demonstrant*, pag. 352.

Ea est praxis S. Congregationis quando dispensatio petitur super irregularitate ax defectu corporis, ut praeter accuratam defectuum descriptionem, exigere soleat etiam experimentum Oratoris super caeremoniis, faciendum ex commissione Ordinarii coram SS. Caeremoniarum Magistro, pag 91.

In huiusmodi experimento faciendo attendi debet ad caeremonias, quas Orator irregularis peragere rite non valeat, et maxime ad populi admirationem et scandalum quod excitari posset, vel ad periculum in Sacris peragendis, ibidem.

Facto super hisce experimento, S. Congregatio exigit, ut certior fiat etiam de vera necessitate, vel utilitate ecclesiae, ibid.

Qua existente, si nihil habeatur nimis grave quod obstet, S. C. pro dispensatione affirmative respondere solet iis, qui iam ad ss. ordines sunt promoti; at difficilior est dispensationis elargitio in iisdem adiunctis, pro iis, qui ad ss. ordines sunt promovendi, ibid. et 612.

Iuspatronatus.

Iuspatronatus liberae Cappellae in ecclesia Regularium extantis, consistens solummodo in quibusdam iuribus honorificis, obtinetur per Regularium consensum, accedente Apostolico Beneplacito, pag. 151.

Quod quidem Beneplacitum sperari utiliter potest ab eo qui patronatum quaerit, si vim pecuniae impendat pro redigenda Cappella in formam elegantiorem, et iuxta praescriptum SS. Canonum, onera quibus Patroni gravantur, in se suscipiat, ibid.

Proinde hoc iure obtento, huiusmodi Patronus praeter impensas erogatas in Cappellae instaurationem, tenetur ad utensilia Altaris et Cappellae necessaria suppeditanda, sicut etiam ad eorumdem, et Cappellae manutentionem, nisi sufficiens dotis redditus ad hunc effectum assignatus fuerit, ibid.

Quamvis iuspatronatus sine simoniae labe neque vendi, neque emi possit: attamen fundorum emptione, quibus hoc ius reperiatur adnexum, in emptorem transfertur, pag. 599.

Prohibitum est Patrono sese immiscere in administratione bonorum beneficialium, pag. 231.

Non est tamen eidem ademptum ius invigilandi, ne bona beneficialia male administrentur, ibid.

In alienatione bonorum beneficialium non requiritur eiusdem consensus, quando contra alienationem gravis et rationabilis causa ab eo non opponatur, et caeteroquin solemnitates a iure canonico praescriptae observentur, ibid.

Legatum Missarum.

In legato Missarum de cuius perpetuitate dubitatur, attendi debet ad Testatoris verba, et mentem, pag. 272.

Maxime autem attendi debet, an testator gravare voluerit *peculiares personas*, quas haeredes instituit, vel potius haereditatem, ad quam assequendam, personas nominavit, ibid.

In priori casu legatum temporaneum censetur, et cum personis oneratis exspirat: in altero vero casu est perpetuum, et ipsam sequitur haereditatem, ibid.

His consideratis si anceps adhuc sit mens et testatoris locutio, ita tamen ut graviora indicia militent pro onere personali, legatum censetur temporaneum: si vero paria militent indicia pro utraque dubii parte, legatum censetur perpetuum, ibid.

Census impositio investimento ordinarie aequiparatur: id autem limitandum, si agatur de legato Missarum, pro quo fundorum stabilium frugiferorum acquisitio requiritur, pag. 543.

Matrimonium.

Matrimonium contractum coram Parocho non proprio, nulla interveniente delegatione, in locis in quibus publicatum est Concilium Tridentinum, irritum est, quamvis hic Parochus caeteras solemnitates praescriptas adimpleat, pag. 137.

Matrimonium sic contractum, quamvis initum bona fide circa eiusdem validitatem, irritum tamen manet, nec per longam pacificamque coniugum cohabitationem convalidatur, ibid.

Parochus autem proprius ille dicitur, in cuius paroecia alteruter et sponsis saltem quasi domicilium contraxit, quod domicilium suppleri non potest per simplicem adscriptionem inter loci municipes, quidquid statuant quoad hoc civiles leges, pag. 138.

Hinc valide illi contrahunt, qui causa evitandi molestias ex propria in aliam transeunt paroeciam, si prius in hac nova paroecia saltem quasi domicilium contraxerint et postea matrimonium celebrent, ibid.

Valide tamen illi non contrahunt qui solo animo proprium Parochum fraudandi ex una in aliam transeunt paroeciam, quin in hac quasi domicilium saltem figant, ibid.

Id ipsum verificatur in casu in quo sponsi e propria paroecia, quae Tridentinis legibus subiicitur, transeuntes in aliam ab iis legibus solutam, ibi contrahant, quin acquisiverint aliquod domicilium, ibid.

Haud tamen hoc quasi domicilio indigent sponsi, quorum alter nullum domicilium habeat, vagus scilicet sit, ibid.

Vagus vero is non est, qui, more nobilium, modo in uno, modo altero in loco moratur, retento alibi saltem quasi domicilio, si forte in mansionis locis novum domicilium non contraxerit, ibid.

Vid. Domicilium. Raptus. Error. Causae matrimoniales. Dispensatio super matrimonio.

Missae eleemosina.

Recipi non potest eleemosina pro Missae iteratione, quicumque sit qui eam celebret: neque ad eam eleemosinam recipiendam allegari potest titulus egestatis seu defectus reddituum, pag. 12.

Ob rationes tantum extrinsecas, laboris nempe et incommodi, permitti interdum potest aliqua remuneratio, firma manente prohibitione recipiendi aliquid intuitu eleemosinae pro Missae applicatione, pag. 15.

Vid. etiam Missa pro populo

Missae iteratio.

Extra verae necessitatis casus, Missam iterare non licet, pag. 12.

Huius necessitatis existentia agnoscenda est ab Episcopo singulis in casibus, prae oculis habito criterio seu norma, quam tradit Benedictus XIV in Const. *Declarasti* et in eius opere de Sacrificio Missae *lib.* 3, *cap.* 5 *et* 6, ibid.

Qua necessitate cognita Episcopus permittere debet eam Missae iterationem non quidem generaliter et ad instar privilegii; sed secundum cognitam necessitatem, appositis etiam conditionibus opportunis, a Sacerdotibus omnino servandis, ibid.

Neque allegari potest consuetudo quamvis immemorabilis, veluti titulus ad Missam legitime iterandam, quae consuetudo ex se sola dicenda est potius corruptela, ibid.

Missa feriae V. Mai. hebd.

Ratio ob quam privata Missa feria V. maioris hebdomadae Sacerdotibus celebrari interdicitur, est ipsa sacrificii institutionis memoria, quae exigit, ut peculiari modo hac die recolatur, pag 496.

Eadem memoria optime recolitur per publicas solemnesque functiones iuxta praescriptum Ecclesiae ritum celebratas, in quibus Sacerdos Christum Dominum in sacra Coena repraesentans, ipse sumit sacramentum Corporis, et Sanguinis Eius, et reliquis de Clero veluti Apostolis distribuit, ibid.

Eadem solemnia celebranda sunt, etiam in ecclesiis parochialibus pauperioribus, si decenter peragi saltem valeant iuxta formam parvi Ritualis Benedicti XIII ad hunc finem conscripti, ibid.

Quod si ob Clericorum defectum in rurali paroecia neque praescripta forma servari possit, Parocho indulgetur ut Missa lecta ad populi commoditatem celebret, petita quotannis ab Ordinario venia, ne id in ordinis detrimentum cedat, ibid.

Decet enim, ut qui populum sibi adsignatum habet ob augustissimae institutionis memoriam, hac die sacrificium celebret, ita ut fideles sive de populo, sive si qui sint de Clero, sacram Synaxim ex eius manu in Sacrificio suscipiant, ibid.

Quin imo ob eamdem rationem non est reprehendenda consuetudo, qua parochus in eadem ecclesia, ubi solemniter functiones peraguntur, Missam ad populi commoditatem ante solemnia celebrat, ibid.

Missa pro populo.

Parochus, qui ratione unitarum paroeciarum duas diebus festis celebrat Missas, tenetur utramque pro populo applicare, excepto casu, in quo paroeciarum unio sit plenaria et extinctiva tituli, ex qua scilicet unione, unica prorsus paroecia exurgat, pag. 12.

Unio plenaria et extinctiva paroeciarum dari potest, quamvis populi, qui ad paroecias distinctas ante unionem pertinebant, distincti maneant, pag. 608.

Quin imo non obstat dictae extinctivae unioni, si pro numero populorum totidem etiam praeficiantur Vicarii perpetui, qui titularem parochum repraesentent, ibid.

Quare unica manente paroecia, unica pariter obligatio est celebrandi Missam diebus festis, eamque pro populo applicandi; cui obligationi satisfacere possunt Vicarii alternantes vices, ibid.

Multum differunt a Parochis Missionarii, qui ex missione seu delegatione S. Sedis, vel etiam Episcoporum pro suis dioecesibus, praecones tantum sunt divini verbi, et misteriorum Dei dispensatores, pag. 410.

Quare ex divino iure, multoque minus ex ecclesiastica lege, Missionarii non tenentur offerre Missam pro populo, quamvis eo animo sint plerumque comparati, ut non solum Missam pro populo offerant, sed etiam animam suam dent pro fratribus suis, ibid.

Oratorium privatum.

Mens est S. Sedis in concedendis ordinariis indultis Oratorii privati, ut per verba, *in tui ac familiae etc. praesentia,* intelligatur privilegium indirecte dumtaxat extensum ad *familiam etc.*; ita ut solummodo *intuitu praesentiae* principalis privilegiati possint caeteri indicati in Indulto frui Oratorio privato, 84.

Hoc est unum ex exemplis in quibus invocari non potest regula iuris 15 in 6 — *odia restringi, et favores convenit ampliari* — sed potius locum obtinet alia iuris regula 28 in 6 — quae a *iure communi exorbitant, neguaquam ad consequentiam sunt trahenda.* — ibidem.

Dantur tamen quaedam extraordinaria indulta in quibus amplior est R. Pontificis intentio; ideoque secundum eam intentionem in rationabili dubio ampliorem recipere possunt interpretationem, ibidem.

Ordines Regulares.

Ordines Regulares gaudent plena exemptione ab episcopali iurisdictione ad normam iuris, et Pontificiarum Constitutionum, pag. 98.

Ipsi ordinarie possidendi capaces sunt in communi, non in individuo, pag. 277.

Excipiuntur vero nominatim Fratres S. Francisci Capucini, et Minores Observantes, qui nec in communi, nec in individuo possidendi capaces habentur, ibid.

Quare, his exceptis, si cui Religioso aliqua haereditas vel legatum obveniat, loco eius succedit Religio, ibid.

Summus Pontifex, iustis accedentibus causis, Religiosis testamenti factione activa, et passiva carentibus interdum indulget, ut testamenta condere, haereditates, legatave capere queant, pag. 228.

Vid CONFESSARIUS REGULARIS. PROFESSIO RELIGIOSA. EPISCOPUS REGULARIS. PRIVILEGIA REGULARIUM.

Parochus.

Parochus ratione parochialis officii, iurisdictionem non habet super publicis Oratoriis, quae forte reperiantur intra fines suae paroeciae, pag. 599.

Quare ad Rectorem Oratorii spectat, aliosve quorum interest celebrare independenter a Parocho ecclesiasticas functiones, servatis servandis, dummodo eae functiones parochiales non sint, ibid.

In huiusmodi causis iudicandis Sacrae Congregationes non recedunt a Decreto Urbis et Orbis SS. Rituum Congregationis diei 10 Decemb. 1703, pag. 594.

Cui Decreto non derogatur per conventiones, quae destitutae sint Apostolico Beneplacito, quamvis in iis ineundis Episcopi consensus intervenerit, ibid.

Parochus extrema sacramenta administrare debet Regulari extra claustrum decedenti, quin tamen ius habeat ad funera huic peragenda, pag. 168.

Hoc tamen ius Parochus habet, si Regularis nimis e suo monasterio remotus decedat, adeo ut commode eius cadaver ad monasterium deferri non possit, ibid.

Regulares dispersi, etiam ex illegitima suppressione, subsunt quoad funera parochiali iurisdictioni, sicut caeteri parochiani, ibidem.

Vid. Funus. Pastorale officium. Missa. Privatio paroeciae.

Pastorale officium.

Ex natura pastoralis officii in ecclesia divinitus instituti, sicut obligatio eruitur agnoscendi oves suas, easdemque pascendi verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo etc.; ita etiam eruitur obligatio offerendi pro his sacrificium, pag. 409.

Hoc autem pastorale officium sua integritate in Episcopis ex divino iure residet, pag. 410.

Ex ecclesiastico communi iure, parochis committitur huius pastoralis officii pars, quae ex sese et ex ratione qua committitur, sufficiens est ad gignendas dictas obligationes, ibid.

Ea namque ratione committitur, ut, assumptione parochialis officii, parochus fiat pastor proprius concrediti gregis, quamvis talis pastor, et concreditus grex immediatae vigilantiae, et solicitudini pastorali subsint altioris ordinis pastoris, qui est Episcopus, ibid.

Praescriptio.

Ad praescribendas res et iura ecclesiae satis est ordinarie tricenaria, pag. 110.

Necessaria est centenaria; si ecclesia in contractu ineundo laesa fuerit, ibid.

In hunc sensum accipienda est Constitutio Urbani VIII, incipiens *Romanus Pontifex*, hac super re emanata, ibid.

Privatio Paroeciae.

Distingui debet paroeciae privatio quae habeat rationem poenae, a simplici oeconomica remotione, quae fit, sive ad tempus, sive in perpetuum, pag. 519.

Paroeciae privatio si Parochus sit perpetuus fieri non potest, nisi constet de culpis omnino gravibus, quibus ex iure gravissima haec privationis poena infligitur, iudiciali ordine servato, qui in his causis praescribitur, ibidem.

Oeconomica autem remotio ex duplici causa fit, ex imperitia nempe, et inidoneitate Parochi ad paroeciam uti par est regendam, vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus, Parochus paroeciae suae consulere amplius non possit, pag. 520.

Vid. etiam pag. 151, *et* 220. *Vid.* Resignatio Beneficii.

Privilegia Regularium.

Per suppressionem quamvis iniquam, ea Regularium privilegia saltem suspenduntur, quae Ordini tributa sunt ut corpori morali, sive ut societati sub disciplina regulari viventi, pag. 239.

Quare ea privilegia, quae intuitu talis societatis collata sunt alicui ecclesiae, cessante privilegii collati causa, cessent necesse est pri-

vilegia, quibus, intuitu illius existentis causae, ecclesia peculiaris gaudet, pag 239, et 687.

Cessantibus autem eiusmodi privilegiis, ius commune subintret oportet, pag. 239.

Privilegium peculiaris sepulchri ad singulos Regulares spectat, non uti singulos; sed quatenus sunt membra eiusdem consociatae familiae intra Monasterii septa viventis, sub regulari disciplina, pag. 168.

Quare Regulares dispersi, etiam ex illegitima suppressione, subsunt quoad funera parochiali iurisdictioni sicuti caeteri parochiani, ibid.

Vide INSTITUTA RELIGIOSA.

Professio religiosa.

Regularis agens contra suam professionem audiri non debet a iudicibus ordinariis si elapsum sit quinquennium ab emissa professione, pag. 31.

Quare ut agere possit pro professionis nullitate, debet a S. Sede implorare extraordinarium beneficium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii, ibid.

Hoc beneficium vero non conceditur, nisi constet de causis legitimis propter quas intra utile quinquennium reclamare Regularis non potuerit, et maxime si non constet de bono iure, quo ipse uti valeat contra suam professionem, posteaquam hoc beneficium restitutionis obtinuerit, ibid.

Irrita autem non declarari debet religiosa professio ex vi et metu, nisi duo haec simul firmis probationibus demonstrentur, nempe: *a*) vim et metum fuisse gravem, et cadentem in constantem virum, et *b*) incussum fuisse praecise ad consensum extorquendum in ipsam religiosam professionem pag. 32.

Neque dispensationi datur locus, si coactio passa, perpensis omnibus adiunctis, saltem grave dubium non creet de professionis validitate, pag. 483.

Vid. DISPENSATIO SUPER MATRIMONIO. SACRA ORDINATIO.

Raptus.

Perinde est rapere vi puellam e propria domo, ac dolo eam circumvenire, ut in manus meditantis rapinam inscia deveniat, p. 23.

Imo perinde esse videtur rapere puellam e propria domo, ac fraudibus eam circumvenire, ne ad suam redeat domum posteaquam libere exiverit, pag. 24.

Neque interest si puella his fraudibus assentiri videatur. Consensus enim fraudibus extortus, apertae violentiae aequiparatur, ibid.

In hoc autem statu raptus puella manens, inhabilis ex iure est ad contrahendum cum raptore, ibid.

Potest autem habilis fieri, si a raptoris potestate separetur et in loco tuto ac libero constituatur, ibid.

Nihilominus non censetur puella ab ea potestate separata si raptor potius per alium, quam per se potestatem in puellam exerceat, ib.

Neque locus censetur tutus qui publicus sit, neque liber, quamvis in eo nonnulli actus libere exerceri posse videantur, ibid.

Neque valet matrimonium hoc in statu contractum, etiamsi ante celebrationem prudenter praevideretur, quod puella in idem matrimonium consensisset, licet in loco tuto ac libero constitueretur, ibid.

Quare ex indole loci in quo rapta ponitur pendet matrimonii validitas, ibid.

Matrimonium autem sic invalide contractum non convalidatur ubi viget lex Tridentina per longam cohabitationem, ibid.

Resignatio Beneficii.

Resignatio Beneficii emitti debet ex certis causis in iure canonico praefinitis, eademque non valet, nisi a Superiore acceptetur, pag. 234.

Renunciatio bifariam dividitur in expressam videlicet, ac tacitam, ibid.

Renunciationes aliquo vitio forsitan laborantes, sanantur ab Apostolica Sede, si aequa, et rationabilis causa accedat, ibid.

Sacra Ordinatio.

Ut irrita censeatur in foro externo ss. Ordinum susceptio, requiritur probatio absolutae coactionis in ipso Ordinationis actu. Talis enim coactio demonstrat ordinandi voluntatem positive contradicentem ss. ordinum susceptioni, pag. 335.

Ad effectum vero declinandi onera ex ecclesiastica lege ordini subdiaconatus adnexa, sufficit concludens probatio vis et metus gravis in constantem virum cadentis, et directe incussi ad obtinendum actum susceptionis Ordinis. Eiusmodi enim causa comparatur cum causa matrimonii, vel professionis religiosae ex vi et metu extortae, ibidem.

Sectae.

S. Congregatio Concilii censuit, Constitutiones Clementis XII, et Benedicti XIV, quamvis tantum sectam : *dei liberi muratori*, seu *francs-maçons*, explicite nominarent, comprehendere etiam caeteras sectas eiusdem indolis. Non enim nomen damnatum fuerat, sed earum sectarum indolem, pag. 278.

Vehementer illi errant, qui putant, praecedentes et subsecutas RR. Pontificum Constitutiones, sectas anathemate proscribentes, vim suam non exerere, ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur. Iniquitas enim vel favore affecta, vel etiam ad triumphum provecta, suam non amittit naturam, ibid. et 292.

Inanis est eorum sectariorum exceptio seu responsio, qua ex eo se non comprehendi putant sub Constitutionum sanctione, quia iactant, se nihil adversus Ecclesiam moliri, pag. 291.

Inanis insuper est exceptio, qua ex eo se non comprehendi putant sub dictis Constitutionibus, quia conventicula non secreto, sed palam habent, ibid.

Nec minus inanis est altera exceptio, qua putant dictas Constitutiones peculiarem exigere pro locorum diversitate, applicationem, et exsecutionem, pag. 292.

Neque iuramentum, quod in huiusmodi sectis exigi solet de secreto servando, est quid essentiale ut eae damnatae dicantur, ibid.

Quare ex eo eiusmodi societates iam damnatae intelliguntur, quia *occultae sectae* sunt, idest societates spuriae et adulterinae, quae ex praeposteris theoreticis principiis, in subversionem publici ordinis, occultis subdolisque mediis, in sinu civilium societatum organicam subsistentiam sibi comparant, ibidem.

Ex quibus etiam eruitur, quam male sibi consulant civilia gubernia, sive acatholica, sive catholica, quae veram Christi ecclesiam despiciunt, vel eamdem uti suspectam novercam habentia, liberrimum impediunt suae auctoritatis exercitium, sive regio *placet*, sive regio *exsequatur*, aliisque modis. Ea enim gubernia, praeter quamquod suo officio non satisfaciant, temporali etiam utilitati praeposterе prospiciunt, pag. 294.

Sectarius Presbyter.

Presbyter damnatis sectis impiissime illaqueatus a S. Sede non absolvitur, nisi longa dederit poenitentiae, et resipiscentiae signa, pag. 278.

Idem si sacra peragat, ex censurae ipso facto incursae violatione, irregularis evadit, pag. 276.

Sponsalia.

Non censetur verus sponsalium contractus, si una tantum pars promittat, altera vero non repromittat, pag. 78.

Imo non censetur sponsalium contractus, si una tantum pars promittat, altera vero acceptet tantum promissionem, quin positive repromittat. Huiusmodi enim gravissima sponsalium obligatio non est facile praesumenda, ibid.

Dari potest tamen casus, in quo acceptatio isthaec repromissioni aequivaleat, ut si mulier, *quae honesta* sit, in tantum sui dedecus inducatur, ut post acceptationem promissionis, defloratiouem patiatur, ibid.

Sponsalia contracta inter eos qui gradu prohibito consanguinitatis continentur, etiamsi sub conditione contraxerint: *Si Pontifex dispensaverit*, non sustinentur, pag. 81.

Neque sustinentur etiamsi rata habeantur a contrahentibus post annuentiam R. Pontificis, qua dispensare promiserit: imo etiam post literas Apostolicas signatas, quibus delegato committitur dispensatio, ibid.

Quare ut valida existant, necesse est ut confirmentur a contrahentibus, post obtentam

effectivam dispensationem, qua actu sublatum sit canonicum impedimentum, ibid.

Seducens et deflorans honestam puellam, sub certa seria et deliberata matrimonii promissione, ad eam sibi matrimonio iungendam tenetur, pag. 342.

Seducens et deflorans honestam puellam, aut sine matrimonii expressa promissione, aut cum vaga matrimonii promissione, tenetur vel ad eam sibi matrimonio iungendam, vel ad eam congrue dotandam, damnis omnibus compensatis, ibid.

Vaga vero censetur promissio, si seductor et deflorator simpliciter puellae manifestet: suam esse voluntatem ineundi in posterum cum ea matrimonium, pag. 343.

Seducentis autem promissio, attenta gravissima negotii qualitate, nunquam in dubio deliberata et firma praesumitur; sed talem esse concludenter probari debet, ibid.

Causa agitata super sponsalium existentia, non secumfert iudicium super damnis ex defloratione, si intervenerit, derivantibus reparandis; vel super delicto puniendo, pag. 529.

Episcopus non potest legem edere, quae praescribat normam ineundi sponsalia, a iure communi alienam, pag. 530.

Non enim potest eam fidelium facultatem limitibus circumscribere, quam ius commune tuetur, ibid.

Testamentum.

Testamentum rite confectum, elapso decennio, potest rumpi per simplicem voluntatis Testatoris manifestationem coram tribus testibus, pag. 358.

Eiusmodi tamen voluntas perfecta esse debet; nec sufficit si Testator semet paret ad testamentum renovandum, ibidem.

Haeredes non liberantur solvendo minus quam a Testatore praescriptum est, pag. 542.

Vid. Ordines Regulares. Episcopus Regularis. Legatum Missarum. Derogatio Testamenti.

Translatio Paroeciae.

Ad transferendam Paroeciam ex una in alteram ecclesiam, iustae, et legitimae requiruntur causae, pag. 220.

Tales causae censentur ecclesiae parochialis fatiscentia, indecentia, angustia, cuius consentanea instauratio haec incommoda non auferret, ibid.

Vid. Dismembratio Paroeciae.

Vota Monialium.

Mens S. Sedis est, qua non expedire sapienter existimat, ut moniales vota solemnia emittant in iis regionibus in quibus, ratione circumstantiarum, et civilium legum, praesertim Clausurae lex tantopere a SS. Canonibus inculcata, tantisque poenis sancita, servari non possit, aut facile possit violari; quamvis moniales ad eos Ordines pertineant qui a S. Sede approbati sint ad vota solemnia Deo nuncupanda, pag. 739.

IMPRIMATUR

Fr. Hieron. Gigli O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova-Castellacci Archiep. Petr. Vicesgerens.

DATE DUE

GAYLORD	PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.

GTU Library
3 2400 00390 4061